W P [illegible]

IN SACROSANCTVM Euangelium Domini nostri Iesu Christi secundum Marcũ, Commentariorum lib. VI. per Heinrychum Bullingerum.

ACCESSIT operi præfatio De Iesu Christo pontifice maximo, & rege fidelium summo regnante in ecclesia sanctorum.




IESVS.

Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI APVD FROSCH. AN. M. D. LIIII.





De Iesu Christo Pontifice Maximo & Rege fidelium summo, regnante in ecclesia sanctorum, ad industrium uirum Christophorum Froschouerum typographum & ciuem Tigurinum, H. Bullingeri in Commentariorum suorum libros ad Euangelium secundum Marcum

PRAEFATIO.



VONIAM apostolorum scripta, euãgelistarum maxime, in hoc tota sunt, ut euincant & demonstrent Iesum esse Christum, id est unctum, reuera Pontificem Maximum, et Regem summum omnium sanctorum, explicabo in praesenti paucis quomodo Christus sit unctus Põtifex & Rex maximus omnium fideliũ adeoq; coeli & terrae dominus. Pertinet enim haec explicatio plurimum ad sanum euangelicae & apostolicae, adde & propheticae doctrinae intellectum.

Initio inquirendum uidetur quaenam sint sacerdotũ siue summi pontificis officia, deinde quomodo ea congruant domino nostro Iesu Christo, & quomodo ipse sit ecclesiae dei pontifex maximus. Sacerdotum primarium munus erat docere, deinde orare & intercedere apud deum pro populo, item offerre pro peccatoribus & hos expiare à peccatis. Ac oportuit eos esse sanctos, qui alios sanctificabant: sicuti fusius exponitur per Leuiticum, & in epistola ad Hebraeos. De uestitu sacerdotali & quae summus pontifex in lege peculiaria habuit, nolo nunc disputare, ne liber fiat ex Praefatione. *Officium sacerdotum.* Porrò de domino nostro Iesu Christo Moses in Deuteronomio, Stephano & Petro authoribus, Prophetam, inquit, suscitabit uobis dominus deus uester de fratribus uestris mei similem. Audietis eum iuxta omnia quaecunq; loquutus fuerit uobis. Futurum est autem ut omnis anima, quae non audierit prophetam illum, exterminetur è populo. *Christus Iesus ecclesiae catholicae sacerdos.* Quia ergo dominus noster propheta est, adeoq; prophetarum princeps, docuit certe. Docuit autẽ uoluntatem patris sui, à quo missus erat, quae uidelicet salutis indipiscendae & ueri cultus dei ratio sit, quis, qualis, & quantus sit deus, qualisq; erga homines, rursus quid deo debeant homines, & quae sint officia pietatis. *Christus doctor.* Ac docuit quidẽ haec, & omnia, quę ad perfectam religionem et ad salutem nostram absolutissimam pertinent, perfectissime planissimeq;: quia Messias uel unctus domini est. De quo in euangelio legis, Messias ubi uenerit docebit uos omnia. Nec ipse docuit solus, delegit insuper sibi apostolos 12. & discipulos 70. quibus huiusmodi mandatum dedit, Ite in orbem uniuersum, & praedi-

cate euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. Et iterum, Docete eos seruare omnia, quæ ego præcepi uobis. Deniq; illos ipsos suos legatos spiritu suo instruxit, per quem ipse, licet corpore assumptus in cœlos, loqueretur per ora apostolorum & ministrorum in ecclesia, adde & in cordibus omnium fideliũ ad finem usq; sæculi. Ideo Ioãnes apostolus dixit, Vos quod audistis ab initio in uobis permaneat. Si in uobis permanserit quod audistis ab initio, & uos in filio & patre permanebitis. Et unctio quam uos accepistis ab eo, manet in uobis: & non necesse habetis ut quisquã doceat uos, sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus, uerax est & non mendacium. Proinde Christus pontifex noster, uerbo & spiritu suo manet in ecclesia, & operatur, docet & agit per ministros in fidelibus. Nam & Paulus, Deus erat in Christo, inquit, mundum reconcilians sibi, non imputans ei peccata sua: & posuit in nobis sermonem reconciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam deo hortante uos per nos. Rogamus pro Christo, Reconciliemini deo. En, deus instituit ministerium uerbi, & ministros uoluit suos tanquam legatos haberi, per quorũ ora ipse ueluti summus princeps & pontifex maximus resonat. Ista itaq; quæ prædicamus, ait apostolus, de parta salute per Christum & oblata nobis uita æterna, nõ aliter à nobis audire & excipere debetis, q̃ si ipse corãm astaret Christus. Nam nos pro Christo fungimur legatione, adeoq; Christus per nos uos adhortatur, ac dicit, Reconciliemini deo. Orthodoxe ergo S. Augustinus Tract. in Ioan. 30. Nos sic audiamus euangelium, inquit, quasi præsentẽ dominum, nec dicamus, O felices qui illum uidere potuerunt. Quia multi in eis qui uiderunt, etiam occiderunt: multi autem in nobis, qui non uiderunt, crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore domini, & propter nos scriptum est, & nobis seruatũ est, & propter nos recitatur, & propter posteros recitabitur donec sæculum finiatur. Sursum est dominus: sed etiam hic est ueritas dominus. Corpus enim domini in quo resurrexit uno loco esse potest, ueritas eius ubiq; diffusa est. Dominum ergo audiamus, & quod ipse donauerit de uerbis eius, &c. Hęc August. Ad hunc autem modum in uerbo suo per spiritum & ministros suos in ecclesia fidelium pontificali munere fungitur dominus noster Iesus Christus, docens ubiq; omnes homines quotidie, ut & pie uiuant, & tandẽ ad ipsum transferãtur in regnũ patris sempiternũ. Nec est ut homines aliũ sibi substituant pontificem, Christi uicariũ, qui leges condat, & doctrina ex scrinio pectoris sui deprompta gubernet ecclesiam, Christus est & manet pontifex in ęternũ, qui uerbo et spiritu suo sancto per fideles suos ministros nihil sibiipsis extra uerbum dei permittẽtes, gubernat ecclesiam.

Christus mediator & intercessor.

Idem dominus noster Iesus Christus unicus & solus est in ecclesia fidelium apud deum patrem mediator, qui intercedit pro peccatoribus.

Solus

Solus enim nouit omnia, etiã corda, & mortaliũ abstrusissima. Solus potest omnia, quia benedicti dei filius est. Solus misericordẽ & fidelẽ pontificẽ agere potest, quia per omnia fratribus suis similis effectus, uerus est deus & homo uerus. Solus ergo inter deum & homines sequestrem potest agere, & intercedit apud deum fidelissime. Ideo enim in cœlos ad dexteram patris ascendit, ut nunc semper appareat in conspectu dei, & intercedat pro nobis. Iccirco apostolus, Christus est, inquit, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram dei, qui & intercedit pro nobis. Et iterum, Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum filium dei, teneamus professionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit condolere infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, iuxta similitudinẽ, absq; peccato. Accedamus ergo cũ fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiã, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium. Et iterum, Cum Christus maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium, unde & saluos facere ad plenum potest qui per ipsum adeunt deum, semper uiuens ad hoc, ut interpellet pro illis. Huc pertinet etiam illud Ioannis, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Proinde fungitur etiã hodie dominus pontificali munere intercedens apud patrem pro omnibus nomen eius inuocantibus. Imò irreligiosum est alium & non solum Christum cõstituere intercessorem apud patrem. Non licebat olim nisi in ara thymiamatis sacrũ adolere thymiama. Constat autem aram nostram esse Christum dominum, thymiamata uero preces sanctorum. His adde quod de confectione & usu thymiamatis legis Exodi 30. Quod si suffimentum aliquod uobis parare uultis, ne feceritis talem confectionem, qualis illa est. Sanctũ enim domino erit. Quicũq; talem fecerit ut eam olfaciat, excindetur è populo suo. Nephas est ergo ullis supplicare creaturis. Omnes enim preces nostræ deo patri, per filium, offerendæ sunt, neq; ullo alio intercessore apud patrem quàm filio uti debẽt fideles. Nam & apostolus, Per ipsum, inquit, offerimus hostiam laudis semper deo, hoc est fructum labiorum confitentium nomini eius. Quid quod ipse dominus Iesus in euangelio dixit, Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petistis quicq; sub nomine meo, Petite & accipietis, ut gaudiũ uestrũ sit perfectũ. Habemus ergo uerũ pontificẽ Iesum Christum, qui ascendit in cœlos, in uerum utiq; tabernaculum, ubi cõsedit ad dexteram maiestatis, sanctorum, ut Paulus ait, λειτουργὸς minister. Ibi enim omnium sanctorum, id est fideliũ, negotia expedit, nunquã fessus, nunquam deficiens, nunquam exhaustus. Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & in illo sumus cõpleti: ut aliũ iam pon-

tificem, alium intercessorē, alium qui negotia nostra agat apud patrem, Christo substituere non modo peccatū sit, sed et piaculum grande. Nam qui humilitatem prætexunt, ideo se alios intercessores apud deum quærere dicentes, quod pecatis polluti, ad Christum accedere non ausint: & incarnationis mysterium non intelligunt, & suam produnt ignorantiam. Ideo enim incarnatus est, ut nobis aditū aperiret ad ipsum deum patrem: testante apostolo, Cum habeamus libertatem adeundi in sancta per sanguinem Iesu, ea uia quam dedicauit nobis recentem ac uiuentem, per uelamentum, id est per carnē suam. Et iterum, Debuit Christus per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis pontifex, in his quæ apud deum forēt agēda ad expiandū peccata populi. Nam ex hoc quod ipsi contigit tentatum esse, potest & ijs qui tentantur succurrere. Sicut ergo solus pro officio pontificali suo intercedit pro peccatoribus, ita solus expiat & purgat à peccatis, non intercessione aut precibus tantum, sed et sanguine. Produnt ergo suam ignorantiam cum dicunt quidam, ideo se diuorum preces & cōmendationes ambire, quod peccatis polluti in conspectum Christi prodire non ausint. Quasi uero abluantur precibus diuorum aut sanguine diuorum. Nisi uera fide & humilitate in cōspectum summi pontificis, qui pro ipsis intercedat apud patrem, et purget eos sanguine suo, prodeant, licet ad rauim usq; clament, nunquam tamen exaudientur, imò in ęternum peribunt. Neq; liberabūtur ab interitu illo suo, per ullam quantumuis pręcellentem creaturam. Christi pontificis nostri hęc gloria est, qui licet corpore in cœlis habitet, omnia tamen sanctorum in terris, per omnes ecclesias, negotia fidelissime apud patrem expedit.

Christus sacrificium uerum & unicum expiat ecclesiam.

Iam quia dominus noster pontifex maximus est, sacrificat etiam, purgat, expiat, atq; iustificat ecclesiam catholicam. Nam catholicus pontifex est: ergo pro omnib. sacrificauit. Quid uero sacrificauit? Sacerdotes quidem ueteres, qui typum gessere Christi, illud sacrificauerūt quod acceperunt à populo. In eo autem his Christus similis factus est. Quod enim à populo (pro quo sacrificat) id est à nobis, accepit, idipsum obtulit. A nobis accepit carnem & sanguinem, id est uerum hominem, proinde semet ipsum obtulit pro nobis, mortuus in carne uidelicet. Nā diuinitas mortis expers est. Ipse tamen qui uerus deus est & homo, pro nobis oblatus est, ideoq; corpus & sanguis ueri filij dei illa ipsa oblatio, hoc sacrificium est, non pecorum carnes aut sanguis, quo expiatur ecclesia: ut idem sit & sacerdos & sacrificiū, plurimumq; hic discriminis sit inter Christū & ueteres pontifices, sicut & in alijs. Id quod diui Pauli uerbis explicabimus. Non in manufacta, inquit, sancta ingressus est Christus, exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc in cōspectu dei pro nobis: non ut sæpius offerat semetipsum, quemadmodum pontifex ingreditur sancta singulis annis per sanguinem alienum. Alioqui oportuisset illum

sæpius

ſæpius paſſum fuiſſe à condito mundo. Nunc autē ſemel ſub cōſummationem ſæculorum ad profligationē peccati per immolationē ſuījpſius apparuit. Et quatenus illud manet homines, ut ſemel moriātur, poſt hoc autem iudicium: ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt ut multorum peccata tolleret, ſecundario abſq; peccato conſpicietur ijs qui illum expectant in ſalutem. Et iterum, Chriſtus accedens pontifex futurorum bonorū, per maius & perfectius tabernaculū, nō manufactum, id eſt, non huius ſtructuræ, neq; per ſanguinem hircorum & uitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta æterna redemptione reperta. Item, Omnis quidem ſacerdos aſſiſtit quotidie ſacra peragens, & eaſdē ſæpius offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic uero una oblata pro peccatis uictima perpetuò ſedet ad dexteram dei, id quod ſupereſt expectans, donec reddantur inimici ipſius ſcabellum pedum eius. Intelligis, opinor, ex minime obſcuris apoſtoli uerbis, pontificē noſtrū Ieſum, non offerre, neq; offerri quotidie. Cum enim filius dei ſit, homo uerus, & purus, ſemel duntaxat oblatus eſt, nec offertur amplius. Vnica enim hoſtia omnia peccata abſtulit. Nam ſemper efficax eſt ad expianda peccata, licet non repetatur. Atq; iccirco deſierunt ſacrificia in paſſione & immolatione Chriſti ſacerdotis noſtri: iterum dicente apoſtolo, Teſtificatur autem nobis & ipſe ſpiritus ſanctus, nimirum cum prædixerit, Hoc eſt teſtamentum quod condam erga illos, poſt dies hos, dicit dominus, dans leges meas in corde illorum, & in mentibus illorum inſcribam illas, & peccatorum atq; iniquitatum illorum non recordabor amplius. Porrò ubi horū eſt remiſſio, ibi nulla eſt amplius oblatio pro peccato. Pleniſſimam ergo peccatorum remiſſionem & expiationem habet eccleſia in morte et oblatione ſummi pontificis ſui Chriſti, qui licet nō immoletur amplius, quotidie tamen, quinimo in ſingula momenta purgat, expiat atq; iuſtificat credentes in nomen eius. Iccirco pontificali ſuo munere utitur quotidie & ſingulis momētis. Eccleſia item aliam expiationem iuſtificationem, atq; purgationem peccatorum non optat, non quærit, nō curat. Nouit enim ſe pleniſſime expurgatam eſſe ſanguine filij dei ſacerdotis & pontificis ſui maximi. In myſterijs cœnæ ſanctæ peragit memoriā ſemel oblati corporis Ieſu, & agit pro expiatione gratias. Et quemadmodum fructus ueterum ſacrificiorum fide percipiebatur, non externa tantum manducatione aut cōmunione: ita fide etiamnum percipitur fructus ſacrificij ſacerdotis noſtri Chriſti in eccleſia ſanctorū. Qui uero uicarios Chriſto ſacerdoti ſubſtituūt, qui quotidie filium dei ſacrificent, in pontificem & pontificatū Chriſti, maxime impij ſunt. In lege dei præcipitur, Nullus homo ſit in tentorio conſtitutionis, cum pontifex ingreditur ad expiandū in ſanctuario. Soli enim Chriſto hæc gloria & gratia in ſolidum reſeruata eſt: neque is ullo eget uicario, cum in momenta pro

officio ſuo pontificali omnes accedentes purget atq; expiet iuſtificetq;. Huc iam pertinet illud prophetæ, Quanquam iniuriam nullam fecerit, & dolus non fuerit in ore eius, dominus tamen uoluit ipſum infirmando atterere, ut ubi poſuerit animam ſuam hoſtiam delicti, uideat ſemen, proroget dies, & uoluntas domini proſpere cedat in manu eius. A labore anima eius uidebit & ſatiabitur: & cognitione ſui multos iuſtificabit iuſtus ſeruus meus, quorum iniquitates ipſe baiulabit. Atq; ad hunc quidem modum ad finem uſq; ſæculi pontificali ſuo munere utetur dominus noſter, cum omnes fideles quotidie uirtute ſacrificij ſemel oblati purificet, expiet atq; iuſtificet in eccleſia.

Chriſtus ſanctificat & conſecrat.

Adde his quod dominus noſter Ieſus Chriſtus non tantũ ſanctus eſt, ſed et ſanctus ſanctorũ, ſicut appellauit Daniel, ſanctũ deniq; illud pręclariſſimũ, ſicut dixit Gabriel, ipſa inquã totius orbis ſanctificatio, ſicut nominauit apoſtolus Paulus. Atq; hic rurſus multis nominib. antecellit cũ ſummo pontifice omnes ſacerdotes Leuiticos. Ideo propheta cecinit in carmine myſtico, Amas iuſtitiã, impietatẽ odis, propterea unxit te deus, deus tuus unxit oleo lætitię pre cõſortibus tuis. Chriſtus enim dominus noſter plenitudinẽ ſpiritus accepit, nullibi ullo delibutus legitur oleo, ſed ipſa re ſignificata per oleũ, ſpiritu ſancto. Quo nimirũ illud Ioãnis pertinet, Nõ ad menſurã dat deus ſpiritũ filio. Pater diligit filiũ, & omnia tradidit in manũ eius. Neq; ſibi ſoli gratiã hanc reſeruat. Vnguentũ enim illud bonũ & pretioſum, quod capiti ueri pontificis infuſum eſt, defluit & in barbã, & in extremos ueſtimenti eius lumbos. Nam dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctificat nos, per ſpiritũ ſuum, per quem cõfert nobis fidem & charitatẽ, efficitq; ut ſimus omnes ſacerdotes Chriſti corã deo patre, conſecrati per pontificẽ maximũ. Ideo enim Ioannes apoſtolus dixit, Ieſus Chriſtus teſtis eſt fidelis primogenitus mortuorũ, & princeps regũ terrę, ipſe dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris per ſanguinẽ ipſius, et fecit nos reges et ſacerdotes deo et patri ſuo. Beatus quoq; Petrus apoſtolus, Chriſtus, inquit, eſt lapis electus, pretioſus & uiuus, ad quẽ accedẽtes ueluti uiui lapides ædificemini, domus ſpiritualis, ſacerdotiũ ſanctũ, ad offerendũ ſpirituales hoſtias, acceptabiles deo per Ieſum Chriſtũ. Vos enim eſtis genus electũ, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, populus acquiſitus, ut uirtutes illius prædicetis qui è tenebris uos uocauit in admirabilẽ lucẽ ſuã. Sacrificant ergo fideles in eccleſia per Chriſtũ ſummũ pontificẽ cõſecrati ſacerdotes, ac ſacrificant ſpirituales hoſtias deo patri per Chriſtum, ſua inquã ipſorũ corpora, & omnia quæ poſſidẽt, offerũt deo preces ſuas, laudes & gratiarumactionẽ, orãt ꝑ fratrib. & impetrant, nõ peccantibus ad mortẽ, dei gratiã. Atq; ad hunc modũ ſummũ agit pontificẽ Chriſtus in eccleſia, quæ quicquid habet ſanctimoniæ ſummo pontifici ſuo acceptũ refert. Ille enim in euãgelio dixit, Ego pro eis ſanctifico meipſum,

ipsum, ut sint & ipsi sanctificati per ueritatē. Proinde omnia summi pontificis munia obit et exercet dn̄s noster Iesus Christus uel hodie in ecclesia sanctorū, manetq́; sacerdos in æternū, unicus sanctorū pontifex fidelis, perfectus, optimus, maximus. Hæc autē de Christo Iesu pontifice maximo sanctorū, & sacerdotio eius perpetuo in ecclesia fidelium hucusq; perstrinximus. Ex quibus id principio intelligūt fideles, quod Christus dominus perpetuò ecclesię suæ præsens est, & q̄modo præsens est, quod is sit unicū ecclesiæ suę caput, quod uitā, sanitatē, iustitiā, sanctificationē, & omne bonū distillat atq; infundit in corpus, in quo uiuit & agit, à quo nunquā recedit. Deinde intelligit stupendā esse blasphemiā, Christi hāc primā & reuera maximā gloriā, homini tribuere, adeoq; antichristū esse q se haberi uult pro sum̄o pōtifice Christi uicario. Nunquā reliq̄t suā ecclesiā in terris pōtifex max. Christus, neq; unq̄; deseret: nullo ergo illi opus in ecclesia uicario. Ipse oīa pōtificis munia obit et perficit fidelissime.

Consideremus nūc & regis munia potissima, uideamusq; quomodo Christus Iesus dominus noster rex sit sum̄us, populi dei princeps & monarcha, optimus, maximus, æternus, inuictissimus, potentissimus. Regis est regere & gubernare suę fidei creditū populum, hunc liberare, seruare & defendere ab interitu. Hoc autē efficiunt reges legū latione, iudicijsq; iustis partim, partim armis & uirtute gladij. Proinde promulgat & condit leges ęquas, iudicat, audit caussas, pronunciat & fert sententiā iustam rex. Idem habet geritq; gladium, quo & suos defendit, iustosq; asserit, & hostes repellit, iniustosq; conscindit atq; reprimit. *Regis & principum munia.*

Dixit sanè dominus, Regnū meū non est hinc. Fugit deniq; cū ipsum populus regē creare uellet, Ioan. 6. Cæterū neq; ijs uerbis, neq; alijs in locis negauit absolute se regē esse: non negauit se regnum habere in terris. Nam habet regnum in ecclesia sanctorū, quæ in terris agit. Negauit aūt se in terris aliorū regū more & ratione, ut uocāt, huius sæculi regnaturū. Eligunt, creātur & coronant reges huius sęculi ab hominib. Christus uero nihil potestatis aut dignitatis regię ab ullis accipit hominib. Nā in carmine Dauidis mystico, dicit pater dn̄i nostri Iesu Christi, Ego uero cōsti tui regē meū super Zion montē meū sanctū. Recensebo decretum (iam inducitur filius loquens) Dn̄s dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me (ait iterū pater) daboq; gētes ut sint hæreditas tua, & terminos terræ, ut sint possessio tua. Sceptro ferreo confringes eos, &c. Habēt reges terreni sua palatia, suas metropoles, ac urbes, præfecturasq; suas. Christus uero nullū in terris habet palatiū, nullā metropolim. Ascēdens em̄ è terris in cœlos, lōge maiora & pręstātiora cōsequutus est. Cœlū em̄ Christi regia est, metropolis est Ierusalē cœlestis, nō terrena, nō sanguinaria et impura Roma: urbes eius sunt regna mūdi: pręfecturę, plagę orbis. Prętera reges huius sęculi parāt plęrūq; regna sua armis, et parata *Regnum meum nō est hinc, excutitur.*

defendunt armis. Habent itaq; exercitus, sed cōtra quos præualet uis hu mana. Christi regnū ut armis non paratur, ita neq; defenditur armis, sed protectione altissimi. Exercitus Christi deniq; inuictus est, contra quem nō præualent ne ipsæ quidē inferorū portæ. Regna huius sæculi ferè u-tuntur pompa, & laudantur ex splendore & luxu. Huius uero in regno Christi nihil inuenias, imò contraria. Iudicia deniq; Christi iusta sunt, ho minum regum plærūq; iniquissima. Erit iustitia, inquit Isaias, cingulum lumborū eius, et fides baltheus feminum eius. Ergo regnū meū, ait domi nus, nō est hinc. Imò per humilitatē et crucē intrauit rex noster in gloriā patris sui. Nonne oportuit pati Christum, ait ipse Christus, & intrare in gloriā suā? Dauid qui Christo prætulit typū, principio eijcitur in exiliū, fit opprobriū hominū, & abiectio plebis, tandē uero post multas ærum nas & calamitates, emergit in regnum florentissimū. Ideoq; dominus no ster humilē prębuit semetipsum, sicut apostolus loquitur, factus obediēs usq; ad mortem, mortē autē crucis: quapropter & deus illū in summā ex-tulit sublimitatē, ac donauit illi nomē quod est supra omne nomen, &c. Ideo uero & Zacharias dixit, Dicite filiæ Zion, Ecce rex tuus uenit tibi humilis mansuetus & sedens super asinā. Hanc humilitatē cum non intel ligunt aut recte æstimant Iudæi, aliū nescio quem Messiam expectant, & uerum propter humilitatē cōtemnunt, cum uel ex unico Dauidis uersu, De torrente bibet, propterea exaltabit caput, mysteria regni Messiæ iam olim, nisi cæci esse mallent, perspexissent clarissime. Regna rursus sæcu-li minime diuturna sunt, quantumuis enim fortia, illustria & ampla sint, mox tamen dilabuntur & intereunt. Porrò regnum Christi ut nullis cir cūscribitur limitibus, ita etiam æternum est. Dabit illi dominus deus, ait ad Mariam angelus, soliū Dauid patris sui, regnabitq; super domum Ia-cob in ęternū, & regni eius non erit finis. Vidit apud Danielē potentissi mus rex atq; monarcha Nabuchodonosor, per insomniū statuam ingen tem, quam tandē lapis cœlitus demissus contriuit, ipseq; mons ingens fa ctus, impleuit totā terram. Ac Daniel interpretatur somnij mysteriū, do cetq; statuā monarchiarū orbis gerere typū, Assyriacæ nimirū & Baby-lonicæ, Medicæ, Persicæ, Macedonicæ & Romanæ. Regnantibus uero regibus principibusue Romanis, lapis, id est Christus dei filius, cœlitus descendens in uterum uirginis, incarnatus & homo factus est, mortuus & sepultus, ascendensq; in cœlum, regnum in orbe terrarū excitauit. De quo Daniel, Temporibus, inquit, regum istorū, deus cœli regnū cōdet, quod æternis temporibus non destruetur, nec imperium eius alteri po-pulo relinquetur. Cōminuet & finiet omnia ista regna, ipsum uero æter num stabit. Sic inquā regnū Christi non est hinc. Oportet item regem nostrum non modo hominē esse uerū, sed et deum uerum, immortalem, æternum, qui omnia norit, omnia possit, ubiq; sit, omnibus per orbem adsit.

adsit. Ergo sicut alij reges à sapientia & prudentia cõmendantur, ita hic noster ipsa sapientia est, uerbũ & consilium patris ęterni: quippe de quo diuinus uates præcinuit, Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperiũ erit super humero eius (nimirũ quia non deponet illud, neq; alterius in humeros inijciet) & uocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Heros fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis. Proferet imperiũ & pacẽ fine cariturã. Super solium Dauidis, & super regnũ eius sedebit, ut instauret & fulciat illud iudicio & iustitia, ab hinc usq; in æternũ. Et sanè ubi dominus noster Iesus Christus natus esset sub Cæs. Augusto: Crucifixus autem, mortuus, & sepultus, tertia item die excitatus à mortuis, & sublatus in coelũ sub Cæs. Tiberio, mox coelitus regnare coepit in ecclesia, quam in hisce terris apostoli Christo ex omnib. gentibus per totum terræ orbem congregarunt. Pugnarũt quidem Romani principes cum Christo nolentes hunc regnare in mundo, sed uicit tandem Christus. Excisa est Roma & flammis concremata, defeceruntq; in occidente Romani principes & imperatores, regibus Gotthorum & Vuandalorum Athalarycho, Genserycho, & Totila de sanguinaria urbe supplicium sumentibus. Atq; ita etiam statua egregie est comminuta. Tunc autem per totum terræ orbem prædicata ueritate euangelica, regnabat in toto terrarum orbe, etiam in medio inimicorum suorum Christus, idem regnabit in ecclesia fidelium, in hisce etiam terris, superato demum & conculcato Antichristo ad consummationem usq; sæculi, deniq; inde quoq; in æternum usq; regnabit in gloria & regno patris sui æterni.

Ergo quia rex est dominus noster Iesus Christus, nomotheta est, legibus æquis & utilibus regnũ suũ, id est ecclesiã instruens atq; gubernans. *Christus legislator est.* Ita enim legis apud Isaiam, Erit postremis temporibus mons domus domini præparatus in uertice montium, & editior erit cunctis collibus, confluentq; ad eum omnes gentes, & proficiscentur multi populi, dicentes, Adeste, & ascendemus in montẽ domini, & ad domum dei Iacob, & docebit nos de uijs suis, ambulabimusq; in semitis eius: quoniam de Zion exibit lex, & uerbũ domini de Hierusalẽ. Ius dicet inter gentes, arguetq; populos multos. Eadem uerbotim repetijt & Michæas. Neq; uero de ulla alia lege loquuti sunt sancti prophetæ dei, quã de euãgelica & apostolica. Hæc enim plene instruit ecclesiã de omnibus quæ ad pietatem pertinẽt, quomodo uidelicet seruus & subditus Christi se gerat erga deum et erga proximos, adde & erga semetipsum. Vanissimi enim sunt, qui clamitant nõ omnia pietatis capita ab ipso domino Iesu ac apostolis eius nobis esse tradita atq; relicta, & ideo multijugis hominũ legibus esse opus. Cicero sanè felicẽ putauit rempub. cum paucis cõtenta legibus, legibus duntaxat Tabularum 12. uteretur. Nemo ergo putet leges regis nostri nimis esse angustas. Sicut enim modo dicere coeperam, uerum dei cultum

pleniſſime tradunt,internum & externum hominem perfectiſſime formant: officia deniq; præſcribunt parentibus,liberis,coniugibus, dominis & ſeruis. Præcipiunt de recto, iuſto, legitimoq; facultatum terrenarum uſu,de contractibus. Decernunt multa contra auaritiam, fraudes, furta,cædes,luxum & iniurias. Formant prætera magiſtratus,ac ſubditis officia præſcribunt. Charitatem & æquitatem ante omnia inculcant, quibus omnia comprehendunt officia,Paulo dicente,Qui diligit alterũ, legem expleuit: domino item in euangelio teſtante, Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines,talia & uos facite illis. Hæc enim eſt lex & prophetę. Ac illa quidem ſententia Alexander Seuerus Romanus imperator adeò delectatus legitur,ut & in palatio et in publicis operibus præſcribi iuberet. Proinde nihil deeſt rerum neceſſariarũ eccleſiæ, quam Chriſtus rex, princeps & dominus abundantiſſime legibus inſtruxit, easq; ſpiritu ſuo per miniſterium uerbi firmiſſime retinet in eccleſia, ijs hanc per ſpiritum ſuum gubernans.

Chriſtus iudicat. Sed & iudicis,id eſt ueri regis officio fungitur in eccleſia dominus noſter Ieſus Chriſtus:id quod nolim duntaxat intelligi de extremo iudicio, quo ueniet in nubibus cœli iudicaturus uiuos & mortuos,ſed de quotidiano iudicandi munere. Audit enim rex Chriſtus quotidie & ſingulis momentis querelas ſanctorum ſuorum. Nam deus eſt,licet homo ſit, uidet ergo et audit omnia. Dum ageret in terris,cogitationes aduerſariorũ ſuorum adeoq; corda eorum inſpexit. Sciuit quæ uentura erant & prædixit. Remota à ſe longiſſime quaſi præſentia uidit. Extra urbem conſtitutus Hieroſolymorum,uirum nondum baiulãtem hydriam, diſcipulis ſuis depinxit, quem hi intro euntes iam nunc baiulare cernebant, ſicuti adumbrarat dominus. Hæc autẽ nondum clarificatus potuit & fecit, clarificatus ergo,& receptus in gloriã,nihil earum rerum neſcit quæ geruntur. Licet enim corpore ſuo agat in cœlis, demittit tamen ueluti clariſſimus ſol,diuinitatis ſuæ radios in terras, ut nihil ipſum fugiat aut lateat. Idem benignus & beneuolus eſt, qui diligenter & libenter ſuorũ cauſas audit,imò priuſquam exponant prænouit. Non enim difficilis eſt, nihil in eo moroſitatis. Dum ageret in terris neminem nõ amiciſſime excepit, ac muneribus onuſtum dimiſit. Multo magis nunc benignus,facilis,munificus & liberalis eſt, cum in gloria & maieſtate patris beneficentiſſimi cõſidet. Vnde apoſtoli omnes homines ad ipſum ceu obuium, apertum & largiſſimum omnis boni fontem inuitant,ut ex eo ad ſatietatẽ omnes hauriant omnia cordis deſideria,inq; huius ſinum ut patroni fideliſſimi, omnes querelas effundant. Neq; enim uota & deſideria ſuorum duntaxat audit,ſed & iudicat iuſte,pronuncians,decernens atq; ſententiã proferens ſanctiſſimam. Iſaias enim, Solium, inquit,præparabitur in beneficentia,ſedebitq; ſuper eo in ueritate,in tentorio Dauidis,iudicans,inquirens

rens iudicium, & accelerans iustitiam. Ergo mature iustos & bonos asse rit, iniustos & malos punit rex noster. Longanimitatis est, nō negligentiæ si quando tardius ad uindictā descēdere uidetur. Non euaserūt impij & uiolenti iram iusti uindicis, si quando tardius puniuntur: quemadmodum idem iudex iustus, iustorum non obliuiscitur, quantumuis grauiter & diu opprimantur. Clamat diuina uox, Dicite iusto quod bene ipsi futurum sit, siquidē fructu studiorum suorum fruetur. Væ autē impio, malo, quoniam secundum opera manuū suarum rependetur ei. Quemadmodum aūt nunquā dormit rex ecclesiæ Christus, ita nulla ipsi præualet uis. Conterit reges & regna, & quicquid in orbe firmum & excellēs est. Priusquā enim uenit in mundum & carnē nostrā assumpsit, regnum Syriæ attriuit, regnum Israëliticum coërcuit, ac regem Assyriorum potentissimum cum ualidissimo exercitu ad internicionem delens, cæcidit. Notissima hæc sunt ex prophetia Isaiæ. Sed & incarnatus dominus noster, & in humilitate adhuc super terras constitutus, suos potentissime asseruit, aduersarios autem repressit & fudit. Nemo enim ignorat quanta uirtute proruentem cohortem in horto oliuarum, ut ipsum caperent, prostrauerit, & inermes discipulos à furore Iudæorum liberauerit: quanta item uirtute omnem aduersariam potestatem fregerit, ipsumq́ sathanam & Belzebub dæmoniorum principem spoliatum regno supplantarit. Porrò in cœlos receptus & clarificatus, regia officia iam longe potentius exercuit, & adhuc exercet in ecclesia. Nam apostolos suos, à principibus sacerdotum & senioribus conclusos in carcerē, per angelum suum liberauit, sicut & Petrum. Herodem autē Agrippam, qui Iacobum Ioannis fratrem truncarat capite in publica concione apud Cæsaream per angelum suum ita afflixit, ut phthiriasi fœdissimo morbo cōsumptus, horribiliter deficeret. Suppeditat autem liber Actuum apostolorū innumera huius generis exempla, ex quibus discere licet potentissimum regem nostrum, suam ecclesiā fidelissime tueri, & iniquos impiosq́ hostes eius horrendis modis disperdere. Nā non inermis et imparatus est rex noster Christus, tametsi nullum gerat gladium ferreum. Habet enim exercitum inuictū, innumeras scilicet angelorū legiones. Cæterū unus angelus legitur ante Hierosolymorum mœnia Assyriorum occidisse centena & octoginta quinq; millia. Atqui regi nostro ministrant angeli millies mille, ac decies mille myriades ante ipsum stant. Habet rex noster mandatis suis obedientem Behemoth, cuius robur & potentiam uix multis absoluit iustissimus uirorum Iob. Deniq; seruiunt regi nostro omnes creaturæ. Eius imperium & dicta reuerentur omnia elementa mundi. Est enim deus sabaoth, præses ille & motor omniū astrorum. Huius nutu cōmouentur, colligūtur & operātur omnes impressiones igneæ, aqueæ & aëriæ. Hic rex noster fulgurat & tonat, totumq́ nutu suo cœlū concutit. Idem habet in

ſua poteſtate omnis generis morbos,quos iuſto ſuo iudicio in terras effundit,uel à terris aufert. Vtitur opera dæmonum atq; armis hominum. Regnãte Nerone Cæſ. uolente ita Chriſto principe & imperatore ſummo, conſcriptus eſt fortiſſimus ex toto penè terrarum orbe exercitus, ac duce Veſpaſiano ductus eſt cõtra ſanguinariũ populum Iudaicũ,in uindictam ſanguinis ſancti ſanctorũ,deniq; ſanctorum dei prophetarũ apoſtolorum & martyrũ,effuſi à gente hac incredula & rebelle. Idem rex & princeps noſter Chriſtus,Gotthos,Vuandalos,Alemãnos, Francos & Longobardos contra ſanguinarium Romanorum imperium excitauit: qui in uindictam ſanguinis innoxij ſanctorum Chriſti martyrum,imperium illud exciderũt funditus,ut poſt nomen inane nihil ſuperſit reliquũ ueteris gloriæ & maieſtatis. Idẽ in diẽ nouos reges & duces fortiſſimos excitat,per quos & ſuos tuetur,& hoſtes ſuos proculcat. Cęterũ ubi uenturus eſt in extremo illo iudicio ſuo,iudicare uiuos & mortuos,tunc omnium illuſtriſſime potentiſſimeq; regiam ſuam maieſtatẽ toti mundo & omni carni declarabit, ſuos uidelicet cultores fideles omnes in cœlos ad ſeipſum transferẽs,contemptores autẽ ſuos & hoſtes populi ſui omnes præcipitãs in tartara. De quo diuinus apoſtolus in hęc uerba ſcripſit ad Theſſalonicẽ. Iuſtum eſt apud deum reddere his qui affligunt uos afflictionem,& uobis qui affligimini relaxationẽ nobiſcũ, cum reuelabitur dominus Ieſus de cœlo cum angelis potentiæ ſuæ, cum incendio flãmæ, qui infligit ultionem ijs,qui non nouerunt deum, & qui non obediunt euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti,qui pœnam luent,interitum æternum,à facie domini & à gloria fortitudinis illius,cũ uenerit ut glorificetur in ſanctis ſuis,& admirandus fiat in omnibus credẽtibus, quod fides habita ſit teſtimonio noſtro erga uos in die illo. Proinde iudiciaria poteſtate & munere regio non tantum in extremo die utetur, licet tunc omnium potentiſſime utetur: ſed exercet illud in ſingula momenta, dum fidelibus ſuis adeſt & conſulit,aduerſarijs ſeſe opponit,eosq; proterit. Eſt itaq; Chriſtus rex eccleſiæ ſuæ,in qua regnat,potẽtiſſimus, qui uidelicet poteſt omnia,qui adeſt omnibus,qui nõ delaſſatur ullis laboribus,neq; ulla frangitur uirtute aduerſaria. Idẽ iuſtiſſimus rex eſt. Nam nullas accipit in iudicio perſonas,nulla munera,iuſtiſſime iudicat, pauperem non negligens,neq; parcens opulento.

Solus Chriſtus monarcha eſt. Huic regi ſummo,iuſtiſſimo,clementiſſimo,potentiſſimo & æterno debẽt merito & poſſunt tutò credere & obedire omnes homines. Nam in uno hoc & ſolo omnia inueniũt quæ à ſanctiſſimo & abſoluto omnibus numeris rege requiruntur. Hic monarcha eſt,& manet in æternum. Nullum ſibi ſubſtituit uicarium. Ideoq; regni inuaſor eſt, quiſquis ſe regis Chriſti in terris uicarium eſſe iactitat: factioſi & defectores ſunt, qui inuaſori atq; tyranno adhærent. Id quod nolim ſic intelligi, quaſi Chriſtus rex

ſtus rex omnes in terris reges regnis ſuis exuat, neminemq́ in terris porrò regnare uelit. Etenim rex eſt regū Chriſtus, & dominus dominantiū, & princeps magnatū terræ: proinde habet ſub ſe reges, principes & dominos. Alioqui enim non eſſet rex regum. Cæterum reges, principes & domini illi terreni, ſummi principis et monarchæ Chriſti uaſalli & beneficiarij ſunt. Qui uero hoc non agnoſcunt, & Chriſto regi ſe non ſubijciunt, dum regnant in terris, ſentient aliquando iudicem ſeueriſſimū. Porrò qui id agnoſcūt, & Chriſto obediunt, hi omnia ſua ex doctrina & ſpiritu Chriſti inſtituunt: quæ impia & contra Chriſtum recepta ſunt abrogant, reſeruant autem quæ Chriſto nō repugnant: breuiter, leges omnes ad regulā Chriſti reformant, & ſeipſos unà cum regnis ſubijciunt & dedunt Chriſto: quemadmodum Conſtantinus, Valentinianus, Theodoſius, & alij reges atq́ imperatores fecíſſe leguntur. Sic autē monarcha & rex regum Chriſtus eſt atq́ manet. Huc iam pertinet quod Dauid in carmine myſtico regem Chriſtum & regnum eius deſcribens, tandemq́ ad principes orbis conuerſus canit, Sapite ergo ô reges, erudimini iudices terræ. Seruite domino in timore, & exultate cum tremore. Oſculamini filium ne iraſcatur, & pereatis à uia, breui exardeſcet furor eius. Beati omnes qui ſperant in eum. Dominus item apud Iſaiam conſolans eccleſiam conquerentem de paucitate fideliū, dicit, Ecce tollam ád gentes manum meam, & ad populos ſignum meum erigam, & adferent tibi filios in gremio, & filiæ tuæ in humeris portabuntur. Et erūt reges nutricij tui, & reginæ eorum nutrices tuæ: uultu ad terrā demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorū lingent, & ſcies quod ego ſum dominus, et quod non pudefient qui me expectant. Iccirco ſummus monarcha in orbe Chriſtus eſt, licet à multis ipſi regibus cōtradicatur. Nam is eſt de quo Dauid rurſus cecinit in carmine myſtico, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellū pedum tuorum. Dominus emittet uirgam tuæ potentiæ è Zion, dominare in medio inimicorū eius. Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges. Iudicabit in gentibus, & omnia plena cadaueribus erunt, conquaſſabit capita in multis regionibus. De torrente in uia bibet, ac propterea exaltabit caput.

Chriſtus eſt rex regum.

Hæc hactenus diximus de uero noſtro Melchizedek, de rege inquā & pontifice domino noſtro Ieſu Chriſto, regnante in eccleſia, et pleniſſime ſanctos atque fideles perficiente, ut his nulla alia opus ſit uirtute ſaluifica, nullo pontifice alio, nullo interceſſore alio, nullo ſacrificio alio, nullo propheta alio, nullo deniq́ rege, principe, iudice, aſſertore, protectore & uindice alio. Regnat hic & uiuit in æternum, benignus, facilis, expoſitus, & liberalis erga omnes qui ipſum uera fide & ſpe adeunt. Porrò regem hunc & pontificem copioſius deſcribit euangelica hiſtoria. Eadem plenius docet fidem, ſpem & charitatem, qua ſubijci-

mur & seruimus regi Christo. Ad ipsam ergo enarrandam nunc descen dimus, ut breuitatem huius compendij de rege & pontifice Christo copiosiore sarciamus expositione. Breuis quidem & parca est Marci expositio si spectes uerba, copiosissima uero & amplissima si sensum & spiritum pensites. Distinxi Explanationum siue Commentariorum opus in libros VI. ac breuitati & ipse in his studui, non ut pari felicitate cum S. Marco me breuiter dicere posse putem: sed quia Commentarijs in Matthæum æditis singula ferè copiosius enarraui. In præsenti satis esse putaui si totum historiæ contextum diligenter & pro mea facultate fideliter connecterem, obseruatisq; & cōsignatis locis potioribus ad Matthæum relegarem. Sed & pauci adeoq; nulli apud ueteres in hunc scripsere historicum, non aliam opinor ob causam, nisi quod explicato Matthæo & hunc explicatum esse putarent. Ego certe ex uetustis neminem uidi qui hoc euangelium enarrarit. Nam Theophylactus, alioqui nō indiligens interpres, ferè numeratur inter neotericos. Hieronymi commentarios, qui circūferuntur & ferè allegorias contexunt atq; nectunt, putauit non sine grauibus rationibus D. Eras. non magis sapere Hieronymū quàm sorba ficum. Ex neotericis interpretibus nullum post beatæ memoriæ Zuinglium hactenus uidere contigit, nisi unicum hunc Eras. cuius uerbis & expositione ideo utimur frequēter, quod & doctus, perspicuusq; fuit interpres, & diligentissimus ueterum interpretum lector.

Has uero lucubrationes nostras tibi Froschouere, dilectissime compater, dedico, idq; pro amore in te meo ac propter studium illud tuum ardens erga caussam euangelicam, quam tu omnibus modis promouere contendis. Nullis enim laboribus, nullis sumptibus parcis, ut multis per orbem hominibus ueritas illucescat euangelica per typographiam, quæ salubri & admirando dei consilio ibi etiam prædicat, ubi prædicatores ac ministri Christi uel planè obticescunt, uel per tyrannidem prædicare nō possunt. Ac tua hæc fides singularisq; diligētia tibi tuisq; profuit hactenus non parū, deniq; non modicis laudibus ornauit te apud domesticos atq; exteros. Tu uide ut tui perpetuò similis sis, ut pergas benefacere multis. Nam qui in finem usq; perseuerat, iustam demum promeretur laudem. Gratia domini nostri Iesu Christi sit tecum. Tiguri Mense Augusto, Anno Domini M. D. XLV.

DE S. MARCO EVANGELISTA ET OPERE EIUS EVANGELICO.



PUTAT Epiphanius Salaminæ Cypri episcopus S. Marcũ è numero fuisse 70. discipulorum domini, qui uidelicet ipsum dominum Iesum in carne & uiderunt & audierunt. Id si uerum est, uidetur & illud uero nõ dissimile quod Theophylactus refert Marcum hũc alio nomine appellatum fuisse Ioannem. Fuit ergo Marcus ex circuncisis, Hierosolymitanus ciuis, filius Mariæ illius, cuius mentionem faciunt Acta apostolorũ in cap. 12. Proinde fuit & Barnabæ consobrinus siue patruelis cuius meminit & apostolus Paulus ad Coloss. cap. 4. Propter hunc nimirum, ut testantur Acta apostolorũ, acriter inter se cõtenderunt Barnabas & Paulus, illo Marcum defendẽte ac secum ducente, hoc uero grauiter repellẽte, Barnabæ iccirco aliquandiu adhæsit Marcus in munere & legatione euangelica apostolicaue, tandem coniunxit se Petro apostolo. Nam S. Hieronymus ipsum Petri & discipulũ & interpretem nuncupauit. Eusebius enim Eccles. hist. lib. 2. cap. 15. Fratres, inquit, Marcum Petri discipulum urgentibus orant precibus, uti ea quæ ille uerbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habẽdam, scripturæ traderet: quo domi forisq; in huiuscemodi uerbi meditationibus permanerẽt. Nec prius ab obsecrando desistunt quàm quæ orauerant impetrarẽt. Et hęc fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur euangelium. Petrus uero ut per spiritum sanctum religioso se spoliatũ comperit furto, delectatus est, fidem eorũ deuotionemq; per hæc consyderans, factumq; confirmauit, & in perpetuum legendam scripturam ecclesijs tradidit. Clemens in sexto dispositionũ libro hæc ita gesta esse describit. Et illa hoc modo leguntur apud Eusebium. Hinc factũ arbitror, quod quidam interpretum hunc historicum numerant inter illos, qui quæ tradunt ecclesijs ab alijs acceperunt: quibus id nimirũ uidetur, quod & euangelica historia proditũ legimus, dominũ Iesum elegisse quidẽ discipulos LXX. sed peculiariter tamen mysteria regni dei aperuisse apostolis XII. Proinde Petrũ exactius potuisse testari de singulis dictis & factis Christi domini, quàm Marcum, licet & hic uiderit audieritq; ipsum dominum. Itaq; uisum est illis Marcum euangelica historia prodidisse ecclesiæ Christi illa quæ ipse partim uidit & audiuit, partim uero ab apostolis Christi, maxime autẽ Petro accepit. Ego uero ut negare non possum S. Marcum Christi & Petri fuisse discipulum, & à præceptore Petro didicisse audisseue quamplurima: ita rursus euãgelicæ historiæ ueritatem & authoritatem non possum deriuare, nisi à spiritu ueritatis: ex quo constat scripsisse Marcum, & docuisse Petrum, ut propter cõmunem spiritum nõ minus credi debeat S. Marco discipulo aut apostolico, quã ipsi S. Petro magistro et apostolo. Alioqui et discipulos è numero LXX. nõ minus quàm ipsos apostolos XII. de Christo testificari posse, sed & plenam fidem mereri, illud manifeste arguit, quod ipse S. Petrus in Actis dum surrogandus erat in perditi Iudæ locum alius apostolus, dixisse legitur, Oportet ut ex his uiris, qui nobiscũ uersati sunt toto tempore quo dominus Iesus perpetuam uitæ consuetudinem egit nobiscum (siue ut linguæ sacræ idiotismus habet, In quo intrauit & exiuit inter nos) exorsus à baptismo Ioannis ad eum usq; diem, quo receptus est à nobis, unusquispiam constituatur, qui sit unà nobiscũ testis resurrectionis eius. Nihil ergo uilior aut leuior haberi debet à quoquam S. Marci testificatio, quod apostolicus non apostolus, & è numero LXX. discipulorum, non è choro apostolorum duodenario fuit. Cæterum assumpto euangelio quod ipse conscripserat, perrexit in Aegyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit ecclesiam illustrissimam sanctissimamq;. Inde uero euangelij fulgor in uniuersam resplenduit Aphricam, in Pentapolim, Libyam, atq; cæteras Aphricæ partes. Excessit tandem Alexandriæ anno Neronis 8. à morte Christi domini trigesimoprimo, succedente sibi Aniano. Seruiuit ergo Christo pontifici & principi monarchæq; summo, ac castissimæ eius sponsæ ecclesię, annos plus minus 30. Quid quod relicto scripti sui monimento uel hodie seruit ecclesiæ, docendo ac testificando, seruietq; donec sæculum finietur.

Marcus discipulus Christi è numero 70.

Marcus discipulus S. Petri apostoli.

Ex æquo merentur fidẽ & apostoli & apostolici.

Quibus prædicarit & quos conuerterit S. Marcus.

De tempore quo euangelium scripsit S. Marcus nil certi habeo. S. Augustinus de Consensu euangelistarum appellat Marcum Matthæi pedissequum & abbreuiatorem: icciro euangelium Marci à multis Epitome euang. Matthæi appellatum est. Certe Marcus breuitati studuit, grauissimaq; & maxime perspicua breuitate per 16. capita exponit, quæ Matt. per 28 ca. copiose enarrauit. Theophylactus, Character, ait, euangelij secundum Marcum manifestus est, nihilq; habet obscuritatis, aut in quo mẽs hæreat. Et ferẽ per omnia cum Matthæo eundem habet processum, nisi quod Matthæus diffusior est. Omnia illius uiuacissima quadam euidentia florent atq; uiuunt. Delectum quoq; adhibuit in ipsis rebus. Verbis utitur proprijs maxime & perspicuis. Ordine progreditur pulcherrimo & ad docendum appositissimo. Fucum sæcularis sapientiæ & loquentiæ nuspiam rei per se alioqui splendidissimæ illeuit: tota dictio uiget spiritus sancti ueneranda maiestate & eloquentia. De quibus recte iudicabũt quorum pectora spiritu sancto, quo authore hoc scriptum est proditum, non destituuntur. Dominus Iesus illuminet nos omnes luce sancti sui spiritus, Amen.

Euang. Marci Epitome euãg. Matthæi.

COMMENTARIORVM IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

LIBER PRIMVS.


VSPICATVR historiam euangelicam S. Marcus à baptismo & doctrina Ioannis Baptistæ, indicans quid docuerit, quid de Christo domino testificatus sit, quomodo se gesserit, ac Christum dominum baptizarit. His adijcit protinus quomodo unctus reuelatusq; sit Christus, quomodo tētatione graui sit exercitatus, postremo quomodo prodierit ac regnum dei prædicarit. Hic uero adhibet sibi ab initio protinus dictorum & factorum suorum testes, uocans aliquot discipulos, quos formet orbis totius doctores, quando uenerat totum orbem ueritatis doctrina illuminaturus, atq; redempturus ex potestate peccati, mortis, inferorū, atq; Sathanæ. Illis subiungit maximum doctrinæ Christi effectum atq; uirtutem. Omnes enim stupent super doctrina eius. Coercetur imò & eijcitur sathanas, qui Christo cū tremore cedit. Postea describitur ipse Christus et uirtus Christi omnipotens, ex factis. Omnes enim morbos curat, omnia mala pellit, peccata remittit, peccatores iustificat & restituit integritati. Suppeditantur interim uaria fidelibus exempla, in ijs qui Christum imploraturi opem accedunt, quomodo nos quoq; oporteat accedere ad Christum. Mox repurgat dominus ieiunia & ferias populi sui ab erroribus pharisaicis, interim & uires suas depromit, demonstrans se esse filium dei. Cæterum cum ad hunc modū satis se insinuasset suorū animis ut iam intelligere inciperent uirtutē Christi filij dei, ex ipsis designat duodecim, quibus prædicandi euangelij munus iniungit, eosdē & potētia edendorum miraculorū instruit. Deinde ostendit quod successus euangelij & miracula euangelica uirtuti diuinæ, non sathanæ aut magiæ sint tribuenda. Sed & suo exemplo indicat quales esse oporteat uerbi dei prædicatores, qui nimirū renunciarint carni & sanguini, & qui sint filij dei. Ex qua occasione protinus differit copiose de semine ex quo nascūtur filij dei, de auditu uidelicet uel auscultatione uerbi dei, de effectu, ui, successu & fructu uerbi dei. Quæ omnia elegantißimis inuoluta & cooperta parabolis proponit. Adiungit itē morbos uitia & pericula quibus obnoxiū est semē dei, ubiq; interim uirtutē Christi maximam prædicans.

CAP. I.


NITIVM EVANGELII IESV CHRISTI FILII DEI, sicut scriptum est in prophetis, Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius.

Insolitum auribus nostris loquendi genus orationem nonnihil reddit obscuram. Si ergo sic ordinaueris uerba euangelistæ, clarior erit sententia, Euangelium Iesu Christi filij dei ad eum modum incœpit, sicut scriptum est in prophetis. Vel, Euangelium Iesu Christi filij dei tale habuit initium, quale habiturum prædixerunt prophetæ. Iam adde his quibus absoluatur sensus. Prophetæ uero, Malachias nimirum & Isaias, prædixerunt fore, ut præambulo quidam illustris proxime aduentui & prædicationi Christi domini præcurrat, qui in deserto prædicet & præparet uiam uenienti Christo. Venit ergo Ioannes Baptista, prædicans in deserto & uiam Christo præparans: qua re saluti humanæ & negotio per Christum absoluto redemptionis, euangelio inquam, initium dedit &c.

Titulus et argumentū operis. Præfigit autem hoc modo operi titulum Marcus, & in titulo comprehendit argumentum operis. Titulus est, Euangelium de Iesu Christo dei filio. Argumentum est, Dicetur de Iesu Christo dei filio, quomodo saluos faciat credentes. Nam euangelium definijt Paulus potentiam esse dei ad salutē omni credenti. De Euangelio dixi in Commentarijs nostris ad Matt. & Ioan. Cōmendat ergo semetipsum orbi opus ex materiæ præstantia & dignitate. De filio dei contexitur historia, ac de uera salute & felicitate mortalium. Dei filio nihil præstantius habet hic orbis. Insitum autem est cunctis mortalibus ut felicitatem expetant: quæ ut spinosis di-

spulatio-

ſputationibus philoſophorum inuoluta, & mendacijs obſcurata imò ſurrepta eſt mundo: ita eadem apoſtolorum & euangeliſtarum ſimpliciſſima clariſſima & ueriſſima doctrina proponitur adeoq; reſtituitur. Hic finis, hic fructus eſt huius hiſtoriæ euangelicæ ſecundũ Marcum æditę. Huc properet quiſquis ſalutaria & maxima quæq; de Ieſu Chriſto dei filio, rege ſummo & põtifice maximo, quiſquis deniq; ueram compendiariam & certiſſimam rationem conſequendi ueram & æternam felicitatem audire & cognoſcere cupit.

Marcus mox ab initio diſertis uerbis Ieſum Chriſtum dominum noſtrum appellat filium dei, ſicut & Ioannes poſtea fecit. Matthæus nuncupauit filium Dauidis. Cum autem hæc ſcriberet Marcus, nondum uenena ſua effuderant contra diuinitatem Chriſti, ſathanæ progenies hæretici. Simpliciter ergo dei filium appellat dominum, non addens uerum, naturalem, ſubſtantialem, non adoptiuum, nuncupatiuum aut ſimile quidpiam: quæ poſtmodum ex contentione exorta & neceſſario adiuncta ſunt. Ab initio enim cum dominus noſter ab apoſtolis appellabatur dei filius, id omnes intelligebãt non de adoptato patris filio, ſed genuino & uero naturali adeoq; coæquali patris filio. Nam nemini obſcurũ tunc erat, quamobrem ipſum in crucem egiſſent male grati Iudæi, nimirum quod ſibi patris uſurpaſſet gloriam. Apud Pilatum enim ante prætorium una uoce exclamabant omnes, Nos habemus legem, & ſecundum legem noſtram debet mori: quia filium dei ſe fecit. Atqui gloriabantur omnes Iudæi ſe eſſe filios dei, nimirum adoptatos à deo. Itaq; Chriſto non id impingunt criminis, quod ſe appellaſſet adoptatum dei filium. Nam pro crimine non habebatur inter ipſos, imò glorioſum erat uocari filios dei: ſed quia naturalem & conſubſtantialem ſe dei filium, patri æqualem per omnia eſſe prædicarat, & uere quidem prædicarat. Ab initio itaq; fideles ſimpliciter & recte intelligentes ſcripta & dicta apoſtolorum & euangeliſtarum, nihil dubitabant de uera filij diuinitate: quam poſtea impijs ſuis diſputationibus in dubiũ uerterunt ſpinoſi hæretici. De quibus dictũ eſt in euangelio Ioannis. Qui ſapiunt docti & indocti, fidei ueritatem & ſimplicitatem tenentes, confitentur Ieſum Chriſtum & filium eſſe dei, & filium Dauidis, uerum inquam deum & hominem: abhorrent autem ab irreligioſis diſputationibus impijsq; & blaſphemis aſſertionibus hæreticorum. Niſi enim dominus noſter uerus & naturalis eſſet deus & homo, nunquam poſſet eſſe mediator inter deum & hominem, nunquam eſſet rex & pontifex omnium fidelium & ſaluator mundi.

Chriſtus Ieſus dei filius.

Porrò euangelij de Ieſu Chriſto dei filio negotium, ab ipſo cœpit Ioanne baptiſta & prædicatione eius. Diſerte enim Marcus, Initium, inquit, euangelij, prout ſcriptum eſt in prophetis. Sed & Petrus apoſtolus in Actis cap. 10. eius exordium inde deducit. Vbi ſunt itaq; illi, qui contendunt Ioannem non fuiſſe euãgeliſtam, ſed medium inter legem & euangelium? Illud rurſus nemo ſic intelligat, quaſi ueteres ante Ioannem baptiſtam omni caruerint euangelio. Habuerunt enim euangelij promiſſiones ampliſſimas & ſplendidiſſimas. Cæterum nobis præſtitit quod illis promiſit: unde retecto & exhibito gaudemus euangelio: & Ioannes prædicabat iam nunc appropinquaſſe regnum dei, & medium aſtare quem uotis ardentiſſimis exoptauerint ſanctiſſimi quiq;, imò eundem demonſtrauit digito adiectis ſimul hiſce uerbis, Ecce agnus dei qui tollit peccatum mundi. Ac quo plus fidei inueniret expoſitio Marci, prophetarum uaticinia producit in medium. Gemino autem utitur teſtimonio, altero quidem ſumpto ex Malachiæ cap. 3. altero ex cap. Iſaiæ 40. Minatur dominus apud Malachiam Leuitis non bona fide ſuo fungentibus officio grauiſſima quæq;, tandem uero & deiectionem de gradu, abdicatio-

Euangelij negotium prædicatione Ioannis inchoatum eſt.

Exponitur locus Malach. 3.

nemq́ officij & muneris sacerdotalis. Quibus addit dominum alios sibi delecturum ministros, qui in officio fideliores ac diligentiores sint futuri, apostolos nimirum, ac in primis legatum illum insignem, qui ipsum Messiam sit præcessurus, Ioannem baptistam. Verba prophetæ hæc sunt, Ecce ego mitto legatum meum, qui complanabit uiam ante me, subitoq́ ad templum sanctum suum ueniet dominus, quem uos quæritis, & legatus fœderis quo uos delectamini. Ecce uenit, ait dominus exercituum. Quis uero diem aduentus eius sustinuerit? aut quis eum se conspiciendum præbet, consisteret? Est enim ueluti ignis excoquens, & ut borith fullonum. Sedebit itaq́ excoquens & repurgans argentum, filios Leui mundabit, expurgabitq́ eos ut aurum & argentum &c. Primum mittitur angelus, legatus inquam & præambulo Christi Ioannes, qui complanat & parat uiam Christo, per prædicationem præparans corda fidelium ad recipiẽdum Messiam. Deinde subsequitur mox quasi insistens ipsius Ioannis uestigijs ipse Christus, legatus fœderis, is nimirum qui sanguine fuso nouum & æternum fœdus inter deum & homines ferit, quem desyderant & quo delectantur omnes sancti. Venit autem in templum suum, in ipsam uidelicet sanctorum ecclesiam: in qua dum omnia iuxta patris sui uoluntatem reformat, Leuiticos etiam sacerdotes excoquit atq; repurgat ueluti argentum, deiectis plerisq; de gradu, & seruatis aliquot certe opidò paucis ad ministerium euangelicum prædicatoribus. Locum Isaiæ tractaui in Matth. cap. 3.

Baptizabat Ioannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.

Quid & quomodo egerit Ioannes baptista. Exponit quomodo impleti sint sermones prophetarum, uidelicet quomodo præambulo Ioannes uenerit, euangelij negotium incœperit, uiamq́ præpararit Christo principi. Baptizabat, inquit, Ioannes in deserto. Baptizabat autem ex instituto dei aquis Iordanis homines Christianismo sese dedere uolentes. Vnde & nomen baptistæ inuenit. Primus enim deo iubente homines aquis baptizauit, & ita Christianismo dedit initium. Rogas an tantummodo baptizarit? Sequitur, Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Baptizauit quidem aquis Ioannes, sed interim docuit, & auditores ad baptismum recipiendum adhortatus est. *Lucæ 24.* Doctrina Ioannis duo habuit capita potissima, sicut & apostolica, nempe Pœnitentiam & remissionem peccatorum. Docuit enim pœnitentiam, atq; suasit omnibus hominibus, ut se conuertant ad deum, agnoscant peccata, confiteantur ea deo, & credant illa sibi per Christum esse remissa. De hac doctrina Ioannis plura require ex tertio capite Matthæi, & Ioannis capite primo. *Baptismus.* Iunxit doctrinæ symbolum baptismi. Baptismus signum est pœnitentiæ & remissionis peccatorum, quo deus attestatur se credentibus peccata abluere siue remittere, & quo nos pœnitentiæ per omnem uitam agendæ consignat atq; admonet. Commode ergo & recte qui prædicabat pœnitentiam & remissionem peccatorum, simul conferebat symbolum pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Sic inquam prædicando & baptizando initium dedit euangelio. De Baptismo dixi apud Matth. in cap. 3.

Et egrediebantur ad eum tota Iudæa regio ac Hierosolymitæ, & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua.

Fructus prædicationis Ioãnis. Sequitur quomodo populus exceperit prædicationem noui illius præconis & euangelistæ. Non enim caruit fructu suo uerbum dei per ipsum prædicatum.

Accur

Accurrunt ergo confertim Iudæi & Hierosolymitæ omnes, bona nimirum populi portio, ex omnibus Iudææ partibus ciuibusq; Hierosolymitanis, & baptizabantur ab ipso. Simul autem confitebantur peccata sua. Respuit enim baptismum qui nulla sibi purgatione ablutioneq; opus esse credit. Ergo hoc ipso quod baptizabantur, palam testificantes confitebantur se esse peccatores, quibus purgatione criminum esset opus. At Ioannes addebat credentes per Christum purgari à peccatis. Ego enim, inquit, baptizo aqua, ille autē baptizabit uos spiritu sancto & igni: Christus inquam uere à peccatis purgat & spiritum sanctum cōfert. Huic ego uos præparo. Plura require ex 3. cap. Matth.

Erat autem Ioannes uestitus pilis camelinis, & zona coriacea circum lumbos suos, uescebaturq; locustis & melle syluestri.

Adumbrat hisce mores doctoris huius euangelici. Permultum enim refert quibus moribus præditus sit doctor ueritatis, ne uidelicet uita improba deijciat, quod sana alioqui extruxerat doctrina. Proinde uita & mores Ioannis baptistæ per omnia respondebant doctrinæ. In uestitu enim & uictu hominis mores relucent maxime. Verum is parabilis fuit, frugalis & temperans: fuit itaq; tota hominis uita sanctissima temperantissimaq; per omnia. De his copiosiora dedi in tertio capite Matthæi. *Mores euāgelici doctoris.*

Et prædicabat dicens, Venit qui fortior est me, post me, cuius non sum idoneus, ut procumbens soluam corrigiam calceamentorum eius. Ego quidem baptizaui uos aqua: ille uero baptizabit uos spiritu sancto.

In genere dixit Marcus Ioannem prædicasse, iam etiam quid prædicarit populo subiungit, Prædicauit Christum Iesum, & in ipso remissionem omnium peccatorum: quippe cum sit omnipotentis dei patris omnipotens filius, Messias uerus, cui nulla potest creatura quantumuis sancta & excellens, conferri. Deinde sedulo adhortatus est uenientes ad pœnitentiam, exposita ui significationeq; baptismi, quod conferebat. Reliqua pete ex 3. cap. Matthæi, & primo capite euangelij secundum Ioannem. *Ioan. bap. Christum prædicat.*

Et factum est in diebus illis, ut ueniret Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizaretur à Ioanne in Iordane. Et statim cum ascenderet ex aqua, uidit diffindi cœlos, & spiritum tanquam columbam descendentem super illum. Et uox edita est è cœlis, Tu es ille filius meus dilectus, in quo placatus sum.

Omnia quæ hucusq; dixit & fecit Ioannes, in hoc dixit & fecit, ut plebem Christo præpararet, adeoq; absoluerat iam suum officium, nec restabat aliud, quàm ut ipse dei filius iam ueniret, à Ioanne populo digito monstraretur, totiq; mundo reuelaretur à patre. Id uero quomodo factum sit præsentibus describit S. Marcus, Venit, inquit, Iesus à Nazareth uiculo Galilææ, in quo fuerat nutritus atq; educatus: uenit inquam humilis, nullo comitatu, ut quiuis è plebe, & inter peccatores, ac ad baptismum uenit. Baptizatur enim à Ioanne, atq; corpori omnium credentium inseritur, ne dubitemus illum omnino esse nostrum. Deinde sanctificat Christianum baptisma iam antea etiam diuina institutione sanctificatum, docens sacramenta non esse contemnenda aut etiam negligenda. Vbi autem baptizatus esset & iam in hominum frequentia ex Iordane ascenderet, inungi- *Reuelatur populo Iesus Christus.*

tur inauguraturꝙ à patre, & testimonio patris cœlitus edito reuelatur declaraturꝙ orbi,quis sit, & quid per ipsum habeant credentes. Vidit enim Ioannes (nam ad Ioannem baptistam referendum esse uerbum Vidit, docet euangelista Ioannes in capite primo) diffindi cœlos & spiritum sanctum in specie columbæ cœlitus descendere, & capiti Iesu insidere. Ita inungebatur inaugurabaturꝙ regno & sacerdotio, signo uisibili, qui alioqui plenitudinem spiritus habebat. Edita uero cœlitus uoce dei patris declarabatur, quis sit hic unctus siue Messias, & quid ab ipso & in ipso habeamus, reconciliationem, gratiam dei, pacem, iustitiam & uitam. Sed quid attinet de singulis exactius disputare, cum copiose de ijs disseruerim Matth.3.& Ioan.1.

Christus unctus

Et continuo spiritus illum expellit in desertum, & erat illic in deserto dies quadraginta, & tentabatur à sathana, eratꝙ cum feris, & angeli ministrabant illi.

Vnctionē sequitur tentatio.

Baptismum Christi & unctionem, non deliciæ & uoluptas, sed grauis & periculosa sequitur tentatio, ut hinc disceremus quid expectent, qui nomina sua in baptismo huic dederunt principi. Oportuit illum præterea qui uenerat seruaturus credentes, & probari per omnia & uincere in omnibus. Hæc explicata sunt à nobis in quarto capite Matthæi. Matthæus enim plenius tentationem hanc depingit. Addit Marcus dominum uixisse inter bestias siue feras, quo significare uoluit dominum quadraginta diebus & noctibus plane abstinuisse ab omni consortio & solatio hominum: ne uidelicet nos quoq; pigeat, si ita tulerit casus & gloria dei flagitarit, degere cum feris: quemadmodum & Heliam fecisse legimus & prophetas Hebr.11.cap.

Postquam autem comprehensus esset Ioannes, uenit Iesus in Galilæã, prædicans euangelium regni dei, & dicens, Impletum est tempus, instatꝙ regnum dei: resipiscite & credite euangelio.

Prodit Christus.

Prodit nunc dominus cui Ioannes uiam aperuerat, ut regnum dei prædicans, ipse iam in electis regnare inciperet. Notatur ante omnia tempus & locus. Tempus, Vbi in uincula coniectus esset Ioannes. Locus, Galilæa. De utroq; dictum est Matthæi capite quarto. Porrò in genere dicit quid prædicarit docueritꝙ Christus dominus, Euangelium regni, lætum haud dubie nuncium de Regno dei, nempe quomodo participes fiamus regni dei, ut dum hic uiuimus in terris, regnet in nobis Christus, & ubi hinc soluerimus, quomodo in regnum dei recepti regnemus cum illo in sæcula sæculorum. Non autem contentus est Marcus scopum & summam consignasse prædicationis domini, quinimo formulam certam prædicationis eius statim subiungit, certè ut ex una æstimemus alias omnes. Interim uerbotim non commemorauit omnia quæ dixit, sed potissima ac prima capita: quorum quatuor hic consignantur. Primum, Impletum est tempus. Dependet hoc ex promissionibus ueteris testamenti. Lex enim & prophetæ certum aliquod tempus designarant in quo salus omnium credentium perficeretur per incarnatum & mactatum dei filium. Daniel enim à Gabriele archangelo audit, Septuaginta hebdomades præfinitæ sunt populo tuo & urbi tuæ ad consummandum scelus, & perficiendum peccata, & expiandum iniquitatem, & ad iustitiam sempiternam adducendum, & obsignandum uisiones & prophetas, & ungendum sanctum sanctorum. Iam uero, Hoc, inquit Christus, tempus impletum est. Ex eo sequitur secundum, quod ipsum etiam explicat primum, Instatꝙ regnum dei. Per Christum enim aperitur credentibus aditus ad patrem in regnum dei, denique

Quid prædicarit Christus.

Impletum est tempus.

Instat regnum dei.

que regnat deus super terram quoque spiritu, ui & uerbo suo in medio fidelium suorum. Omnia ergo quæ de salute & uita æterna, de iustitia sanctorum, de regno dei in hoc sæculo, prædixerunt prophetæ, iam nunc instant, inquit, & exhibentur atque complentur per Christum. Docuit itaque quos per Christum thesauros habeamus. At dicat aliquis, Quomodo illorum fiunt participes homines? Sequuntur duo residua capita, Tertium, Resipiscite. Quisque in semetipsum descendat, qualis sit corruptus peccator & damnatus ex seipso, agnoscat, confiteatur peccata, denique ab ijs auersus conuertatur ad misericordiam dei. Sequitur enim quartum, quo absoluitur tertium, Et credite euangelio. Tametsi sentitis uos esse peccatores & iusto dei iudicio damnatos, attamen ne desperaueritis in peccatis uestris. Credite euangelio annuncianti quod deus propter peccatores filium unigenitum misit in mundum, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Credite ergo in filium dei saluatorem mundi. Fide percipite dona dei, fide coniungamini deo. Loci ergo communes quos tractauit in suis concionibus dominus Iesus hi sunt, Impletio scripturarum. Veritas uerbi dei. Regnum dei & liberatio filiorum dei. Agnitio confessioque peccatorum, ac pœnitentia. Fides in filium dei. Euangelium &c. Hinc discant euangelici concionatores formare conciones suas sacras: & quid sit legitime prædicare euangelium Christi. Obseruanti enim diligentius, apparet Ioannis baptistæ, Iesu Christi & Apostolorum eius doctrinam eiusdem esse generis, ueramque euangelij prædicationem. Omnes enim pœnitentiam & remissionem prædicarunt in nomine Christi. Hæc est uera infallibilisque & salutaris prædicatio ueritatis. A qua si quis aberrauerit sentiet iudicem seuerissimum.

Resipiscite. *Credite euangelio.* *Euangelicæ conciones.*

Cum ambularet autem iuxta mare Galilææ, uidit Simonem & Andream fratrem eius, iacientes retia in mare. Erant enim piscatores, & dixit eis Iesus, Sequamini me, & faciam ut efficiamini piscatores hominum. Ac protinus relictis retibus suis, sequuti sunt eum. Et progressus illinc paululum, uidit Iacobum filium Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, qui & ipsi in naui reconcinnabant retia, statimque uocauit illos: & illi relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs, sequuti sunt eum.

Venerat sanè filius dei saluandis omnibus illuminandisque: unde uoluit ea quæ docebat, non tantum ad Iudæos & pauculos aliquot pertinere homines, sed ad omnes. Deligit itaque dictorum & factorum suorum testes, quos sibi adhibet & familiarissima constringit conuersatione, ut hi tandem in orbem terrarum egressi, quæ uiderant & audierant à domino, testificantes annunciarent apud omnes gentes. Commode ergo & suo in loco mox à doctrina Christi, commemorat S. Marcus uocationem quorundam apostolorum. De qua consule Matth. in quarto capite.

Deligit Christus testes.

Et ingrediuntur Capernaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat, & stupebant super doctrina eius. Docebat enim eos, tanquam authoritatem habens, & non sicut scribæ.

Pertinent & hæc ad locum doctrinæ, & indicant quanta cum sedulitate oporteat prædicare euangelium, quod tanta cum diligentia & fide prædicauit ipse dominus. Imò hoc præ cæteris Marcus sibi peculiare habet, quod creberrime incul-

Quanta cũ sedulitate prædicandum euangelium.

cat Iesum dominum nostrum docuisse. Delegit autem sibi Capernaum ciuitatem flagitiosam, ne quis putaret gentem sceleratam prædicatoribus esse fugiendam. Tempus uero omne aptum & idoneum est prædicationi euãgelicæ, sed sabbatum in primis, quod diuinitus propter cultum dei retinendum, est inuentum. Ita locus quoq; quilibet idoneus est prædicationi si res & necessitas sic postulet: uerum synagoga aut templum omnium appositissime conuenit. Indicatur quoq; quàm efficax fuerit doctrina Christi. Sic enim illa omnibus commendatur prædicatoribus, ut spretis constitutionibus & doctrinis hominum, illam unice complectantur & ecclesiæ tradant. Sic enim & ipsi cum authoritate docebunt. Plura require de Capernaum & synagogis ex quarto capite Matthæi, & de authoritate doctrinæ Christi ex fine capitis septimi apud Matth.

Veritas authoritatem habet.

Et erat in synagoga eorum homo obnoxius spiritui immundo, & exclamauit, dicens, Eia quid rei nobis tecum est Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Noui te quis sis, nimirum, ille sanctus dei.

Quis & quantus Christus, quid nobis conferat.

Declarat Marcus quis & quantus sit Christus, & quid nobis conferat, idq; ex uirtutibus, ostendit item quantus sit effectus euangelij Christi. Pellitur uirtute Christi per euangelium sathanas, liberanturq; & purgantur fideles per Christum. Hic respuit testimonium sathanæ tametsi uerum sit: partim ut doceat nos nihil prorsus tribuere sathanicis responsis & factis, tametsi in speciem ueris & non malis. Mendax enim est & author mendacij: nec alio fine quàm ut decipiat dicit & facit quæcunque dicit & facit. Partim ut inde colliquescat dominum nihil habere consortij cum sathana, neque illius ulla in re egere auxilio. Pingit interim Marcus mores sathanicos simulationemq; artificiosam, quo minus noceat sanctis cognitus. Hic ex substantia sua spiritus appellatur: ex ingenio autem atque moribus impuris, immundus spiritus. Tanta uero Christi uirtus est etiamdum adhuc agentis in humilitate, ut uictum sese ipsi subijciat sathanas. Simulat se innoxium, & multa Christo concessurum, modo & ipse in aliquam partem regni admittatur, non eijciatur prorsus. Ita enim & hodie inuenias, qui euangelicis multa & magna concedant, modo hi rursus polliceantur se non omnia religionis exacturos ad uiuum. Sanctus ille dei nimirum Christus est sanctificans totum genus mortalium, in lege & prophetis promissus. Danielis capite nono.

Et increpauit illum Iesus, dicens, Obmutesce, & exi ab eo. Et cum laniasset eum spiritus immundus, exclamassetq; uoce magna, exijt ab eo. Et obstupuerunt omnes, ita ut rogitarent inter se, dicentes, Quid est hoc? Quæ doctrina noua hæc? Quia cum authoritate etiam spiritibus immundis imperat & obediunt ei. Emanauit autem fama eius statim in totam undiq; regionem Galilææ finitimam.

Sathanas nõ audiendus sed calcandus est.

Suo exemplo docet dominus nulli pio blanditias uerborum sathanæ mirandas esse, simulata beneficia indulgentiamq; blandam nullatenus admittenda. Nam dominus magnifica quædam prædicantem de ipso increpat, ac Obmutesce, inquit, & exi de eo. Proinde renunciant diabolo per omnia fideles, nec aliud cogitant, dicunt, faciunt, quàm ut eijciantur & calcentur quæcunq; sunt diabolica. Nam cum diabolum appello, ipsam uim sathanicam intelligo, omnes artes, omnia

nia instituta, omnem impuritatem & conscelerationem sathanicam. Vbi autem uidet se uel aliqua in parte hærere non posse, rursus redit ad ingenium, ingentiq; clamore uociferans dilaniat hominem, simul autem excedit. Coactus enim non sponte excedit: uirtute uidelicet Christi superatus. Sed & specimen exhibet suæ uirtutis, si dijs placet, quid uidelicet expectent ab ipso cultores eius, ut discerpantur tandem. Nam quod blanditur, quod hæret tenacius, & amplius hærere cupit, in hoc facit ut tandem te in suam ipsius redigat potestatem atq; excruciet misere. Hodie quoq; cum nullum sibi apud multos restare locum uidet reliquum, tametsi aliquandiu non insuauiter blanditus sit, demum tandem in furorem uersus tartareum, horrendum clamat, & sceleratissimis consilijs ac suggestionibus suis, pertractos in suas partes principes uiros, instigat ad persequutionem grauem sanctorum, qua multi dilaniantur boni uiri. Cæterum gaudeamus in hoc furore sathanico. Simul enim atq; dilaniat nos, excedere cogitur, & se uictum & uinctum præbere Christo. Obstupuerunt ad grande miraculum turbæ attonitæ, ac colligunt Christum amplius quiddam esse quàm hominem: quemadmodum reuera deus erat. Colligunt doctrinam eius esse diuinam. Nam cum authoritate imperat, inquiunt, spiritibus impuris: suopte iussu & propria potētia: non precibus, nō incantationibus, sed propria authoritate, eijcit omnem tyrannidem sathanæ. Emanat rumor tanti miraculi in uicinas Galilææ regiones, ut iam etiam gentiles admirarentur doctrinam & opera domini. Hæc itaq; in hoc facta sunt, ut totus orbis admiretur bonitatem & potentiam dei & saluatoris nostri Iesu Christi, ut admiratione salutari ad ipsum pertrahamur omnes & credamus in ipsum, quod uenerit in mundum dominus & saluator omnium, doctor ueritatis & sanctimoniæ, destructurus regnum diaboli, excitaturusq; regnum dei in hoc sæculo, ex quo tandem nos tralaturus sit in regnum patris æternum.

Et protinus è synagoga egressi, uenerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne. Socrus autem Simonis decumbebat febricitans: & continuo dicunt ei de illa. Et cum accessisset, erexit eam, apprehensa manu eius, & reliquit eam febris ilico, ac ministrabat eis.

Publico beneficio in synagoga publice exhibito ei qui uexabatur à dæmonio innotuit pijs dominus: iam domestico quoq; beneficio ijsdem innotescit, & uirtutes suas depromit in hoc, ut proliceat ad fidem omnes homines, omnibusq; declaret quantus sit. Opera uero ac beneficia dei perfectissima sunt, iccirco non tantum febribus hæc liberatur, sed insuper incolumis & uiribus integris discumbentibus ministrat. Tractaui hanc historiam apud Matt. in cap. 8. *Beneficijs publicis & domesticis innotescit dominus.*

Postquam autem aduesperauit, cum occidisset sol, adferebant ad eum omnes male habentes, & qui à dæmonijs agitabantur. Et ciuitas tota erat congregata ad ostium. Et sanauit multos, qui laborabant uarijs morbis: & dæmonia multa eijciebat: nec sinebat loqui dæmonia quod ipsum nossent.

Hactenus specialibus quibusdam beneficijs uirtutem suam declarauit dominus, iam in genere & cumulo quodam beneficiorum demonstrat se fontem esse diuinæ uirtutis, qui non possit exhauriri, sed plenus sit perpetuo & omnibus ad omnia desyderia explenda per omnia sufficiens. Non defatigatur benefaciendo:

non impeditur ulla temporis incommoditate. Vesperi enim cum iam occidisset sol, curat omnis generis morbos. Hæc autem magna cum admiratione omnium fecit dominus: quippe cum ad ostiū domus Petri tota ferè ciuitas Capernaum esset collecta, uideretq; stupenda miracula, & audiret clamores & testimonia sathanica, quę tamen dominus ijs ex causis respuit atq; contempsit, quas paulo ante annotauimus. Theophylactus putat ideo multos dixisse Marcum non omnes: quod non omnes crediderunt. Illa uero communia quoq; Marcus cum Matthæo habet: quem consulas licebit in cap. 8. Erasmus annotauit in nōnullis Græcis exemplaribus legi, Quod nossent ipsum Christum esse. Præterea Græcum sermonem esse ancipitem, Non passus est eos hoc proloqui quod agnoscerent Iesum. Siue, Non passus est eos omnino loqui, propterea quod agnoscerent Iesum esse Messiam: ne id ante tempus effutirent.

Et mane multa adhuc nocte, cum surrexisset egressus est. Et abijt Iesus in desertum locum, ibiq; orabat: & prosequuti sunt eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum inuenissent eum, dicunt ei, omnes te quærunt. Et ait illis, Eamus in proximos uicos, ut & ibi prædicem. In hoc enim egressus sum. Et prædicabat in synagogis eorum, in tota Galilæa, & dæmonia ejciebat.

Orat dominus Iesus.

Theophylactus, Postquam sanauit ægros, inquit, secessit, docens nos, ne quid ad ostentationem faciamus: sed & si quid boni fecerimus, studeamus illud occultare. Precatur autem, ostendens deo offerendum si quid boni fecerimus, & dicendum ad illum, quod omne gloriosum & bonum superne ad te descendat. Neque enim ipse oratione indigebat. Hæc ille. Prætulit nobis præterea exemplum, quo docet sanctos tum quoq; assidue orare cum res feliciter habere uidentur. Docet matutinum tempus precibus esse aptissimum: ac suo exemplo illos pudefacit, qui bus uolupe est in multam lucem stertere: nunquam aut rarò sacros cœtus adire.

Præstātia prædicationis euang.

Quanquā uero sancta & salutaris sit oratio, surgit tamen ab ea, & ad prædicādum se confert, ubi intellexisset ab apostolis plurimos desyderio teneri prædicationis euangelicæ. Inde uero colligimus prædicationis euangelicæ præstantiam necessitatem & utilitatem maximam: quippe quæ rebus alioqui sacratissimis antefertur. Quid quod ipse dominus, In hoc egressus sum, inquit, ut prædicem. Nam cœlitus in terras uenit ut uerbo ueritatis & prædicatione euangelica orbem errorum tenebris inuolutum illustraret, & morte sua indebita à commerita liberaret genus mortalium. Ideo frequentissime docuit, nec aliud fecit crebrius libentius diligentiusq;.

Heremitæ & prædicatores conferuntur.

Hoc si paulò diligentius expendissent heremitæ & monachi quidam, haud dubie tantum non tribuissent suo otio & solitudini. Christus dominus in heremo orauit & orauit feruentissimis ad deum precibus, contemplationibusq; diuinis proculdubio præ cæteris mortalibus omnibus in cœlestia subuectus, patrem glorificauit: sed breuissimo quidem id tempore fecit, reliquum omne quod supererat prædicationi impendit euāgelicæ instruendisq; rudibus. Proinde unus Athanasius, unus Augustinus, aut alius fidelis uerbi dei præco, multis & innumeris etiam probis anachoretis atq; monachis præferendus est. Doceamus ergo per omnes ecclesias euangelium Christi fideliter. Expelletur sathan uirtute & prædicatione Christi certissime ex pectoribus improborum hominum. Obeamus modo strenue ac constanter ipsum domini opus. Non deerit nobis qui se semper nobis affuturum promisit.

Et

Et uenit ad eum leprosus orans eum eiq́ genua flectens ac dicens illi, Si uis, potes me mundare. Iesus autem intime misertus, protensa manu, tetigit illum: & dicit ei, Volo, mundus esto. Quod cum dixisset, statim reliquit eum lepra, & mundatus est. Et comminatus ei, statim amisit illum, dicitq́ ei, Vide ne quid cuiquam dicas: sed abi teipsum ostende sacerdoti, & offer pro emundatione tui quæ præcepit Moses in testimonium illis. At ille egressus cœpit prædicare multa & diuulgare rem, ita ut iam non posset Iesus palàm introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis erat, & ueniebant ad eum undiq́.

Alia historia declarat nobis beneficium ac uirtutem Christi domini. Simul autem præscribit qua fide & animi humilitate accedamus ad Christum: ea nimirum qua hic leprosus accessit. Tractaui hanc historiam apud Matthæum in capite octauo, inde require. Prædicat autem leprosus beneficium Christi. Laudatur enim à gratis & pijs hominibus perpetuo domini bonitas. Nec peccauit hic leprosus contra mandatum domini, dicentis, Vide ne quid cuiquam dicas. Nam addendum uidetur, Priusquam te sacerdotibus ostenderis: ne forte sacerdotes audientes te mea uirtute purgatum, per inuidiam de puritate tua insyncerius pronuntient. Ergo ubi res explorata esset per sacerdotes, horumq́ accessisset calculus, tum demum deprædicare cœpit Christi uirtute se esse purgatum. Quæ res tantam illi apud omnes opinionem peperit, ut iam præ hominum frequentia affluentiaq́ non posset more solito ingredi urbes, sed cogeretur in desertis locis uersari. Vbi tamen non cessabat aut ociabatur, sed concionabatur strenue & benefaciebat indefesse. Nam undiq́ ueniebant ad eum. Tali applausu & frequentia exciperemus & complecteremur etiam hodie Christum per euangelij prædicationem ad nos redeuntem: cæterum contempta prædicatione ueritatis ad spectacula inania effundimur, & circulatorum nugas tantum non admiramur. Præterea nullos audis conculcatos & contritos per frequentiam auditorum euangelij: at audis ac legis non paucos perijsse per confertam & sese mutuo conculcantem turbam, ad oscula pedum conspectumq́ beatissimi, si dijs placet, patris, ad idoleorum quoq́ communionem seu cœtum proruentem. Quæ certe conuincunt animos nostros erga ueram religionem non tepidos modo, sed planè frigidos esse.

Laudanda semper dei bonitas.

Et iterum intrauit Capernaum post dies aliquot: & auditum est quod in domo esset, & protinus congregati sunt multi, adeo ut iam nō essent capiendis, nec illa loca, quæ erant circa ianuā, & loquebatur eis sermonem. CAP. II.

Præparatio fit ad sequentem historiam certe insignem, qua declaratur Christum & peccata remittere & grauissimos deploratosq́ hominum morbos curare, adeoq́ dominum esse omnipotentem, curatorem animarum & corporum. Congregatur itaq́ diuina prouidentia & uirtute Christi ingens populi uis in lacustri & celebri urbe Capernaum: qua præsente & spectante paralyticum curat. Oportebat enim ingens miraculum multorum testimonijs prædicari. Oportebat item beneficium amplissimum in frequentia populi magna misero præstari, quo multorum animi ad fidendum Christo permouerentur. Priusquam tamen miraculum ederet & beneficium conferret misero, loquebatur cœtui seu frequentiæ hominum sermonem, hoc est prædicabat uerbum dei. Verbo mox coniunxit uirtutem, opere ipso probans se id præstare plenissime quod pollicebatur sermone. Docet autē suo exemplo prædicatione uerbi dei nihil salubrius utiliusq́ habere eccle

Christus dominus omnipotēs.

ſiam Chriſti. Confirmatur item fides noſtra in promiſſiones diuinas, qui uidemus palàm opere impleri, q̃d uerbo dei nobis promittitur. Ne ergo dubitemus de uerbi dei certitudine. Eraſmus annotauit tantã fuiſſe hominum frequentiam, ut iam non caperent ne ea quidem, quæ erant iuxta ianuam loca. Vt intelligas domum adeo fuiſſe refertam, ut ne ueſtibulum quidem & partes oſtio uicinæ caperent turbam.

Et ueniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum non poſſent illi appropinquare præ turba, detexerunt tectum (ædium) ubi erat, perfoſſoq́; (tecto) funibus demittunt grabbatũ in quo paralyticus decumbebat. Cum autem Ieſus uidiſſet fidem illorum, ait paralytico, Fili, remittuntur tibi peccata tua.

Fides iuſtificat. Diligenter deſcribitur fides accedentium ad Chriſtũ, ut haberent ſancti exemplum in eccleſia quod imitarentur. Fide enim dei beneficia promiſſionesq́; accipiuntur. Nam ſequitur protinus effectus fidei maximus. Vidẽs enim Ieſus fidem illorum, dicit paralytico, Fili remittuntur tibi peccata tua. Proinde fide iuſtificantur ſancti, id eſt abſoluuntur à peccatis & pronunciantur iuſti. Sic enim pronunciat euangeliũ. Quid ergo nos damnant pro hæreticis quibus dolet id nos fidei tribuere quod ipſum euangelium tribuit? Cætera pete ex Comment. in 9. ca. Matt.

Erant autem quidam illic de ſcribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis, Cur hic ſic loquitur blaſphemias? quis poteſt remittere peccata niſi ſolus deus?

Chriſtus remittit peccata. Murmure occaſionem præbent domino uſum & uim huius beneficij ſiue miraculi explanandi. Non agnoſcunt phariſæi in Chriſto ullam diuinitatem, itaq́; offenduntur audientes ipſum remittere peccata. Recte enim remiſſionem peccatorum diuinæ duntaxat potentiæ attribuunt. Nos quoniam Chriſtum uerum deum & hominem eſſe credimus, recte ipſum peccata nobis remittere profitemur. Homines quantumuis ſancti & docti peccata non remittunt, ſed remitti uel remiſſa eſſe docent in Chriſto per fidem. De his in Matth.

Et protinus ubi cognouit Ieſus ſpiritu ſuo, quod ſic cogitarent apud ſeſe, dixit illis, Quid iſta cogitatis in cordibus ueſtris? Vtrum eſt facilius, dicere paralytico, Remittantur tibi peccata: an dicere, Surge, & tolle grabbatum tuum & ambula? Vt autem ſciatis filium hominis habere poteſtatem in terra remittendi peccata, ait paralytico, Tibi dico, Surge, & tolle grabbatum tuũ, & abi domum tuam. Et ſtatim ſurrexit, ſublatoq́; grabbato, egreſſus eſt in conſpectu omnium, adeo ut ſtupeſcerent omnes, & glorificarent deum, dicentes, Nunquam talia uidimus.

Reipſa & demonſtratione euidentiſſima oſtendit dominus ſibi plenam eſſe poteſtatem remittendi peccata. De hac copioſiora pete ex Comment. in Matt. Memorabilis ſanè demonſtratio eſt, quæ recte expenſa fidelem quemuis in fide remiſſionis peccatorum ualde confirmat. Beneficium & uirtutem Chriſti id maxime commendat, quod obſtupeſcens populus deumq́; glorificans, teſtatur talia ſe non uidiſſe unquam. Quæ explicans Paraphraſtes, Cæteri, inquit, quotquot aderant inſolito miraculo ſtupefacti, glorificauerunt deũ, qui talem poteſtatem dediſſet homini, ut ſimplici uerbo & peccata condonaret, & morbum inſanabilem adimeret, ingenue confitentes, inter omnia quæ narrarentur à ſanctis ſuperioribus peracta, aut quæ ſuo ſæculo uidiſſent à ſanctis uiris fieri, nihil huic facto ſimile extitiſſe.

Idem

Idem beneficij Christi magnitudinem & præstantiã egregie prædicans, Considerandum est & illud, ait, quanta fuerit largitas Iesu in condonandis peccatis. Cum enim ait, Condonantur tibi peccata, relaxat uniuersa. Nec ulla meritorũ præteritorum mentio, nec ulla sacrificiorum aut satisfactionis exactio, tantũ fiduciæ fit mentio. Satis est uenisse ad pedes Iesu. Satis sacrificauit, qui se illi cũ plena fiducia ostendit, nullũ illi gratius holocaustoma. Totus sibi displicebat ille paralyticus, & male sibi conscius, & miserabili corporis morbo oppressus. Tota spes erat in potenti bonitate Iesu. Ille totũ restituit, quia totum Iesu medico cõmisit. Nõ reputabat quàm esset immedicabilis morbus, tantum cogitabat, quàm potẽs, quàm bonus esset medicus cui sese concredebat. Et mox, Si te pudet apud medicũ hominem, aut si quid diffidis, qui fortasis cognitum morbum exprobraturus sit potius quàm subleuaturus, noli cælare morbum tuum apud Christum, qui neminem traducit, sanat omnes, & sanat gratis, ut tibi quoq; contingat quod contigit paralytico, &c.

Et egressus est rursum ad mare, omnisq; turba ueniebat ad eum, ac docebat eos. Et cum præteriret Iesus, uidit Leui Alphæi filium, sedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me. Isq; surgens sequutus est eum. Et euenit cum accumberet in domo illius, multi etiam publicani et peccatores simul discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. Erant enim multi qui sequuti fuerant eum. Et scribæ ac pharisæi cum uidissent eum capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius, Quid est quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? Hoc audito, Iesus ait illis, Non opus habent qui ualent medico, sed qui male habent. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Docendi beneficium ac officium rursus repetit, adeoq; & inculcat Marcus, ut testetur ecclesiæ sana doctrina nihil posse utilius & melius obtingere. Cæterum beneficio præstito Matthæo approbat dominus se uenisse saluandis peccatoribus, ac posse uelleq; & remittere peccata & integritati plene restituere. In Matthæo exhibetur nobis exemplum quomodo uocati, & credentes dignos pœnitentia fructus edant. Reliqua petantur ex 9. cap. Matth. *Doctrina euangelij.*

Et discipuli Ioannis ac pharisæorum ieiunabant, ueniuntq; & dicunt illi, Quare discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? Et ait illis Iesus, Num possunt filij thalami nuptialis, dum cum illis sponsus est ieiunare? Quandiu habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Et nemo assumentum panni rudis adsuit uestimento ueteri, alioqui aufert supplementum eius nouum à ueteri, & peior scissura fit. Et nemo mittit uinum nouum in utres ueteres, alioqui rumpit uinum nouum utres, & uinum effunditur, & utres pereunt: sed uinum nouum in utres nouos mittendum est.

Quia dominus edit & bibit cũ peccatoribus, & crebro inuitatus ab amicis epulatur, uideri poterat doctrina & religio Christiana luxum quendã fouere: obijciunt ergo discipuli Ioãnis & pharisæorũ quæstionẽ de ieiunijs, ac domino occasionem præbent, doctrinam sanam de castigatione corporis, & uerum ieiuniorũ usum tradendi, contra tetricam pharisæorũ doctrinam & hypocriticũ & uanum eorum ie- *Hypocrisis damnatur.*

iunium. Hæc dilig̃etius & copiosius tractata inuenies apud Matth. Illud minutius est quàm annotare cõueniat, Filios thalami nuptialis eos significare qui intersunt nuptijs, aut cognati affinesq; quorum sunt nuptiæ. Parabolis omnia uestit, non ut obscuret rem, sed ut ornet atq; illustret.

Et accidit ut transiret sabbatis per segetes, & cœperunt discipuli eius inter eundum uellere spicas, & pharisæi dicebant ei, Ecce cur faciunt sabbatis quod non licet? Et ipse ait illis, Nunquam legistis quid fecerit Dauid cum egeret, & esuriret ipse & qui cum eo erant? quomodo ingressus sit ædem dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis comederit, quos non licet edere nisi sacerdotibus, & dederit etiam ijs qui secum erant? Et dicebat illis, Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Itaq; dominus est filius hominis etiam sabbati.

Quemadmodum erroneam pharisæorum doctrinã circa ieiunia reiecit, ueram tradidit: ita nunc ferias repurgat à pharisaicis superstitionibus, ac uerum docet sabbatum. De quo abunde disputatũ arbitror in 12. cap. Matthæi. Abiathar cuius hic sit mentio Achimelechi erat filius. Pater uero, non filius, Dauidi concessit panes propositionis. Itaq; antonomasia quadã filij nomen patri tribuitur: quod illius memoria in rebus Dauidicis est celebrior: uel pater fuit binominis. Sed in huiusmodi leuiculis rebus nihil periclitantur uera pietas & religio. Aedem dei appellauit locum in quo fuit tabernaculum uel arca domini. Alioqui nullum erat adhuc Dauidis sæculo extructum templum, quod mortuo Dauide, Solomon filius extruxit.

Abiathar filius Achimelechi pontificis.

CAP. III. Et introiuit iterum in synagogam, & erat ibi homo arefactam habens manum, & obseruabant eum an sabbatis sanaturus esset eum, ut accusarẽt illum. Et ait homini habenti manum arefactam, Surge in medium. Et dicit illis, Vtrum licet sabbatis benefacere an malefacere, animam seruare an occidere? At illi tacebant. Et cum circumspexisset eos iratus cum ira, condolescẽs super cæcitate cordis eorum, dicit homini, Extende manũ tuam. Et extendit: & restituta est manus illius sanitati ut altera.

Sabbatum.

Pertinet hæc historia ad superiorem quoq; locum de recto usu feriarum. Præcipitur quidem à deo religiosum ocium, at nõ prohibetur beneficentia, imò præcipitur & ipsa: ut iam religiose sabbatũ custodierit qui beneficium proximo præstitit. Eadem historia describitur à S. Matthæo in cap. 12. In Pharisæis exemplũ est pertinacis inscitiæ & malitiæ. Vbi enim intelligerent ex uerbis Christi se esse captos in quamcunq; tandem inclinarẽt partẽ respondendo, obstinate tacẽt. Si enim respondissent sabbatis non licere præstare beneficium, ipsa rei absurditate erãt refutati. Si respondissent licere, sibi ademissent calumniandi occasionẽ. Propter hãc malitiam ualde excandescens dominus, iratoq; uultu ipsos intuens, ac tacitus illos ueluti increpãs, significabat quàm ipsi doleret insanabilis malitia. Debet autem pastoris ira dolore esse temperata, ne quid hic peccetur affectu prauo. Cæterũ Animam seruare an occidere, dixit iuxta sanctæ linguæ proprietatẽ, pro eo quod est, hominẽ seruare uel occidere. Quisquis autem perire sinit, quẽ seruare potuit, occidit. Rursus uero ingens beneficiũ misero conferens dominus, primo declarat quàm sit potens & bene-

& beneficus: deinde benefaciendo omnes ad se quodammodo inuitat, ut uenientes ad ipsum uera fide, bona percipiamus æterna. Nam iussu Christi manum extendit miser, iam æque instructam & sanam sicut erat illa, quæ hactenus fuerat integra. Sic omnia obediunt & subsunt uerbo Christi. Sic omnia potest & operatur deus uerbo suæ potentiæ.

Egressi uero pharisæi, statim una cum Herodianis consilium inibant aduersus eum, ut illum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & ingens multitudo à Galilæa sequuta est eum, & ab Iudæa & ab Hierosolymis & ab Idumæa & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, hominum multitudo magna, qui cum audissent quæ faciebat, uenerunt ad eum.

Tenebræ huius mundi non ferunt claram euangelij lucem, sed fugiũt & execrantur, imò cum possunt perditam uolunt. Videre hoc licet in Pharisæis, qui & celeri gradu sese proripiunt è synagoga, & coniungunt sese Herodianis, quos alioqui oderant cane peius & angue. De Herodianis (de quibus & 8. cap. nonnulla adijciemus) uariant sententiæ, qui fuerint. Videntur fuisse magistratus Galilææ ab Herode ordinati, potentes, nobiles, uersuti, aulici & rebus præfecti moderandis. Huiusmodi homines ferè odiunt doctrinam euangelicã, quam sentiũt suis aduersam esse moribus, quam deniꝗ; suspectam habent quasi nouationes ferens, tumultus seditionesꝗ; exciteat. Libenter ergo operã suam impendunt pharisæis, ut communi auxilio & consilio excindatur ueritas euangelica. Idem hodie quoꝗ; fieri uidemus. Multi enim ex principibus, magistratibus, & nobilibus conspirant cum episcopis & monachis in excidium ueritatis: in quo pulchre ipsis conuenit, licet internecino aliàs odio inter sei psos dissideant. Theophylactus de Herodianis hæc tradit, Herodiani uel milites erant Herodis, uel hæresis quædam nuper orta, quę docebat Herodem esse Messiam, eo quod in ipso Iudaicorum regũ successio finem habuisset, idꝗ; iuxta prophetiam Iacob, qui uaticinatus fuerat tunc uenturum Christum, quando deficerẽt principes ex tribu Iuda. Cum igitur Herodis tempore nullus regnaret princeps ex tribu Iuda, sed Herodes alienigena regnaret, opinati sunt quidam hunc esse Messiam, &c. Plura de his dicemus cap. 8. Marci. Iesus suo nos exemplo docens cedendum nonnunquam impiorum peruicaciæ, secedit ad mare seu lacum. Hic autem innumera hominum uis confluxit ad ipsum, non solum à Galilæa, uerumetiam à Iudæa & finitimis regionibus. Quo declaratum est adeò non decedere ueritatis prædicationi per consilia & insidias principum impiorum, ut accedat magis. Proinde licet cum episcopis conueniant proceres huius sæculi consultaturi quomodo excindãt ueritatem euangelicam, quanquam fugiant iam & occulant se multi uiri boni, nihilominus tamen confertissimæ Christum insequẽtur turbæ. Veritas enim & uirtus Christi, quæ in mundo non est obscura, semper plurimos attrahet sua præstantia auditores admiratoresꝗ;, rumpantur ut ilia mundo.

Tenebræ lucem non ferunt.

Herodiani.

Et iussit Iesus discipulis suis, ut nauicula sibi deseruiret, propter turbam ne ipsum premerent. Multos enim sanauerat, ita ut irruerent in eum, quo illum tangerent quotquot affligebantur.

Vbiꝗ; nos suo exemplo docet dominus. In præsentiarum cum commodius & minore cum molestia agere potest, asperiorem molestioremꝗ; non ascisit uiuẽdi mo-

Cura corporis iusta.

dum. Iubet ut nauiculam ei adhiberent, uel ut lembus ipsi seruiat, usibusq; eius para ta sit: Daß sy jm ein schifflin rüstind. Confutatur ergo his quorundam Stoicismus, qui in neglectu corporis quandam constituunt pietatem: contra quos & apostolus Paulus egit in 2. cap. ad Coloss. Paraphrastes, Dominus, inquit, benignus ac diues in omnes, neminem nec à doctrina sua, nec à sanitatis beneficio submouebat. Tātus au tem erat ardor multitudinis ob auiditatem sanitatis, ut alius aliū protruderet, ac ui ir rumperent ad Iesum, ut eum uel contingerent, quando solo etiam uestis cōtactu pel lebantur morbi. Nec ullum erat uel hominum uel morborum discrimē apud poten tem iuxta ac benignum medicum. Quicunq; quibuscunq; malis tenebantur, proti nus liberabantur, modo cōtigisset ipsum adire Iesum. Atq; id etiam uidemus hodie iuxta spiritum fieri. Ex totius orbis nationibus quàm multi, quibus uitijs obnoxij confugiunt ad Iesum, & fiduciæ contactu sanantur? Denuo ergo depromit hic uires suas dominus, & inuitat nos omnes ad fidendum ipsius bonitati atq; potentiæ. Por rò flagella morbos dicit. Plurimum enim ad sanitatem animarum morbi corporum conducunt, flagellante homines deo, quasi filios patre.

Et spiritus immundi cum illum uidissent, accidebant ei, & clamabant, dicentes, Tu es filius dei. Et uehementer interminabatur eis, ne se manife stum facerent.

Omnia nobis donata sunt in Christo. In præcedentibus uno uerbo infinita comprehendit beneficia, ut uel inde collige remus omnia nobis donata esse in Christo, per quem si credimus, saluemur: iam pau cis ostendit Christi uirtute fractam esse omnem huius mundi potentiam, etiam satha nicam. Procidunt enim coram ipso immundi spiritus, quo toti mundo fiat manife stum, sathanam per Christum esse uictum. Proinde nihil uirium amplius habet satha nas in fideles. Christus enim communione sui uirtutem suam communicat sanctis. Ac pudendus error illorum hic reuelatur, qui nolunt fateri Iesum Christum esse dei filium. Maligniores enim ipso sunt diabolo, qui hic manifeste confitetur Iesum esse dei filium. Iesus autem non ferens ab impijs prædicari spiritibus, aut ante tempus re uelari, interminatur illis ut taceant. Neque id nouum est. In lege enim prohibet dominus, ne ueritatem exquiramus à mortuis, ne quam fidem tribuamus magi cis artibus, nimirum à diabolo profectis, perq; diaboli uim efficacibus, dei per missione.

Et ascendit in montem, ac uocat ad se quos uoluit ipse, & uenerunt ad eum. Et designauit duodecim ut essent secum, & ut emitteret eos ad prædi candum, utq; haberent potestatem sanandi morbos, eijciendiq; dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum filium Zebedæi, & Ioan nem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij toni trui, & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæū, & Tho mam, & Iacobum Alphæi filium, & Thaddæum, & Simonem Cananiten, & Iudam Iscarioten, qui & prodidit illum.

Designantur doctores orbis. Non uult prædicari à diabolo dominus, indicat ergo nunc à quo cupiat uelitq; prædicari, ab apostolis uirisq; apostolicis. Præterea quia ex his quæ hactenus dicta sunt, patuit Christum esse lucem, uitam, doctorem, & saluatorem, ut omnibus appa reat ipsum esse omnium credentium lucem & saluatorē, designat in orbem mittēdos apostolos, qui apud omnes homines testificētur Christū saluatorē esse omni credēti. Ascēdit aūt in montē designaturus apostolos, et orat, ut doceat nos quoties doctores

ecclesię ordinādi sunt orare. Sic enim fecisse et apostolos testantur Acta apost. cap. 1. & 13. Et accersiuit ad se nō quosuis è multitudine, sed quos ipse uoluit, quosq; ad hoc munus elegerat, & qui placuerunt. Velle enim in scripturis non raro usurpatur pro placere. Qui autē placeant exprimitur 1. Tim. 3. Proinde nemo eligat eos qui Christo displicent. Venientes autem ad eū præferunt nobis exemplum obedientiæ. Nemo quidem sua sponte & inuocatus currat, sed qui legitime fuerit uocatus, obtemperet uocationi dei, ne ipsi usuueniat quod Ionę rebelli. Duodecim designat apostolos, quia per numerum duodenarium non semel in lege & prophetis apostoli sunt pręfigurati. Sed & in certum finem designat. Principio ut essent secum: id est, ut essent testes dictorum & factorum Christi. Deinde ut abunde instructi magisterio Christi & spiritus sancti, exirent in orbem terræ, ac prædicantes euangelium, credētes conuertant ad Christum. Postremo ut beneficijs Christi nomine exhibitis, testificarētur efficacem esse prædicationē euāgelij & omnia posse Christum, ad quem homines adducunt. Porrò apostolorum nomina propter falsos apostolos recensentur, ut sint noti ueri. Filij duo Zebedæi, Iacobus & Ioannes cognominantur Boanerges, nimirum בני רגש filij fremitus atq; tumultus: quam appellationem indepti sunt à donorum Christi pręstantia. Tonitrua & fulgura isti sunt loquuti, concusserunt totum orbem, multo potentiores & uiuidiores in dicendo & agendo multis Periclibus & Tullijs. Theophylactus, Filios, inquit, tonitrui nominat filios Zebedæi, ut præcipuos prædicatores, & maxime theologos. Idem: Assumitur & Iudas, ait, in apostolum, ut discamus quod non propter futuram malitiam alicuius, aspernetur deus quempiam mala operaturum, sed propter præsentem uirtutem honore quem dignum censet, etiamsi postea malus sit futurus. Per hos duodecim, ait Paraph. paucos, obscuros, illiteratos, imbecilles, uisum est domino totum innouare mundum, ne quam laudis partem in cœlesti negotio sibi uindicaret humana uel sapientia uel potentia. *Filij tonitrui.*

Cumq; uenissent in ædes, conuenit iterum turba tanta, ut non liceret illis uel panes edere. Quod cum audissent qui ad illum attinebant, exierunt ut prehenderent eum. Dicebant enim, Mente alienatus est.

Exemplo suo docet dominus quantam oporteat in docendo adhibere diligentiā. A cibo ad prędicandum properat, sicut & Ioan. cap. 4. cibi prorsus obliuiscitur, testificans se habere cibum quem non uideant discipuli. Sequentium uero duplex affertur sententia ab interpretibus. Prior, Cum cognati domini audirent quæ doceret, & uiderent quæ in diem faciebat miracula, non intelligentes illa diuinæ in ipso esse naturæ, furori cuidā tribuebant. Et cum cognati essent, putabant sui esse officij mentis impotem, & à spiritu quopiam arreptum, uinculis coercere. Aderant itaque manus insanienti auxiliatrices illaturi. Atq; iuxta hunc sensum facile colligeret quilibet, quid de sapiētia cœlesti iudicet crassa hominis caro. Pro insanis habet, quicunq; cum mundo insaniente non ineptiūt. Sapientes putat, qui coram deo stulti sunt, stultos qui sapientes sunt. Posterior, Dominus labore confectus domum redijt, ut hic nonnihil respiraret, ac cibum capiens, nouis sese repararet laboribus. Verum populi cupientis audire uerbum dei importunitas, id non permisit. Dominus enim ubi illorū animaduerteret ingens desiderium, neglecto cibo & posthabita mensa, ad docendum se contulit. Hic discipuli domini & qui eius partes sequebantur, inferebāt domino manus & retrahebant à labore, uulgo tumultuanti respondentes, laboribus fractus nimijs mente alienari poterat. Iuxta eam sententiā locus Marci sic legi poterat, Qui ad eum attinebant, uel qui circa eum fuerunt ut audirent, exierunt uicq; eum abduxerunt, dicētes, Extra se uenit (fatigatus scilicet labore nimio) siue in syncopim poterat cadere.

Diligenter docenda pietas.

Curandum & corpus, seruandumq; laborib.

Ita uero doceret locus modum adhibendum esse & in laboribus, ne quid nimis, ac naturæ quoque suum illud esse persoluendum, ut qui dona dei accepit, & prodesse potest ecclesiæ, diu prosit, nec ante tempus sese conficiens dona dei perdat.

Et scribæ qui ab Hierosolymis descenderant dicebant, Beelzebul habet, & per principem dæmoniorum eijcit dæmonia. Et ad se uocatis eis, per parabolas loquebatur illis, Quomodo potest satanas satanam eijcere? Et si regnum aduersus sese diuisum fuerit, non potest stare regnum illud. Et si domus contra semetipsam diuisa fuerit, non potest stare domus illa. Et si satanas surrexit aduersus semetipsum ac diuisus est, nõ potest stare, sed finem habet. Non potest quisquam uasa fortis, ingressus in domum illius, diripere, nisi prius fortem uinxerit, & tum demum domum eius diripiet. Amen dico uobis, Omnia remittẽtur filijs hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemauerint: at qui blasphemiam dixerit in spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio. Dicebant enim, Spiritum immundum habet.

Regnum dei uenisse, & Christum omnia sua agere potentia diuina.

Pharisæi graues ueritatis hostes omnia domini dicta & facta calũniabantur, omnibusque modis contendebãt regnum dei nondũ uenisse, alium Messiam esse expectandum. Cumque populus ex signis miraculisque colligeret uenisse regnũ dei, pharisæi clamabant illa uirtute diabolica fieri. Dominus ergo obiectionem illam maledicã & calumniosam quasi fumum ipsis in oculos impellens, & contrarium probans, Si in uirtute diaboli, inquit, diabolum eijcio, quid aliud sequitur, quàm quod diabolus cõtra semetipsum bella gerat, atque ideo regnum eius interciderit, aduenerítque regnum dei? Nam inductione quadã ostendit interire regnũ, quod intestino secum bello dissidet. Verũ pluribus illa tractaui in Matth. cap. 12. In pręsenti ex opposito infert, Nunc autem non eijcio sathanã uirtute sathanæ, sed uirtute diuina adeoque propria. Non enim potest quisquam uasa fortis, &c. Postea ostendit quàm graue sit peccatum blasphemare doctrinam ueritatis, illamque nolle admittere, ac ueluti hæreticam damnare. Ac reuera pertinent illa omnia ad negotiũ uerbi dei. Solent enim multi successum uerbi domini diabolo, & miracula magię tribuere. At dominus demõstrat illa esse ex deo.

Et ueniunt mater eius & fratres, & foris stantes, miserũt ad eum qui euocarent eum: & sedebat turba circa eum, dicuntque ei, Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. Et respondit eis, dicens, Quæ est mater mea & fratres mei? Et cum circumspexisset in circuitu circum se discipulos sedentes, ait, Ecce mater mea & fratres mei. Qui enim fecerit uolũtatem dei, hic frater meus & soror mea & mater est.

Renunciandum affectibus.

Pertinet & hęc historia ad negotium uerbi dei. Nam suo exemplo docet dominus concionatores omnibus renunciare affectibus carnalibus, & unicum modo deum spectare in functione prædicandi. Ostenditur & effectus uerbi dei saluberrimus, quod credentes siue obedientes efficiat filios dei, fratres & cohæredes Christi. Cætera pete ex 12. cap. Matth.

CAP. IIII.

Et iterum cœpit docere iuxta mare, & congregata est ad eum turba multa, ita ut nauim ingressus, sederet in mari, & tota turba iuxta mare in terra erat, & docebat eos per parabolas multa.

Docebat iterum qui non inueniebat quod maiore cum dei gloria & hominũ utilitate

litate poterat facere. Ac amat dominus ecclesiam sermonis euangelici doctrinæque pietatis auidam. Ideoque ob frequentiam turbę sese comprimentis conscendit scaphā, unde uelut è suggesto doceret turbam in littore condensatam.

Dicebatque illis in doctrina sua, Audite, Ecce exijt seminator ad seminandum, & accidit inter seminandum, ut aliud quidem caderet iuxta uiam, ueneruntque uolucres cœli, & comederunt illud: aliud uero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam, & statim exortum est, quod non haberet altitudinem terræ, sole autem exorto ustum est, & eo quod non haberet radicem, exaruit: & aliud cecidit in spinas, & succreuerunt spinæ, ac suffocauerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum succrescentem & augescentem: & adferebat aliud triginta, & aliud sexaginta, & aliud centum: ac dicebat illis, Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Dixit in fine cap. 3. de effectu uerbi dei, de fratribus Christi & filijs dei, consequenter ergo pulcherrimo ordine subiūgit doctrinam de semine dei, & modo ac ratione generandi. Id quidē pura & nuda primū parabola proponit, deinde eandē exponit.

Cum uero esset solus interrogauerunt eum hi qui circum illum erant cum duodecim de parabola: & dicebat illis, Vobis datum est nosse mysterium regni dei, illis autem qui foris sunt per parabolas omnia fiunt, ut uidentes uideant & non cernant, & audientes audiant & non intelligant, ne quando conuertantur & remittantur eis peccata. Et ait illis, Nescitis parabolam hanc, & quomodo omnes parabolas intelligetis?

Interfatione hac occasionem prębent domino explicandi parabolam, & differendi interim qui sint capaces uerbi dei. Increpat autem suorum tarditatem dominus, qui apertam & ualde simplicem parabolam non intelligunt. Interim subindicat alias quàm plurimas plus habere difficultatis. Hæc autem excitant fideles ad attentionem diligentiam atque assiduas preces quibus tandem impetremus sensum exercitatum & peritum in mysterijs domini.

Seminator ille sermonem seminat. Hi uero sunt qui iuxta uiam (dicuntur) ubi seminatur sermo, & cum audierint, confestim uenit sathanas, & aufert sermonem qui seminatus est in cordibus eorum. Et hi sunt similiter qui in petrosa semen excipiunt, qui cum audierint sermonem, statim cum gaudio accipiunt illum, & radicem non habent in se, sed temporarij sunt, deinde coorta afflictione, aut persequutione propter sermonem, cōfestim offenduntur. Et hi sunt qui in spinas semen excipiunt, hi (inquam) sunt qui sermonem audiunt, & solicitudines sæculi huius, ac deceptio diuitiarum, cæterarumque rerum cupiditates introeūtes, suffocant sermonem, ac redditur infructifer. Et hi sunt qui in terram bonam semen exceperunt, qui audiunt sermonem & suscipiunt, & fructum afferunt, (ita ut) aliud (granum afferat) triginta, aliud sexaginta, aliud centum.

Hæc est elegans & perspicua parabolæ expositio. Cuius enarrationem posui in 15. cap. Matthæi.

Et dicebat illis, Nunquid lucerna incenditur, ut subter modium ponatur, aut subter lectum? Nónne ut super candelabrum ponatur? Non est enim quicquam occultum, quod non palàm futurum sit, neque factum est secretum, sed ut in propatulum ueniat. Si quis habet aures ad audiendum, audiat.

Omnibus datũ uerbum dei ad illuminationẽ. Pertinent & hæ duæ parabolæ ad negotium uerbi dei. Priore ostẽdit uerbum dei non paucis esse datum, sed omnibus, unde illud nõ oporteat Iudæis tantum prædicari, sed omnibus gentibus. Proinde, lucerna est uerbum dei: quod & Dauid testatus est Psal. 119. Lucernæ autem confertur has ferè ob causas. Principio ob puritatem cœlestem. Deinde ob illuminationem & effectum. Postremo ob elegantiam & serenitatem conscientiarum. Porrò Candelabrum ipsa est diuini uerbi propagatio uel prædicatio. Annunciatur enim euangelium in domo dei & regno Christi, ecclesia, ut omnes uideant quid agant. Atque huius quidem rei typum olim gessit aureum illud in tabernaculo candelabrum. *Non uult uerbum suum latere dominus.* Posteriore docet nolle se quicquam uerbi & doctrinæ suæ occultari & latere. Nam suo tempore uult proferri omnia. Vnde Paraphrastes, Nũc quidem multa cælamus multitudinem, inquit, quoniam nondum est capax: & si esset, nondum aduenit tempus: uerum ubi tempus aduenerit, nihil est inter uos tam absconsum, quod tum non sit patefaciendum, neque quicquam tam arcanum, quod non sit palàm omnibus prædicandum. Non enim oportebit ullis rebus ab euangelij propagatione deterreri, sed omnibus posthabitis, hoc unum erit noctes ac dies agendũ. Postremo auditores excitat omnes ad attentionem & diligentiam epiphonemate quodam, dicens, Cum autem tanta sit dei fides & diligentia in tradenda philosophia cœlesti, quantam oportet esse diligentiam sedulitatémue uestram, ut quod uobis traditum est fideliter, rursum fide optima propagetis quàm latissime.

Et dicebat illis, Videte quid audiatis. Qua mensura metimini, eadem mensura dabitur uobis. Et adijcietur uobis qui auditis. Qui enim habet, dabitur illi, & ab eo qui non habet, etiam quod habet auferetur.

Adhortatio ad audiendum uerbum dei. Subijcit dominus breuem, sed euidentissimam adhortationem ad studium uirtutis ne frustra audiamus uerbum Christi, néue dispensent uerbum dei maligne, qui ad functionem prædicandi sunt uocati. Videte inquit, quid audiatis, & ne frustra audieritis. Neque satis fuerit audisse, nisi & uitã componamus ad ea quæ audiuimus, alijsque tradamus diligenter quę ut traderemus accepimus. Adducit sententiam generalem, à commodo & incommodo urgens. Si, inquit, nunc audieritis me uobis consulentem, audiam & uos inuocantes nomen meum: non audiam autem uocantes si meam neglexeritis doctrinam. De eo plura legis Prouerb. 1. cap. Et 28. cap. Qui declinat aures suas ne audiat legem, eius oratio erit execrabilis. Rursus, Si parci, inquit, uerbi mei dispensatores fueritis, parcus ero in donis dispensandis. Sin largiter effuderitis quod credidi uobis, munificus ero in cõferendis donis amplissimis. His addit aliam sententiam & ipsam amplissima dona strenuis dei seruis pollicentem, Et adijcietur uobis qui auditis. Eam rursus alia illustrat, Qui enim habet dabitur illi, & ab eo, &c. De ea sententia dixi apud Matth. in 13. cap. Paraphrastes, Qui habet, inquit, nec habet sibi tantum, sed alijs impartit quod habet, ei tanquam bonæ fidei dispensatori adijcietur ut abundet. Qui uero non habet (non habet autem qui thesaurum defossum apud se seruat) non solum non erit ditior, uerum etiam hoc ipsum, quod uni sibi uidebatur habere, tolletur ab eo, &c.

Et dicebat, Sic est regnum dei, quemadmodum si homo sementem iaciat in

ciat in terram ac dormiat, atq; exurgat nocte ac die, ſegesq; germinet, ac ſurgat in altum, ipſo inſcio. Vltro enim terra fructum gignit, primum herbã, deinde ſpicam, deinde plenum frumẽtum in ſpica. Cum autem productus fuerit fructus, ſtatim immittit falcem, quoniam adeſt meſſis.

Ex quatuor illis ſeminum generibus, quorum iam meminit in ſeminatoris parabola, repetit aut reſumit quartum illud bonum & fructificans, ac præſenti parabola oſtendit, quomodo fructificet ſemen uerbi dei, cuius item ui atq; uirtute fructificet, & quod præmium uirtuti ſit paratum. Non protinus, inquit, ſimul atq; ſeminatum eſt ſemen, enaſcitur & in ſegetem aſſurgit: ſed interualla habet & auctibus ſiue incrementis quibuſdam aſſurgit. Sic fructificat etiam uerbum dei iactum atq; ſuſceptum in cordibus fidelium. Grandeſcit enim auctibus quibuſdã uirtus. Nam ut nemo protinus perfectus naſcitur artifex, ita nemo eueſtigio in omnibus uirtutibus perfectiſsimus eſt. Deinde creſcit & fructificat ſemen abſq; opera agricolæ, ſolius dei uirtute dantis incrementũ. Exurgit enim ſeges inſcio agricola, ipſo interim noctu dieq; dormiente & exurgente aliudq; agente. Ita apoſtolus, Non eſt aliquid, ait, qui rigat, aut qui plantat, ſed qui incrementum dat deus. Sed & uirtuti & bonis fructibus ſuum paratum eſſe præmium, inde claret, quod meſsis quoq; inſtat, & uenit tandem, in qua colliguntur fructus. Meſsis enim iudicium eſt. In iudicio colliguntur fideles in æterna tabernacula: paleæ traduntur exurendæ igni inextinguibili. Pertinet & alió illa parabola. Iubet enim dominus miniſtros creditum ſemen agro committere dominico, ſucceſſum committere deo. Iudicaturum hunc certò orbem, ubi ipſi fuerit uiſum. Noſtrum enim non eſt ſolicitos eſſe quid euenturum ſit, & quando: noſtrum eſt credere deo, ipſius obedire mandatis, & omnem illi euentum committere.

Quomodo fructificet uerbum dei in homine pio.

Et dicebat, Cui aſſimilabimus regnum dei? aut qua collatione conferemus illud? Eſt ſicut granum ſinapis, quod cum ſeminatum fuerit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus quę ſunt in terra, & cum ſeminatum fuerit, exurgit, & euadit maius omnibus oleribus, & profert ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra eius aues cœli nidificare.

Enarraui hanc parabolam apud Matthæũ in cap. 13. Theophylactus, Paruus quidem, ait, ſermo fidei. Nam ſi credideris in Chriſtum, ſaluaberis. Vide qualis ſermo: tale eſt granum ſinapis. Nam prædicatio miſſa ſuper terram, dilatata eſt & creuit, ita ut uolatilia cœli, id eſt omnes ſublimes ſcientia & ſenſu in ipſa habitent. Quot enim ſapientes relicta ſapientia gentilium, in prædicatione requieuerunt? Maxima igitur fuit prædicatio & magnos ramos fecit. Vnus enim apoſtolorum ad Indiam, alius ad Romam, & alius in aliam partem terræ diuiſi ſunt ut rami.

Vis ingens uerbi dei.

Et talibus multis parabolis loquebatur eis ſermonem, prout poterant audire. Sine parabola autem non loquebatur eis. Seorſim autem diſcipulis ſuis exponebat omnia.

Paraphraſtes hæc S. Marci uerba ſic explanauit, His atq; alijs id genus multis parabolis dominus Ieſus rudi craſſoq; populo proponebat imaginem futuri ſucceſſus euangelici, ſermonem ſuum ad illorum captum attemperãs: nihil autem illis tum loquebatur, niſi per inuolucra parabolarum, quod nõdum eſſent nudi ſermonis capaces. Etenim ſi dixiſſet ſe breui à Iudæis occidẽdum, ſed mox reuicturum, gloriamq; ſuam per uniuerſum orbem ſparſurum, ſic ut qui tum omnium infimus uidebatur, intelligeretur totius mundi princeps: ut nulli mortalium quantumuis ſublimi quies

aut tutum esset receptaculum futurum, nisi sub ipsius ramos confugeret, nemo sermonem neq; tulisset neq; credidisset. Et tamen expediebat hæc ueluti per somnium meminisse, ut post ex ipsa re agnosceret, quid sibi uoluissent parabolæ. Apostolis autem secreto colloquio declarabat quis esset arcanus sensus parabolarum omnium quas dixerat.

Et ait illis in die illo cum aduesperauisset, Transeamus in ulteriorem ripam. Et dimissa turba assumunt eum ita ut erat in naui: sed & aliæ nauiculæ erant cum illo. Et oritur procella uenti magna, & fluctus irruebant in nauim, ita ut illa iam impelleretur. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens, & excitant eum, dicuntq; ei, Præceptor, non est tibi curæ quod perimus? Et excitatus increpauit uentum, dixitq; mari, Sile, obmutesce. Et conquieuit uentus, factaq; est tranquillitas magna. Et dixit illis, Quid timidi estis adeo? Quî fit ut non habeatis fiduciam? Et affecti sunt timore magno, dicebantq; inter sese, Quisnam hic est, quod uentus & mare obediunt ei?

Imago tempestatis magnæ. Habet seges sua uitia & morbos suos, subiecta est tempestatibus atq; periculis. Sequitur ergo imago quædam tempestatis maximę: indicatur quid agant qui in turbis & tempestatibus huius sæculi uersantur, iubentur supplices Christo accidere. Solus enim is est qui tempestates ecclesiæ obortas placide tranquillat. Erasmus in suis Annotationibus, Quod tum exhibuit Iesus, inquit, id hodie in nobis agitur. Quàm periculose indormiunt hodie puluillis ac ceruicalibus huiusmodi præsules & pontifices quidam horum temporũ? Periclitatur uniuersus populus, nec est qui Christum excitet in illis profundissime dormientem. Imò nolunt excitari, & habent qui somnum hunc pestilentissimum foueant, occinentes ad aurem blando susurro, euge euge. Expergiscere tandem optime Iesu, ne pereamus. Ea copiosius exequitur in Paraphrasi. Et nos plura in hanc historiã dedimus apud Matth. in cap. 8. Interim maxima nobis commendatur atq; prædicatur Christi gloria atq; potentia. Compescit hic uerbo omnium sęuissima elementa, aquam & uentos furentes. Dominus ergo est cœli & terræ omnipotens, cui qui fidunt nunquam confundentur.

COM-

COMMENTARIORVM IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

LIBER SECVNDVS.


RAECEDENTE *libro multa de Verbo dei disputata sunt. At huius unicus & certissimus scopus est Iesus saluator mundi, & fides in ipsum. Ergo ut illustrius esset nomen Christi saluatoris, & fides in ipsum commendatior omnibus sanctis, tres nobiles historias subiungit in cap. 5. Marcus, quibus & potentiam atq; uirtutem Christi illustrat, & fidem in Christum docet. Postea redit iterum ad uerbum dei & prædicationem uerbi. Inducit enim dominum in patria sua docentem, qui & populi sui ingratitudinem acriter incusat. His pulchre subnectit ablegationem discipulorum ad munus prædicandi, atq; præcepta quibus abeuntes instruxit. Iam & obedientiam diligentiamq; discipulorum attingit. Mox connectit illustrem S. Ioannis baptistæ historiam, in qua proponitur egregium exemplum boni & cordati concionatoris, & quis fuerit eius exitus. Rursus ad consolationem ministrorum suorum, & ad instructionem omnium fidelium, pascit turbas in deserto dominus, liberatq; in lacu periclitantes. Ita enim testificatur dominus se esse cibum fidelium, se esse pastorem summum, se dare pastores, se liberare inuocantes ipsum ex omnibus periculis, inq; tranquillum deducere portum. Et hæc quidem hactenus de Doctrina ueritatis: subiungitur illis à Marco de traditionibus humanis tractatus. Eas cauere & fugere docet dominus. Relictis tamen mox doctoribus humanarum traditionum, conuertitur ad populum, & huic exponit quæ sit uera animi puritas, quis scopus doctrinæ pietatis, ut purgetur mens hominis. Postremo docetur exemplo Syrophœnissæ uera in Christum fides, docetur quanta sit domini uirtus atq; bonitas.*


T uenerunt traiecto mari in regionem Gadarenorum, egressoq; ei de naui, statim occurrit è monumentis homo spiritui immundo obnoxius, qui domicilium habebat in monumentis. Et ne catenis quidem quisquam poterat eum ligare, propterea quod cum sæpe compedibus & catenis uinctus fuisset, discerptæ essent ab illo catenæ, & compedes essent comminutæ, neq; quisquam ualuisset illum domare. Et semper die ac nocte in montibus, & in monumentis erat clamans & concidens seipsum lapidibus. CAP. V.

Quod Ioãnes apostolus ostẽdit per conciones domini sacras, id reliqui tres per mirifica efficacissimaq; opera Christi demonstrãt, Christum esse dominũ rerũ omnium, cui subiecta sunt mũdus, diabolus, peccatũ, morbi, calamitates, uita et mors: & quod dominiũ illud omnibus euangelio obsequentibus conceditur à liberatore Christo per fidem. Prima hæc historia docet Christum esse uictorẽ sathanæ: cuius uires atq; sæuitia multis declarat, in hoc ut uincentis ipsum robur & potestas fiat illustrior. Consideret interim quilibet q̃ fœda sit seruitus seruire principi, imò tyranno diabolo, q subditos sibi infandis diuexat modis. Reliqua petant ex 8. ca. Matt. *Opera Christi.*

Cum uidisset autem Iesum eminus, cucurrit, & adorauit eum, & clamans uoce magna, dixit, Quid mihi rei tecum est Iesu fili dei altissimi? Adiuro te per deum ne me torqueas. Dicebat enim illi, Exi spiritus immunde ex homine. Et interrogabat eum, Quod est tibi nomen? Et respondit, dicens, Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et precabatur eum multis, ne ipsos emitteret extra regionem. Erat autem ibi iuxta montes grex porcorum magnus, qui pascebantur: & precabantur eum omnes dæmones, dicentes, Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et permisit eis

ſtatim Ieſus. Et egreſſi ſpiritus immundi, ingreſſi ſunt in porcos. Et ferebatur grex per præceps in mare. Erant autem eorum fermè duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

Virtus Christi, & malitia ſathanæ. Hic maxime eluceſcit uirtus Chriſti, quæ tam facile profligat legionem, quàm unicum. Declaratur & ſathanæ malitia. Paraphraſtes enim, Tanta, inquit, erat dæmonis malitia ut grauiſſimus eſſet ipſi cruciatus, ſi iã non liceret cruciare miſerum hominem. Sentiebat autem Ieſu uocem efficacem & omnipotentem, cui uolẽs nolens parere cogeretur. Iam mihi confer an non ſimilis affectus ſit in hominibus qui iam ad extremum malitiæ deuenerunt: quibus uoluptati eſt alijs uel ſuo etiam malo malefacere: & ſi coerceantur à licentia facinorum, uehemẽter animo diſcrutientur. Maxima quoq; ſathanæ temeritas audaciaq; obſeruãda uenit. Audet impurus filium dei adiurare per deum. Audet idem per impura impiorum, hæreticorum, & magorum ora ſacerrima proloqui uerba: audet obteſtari magna cũ authoritate. Sed pij flocciſaciunt: ſicuti & omnium ſanctorum caput Chriſtus, obteſtantẽ auerſatur & expellit. Ne itaq; terreant nos adiurationes magorum: ne decipiãt nos obteſtationes hæreticorum. Huiuſmodi artibus conatur ſathan regnũ ſemel occupatum retinere. Nobis contra perſeuerandũ eſt in ſpe & fide firma domini noſtri Ieſu, nec ceſſandum ab oppugnatione donec expellamus ſathanã. Extra regionem mittere uidetur diabolus pro eo accepiſſe, quod eſt è regione hac aeris in tartarum & caliginem ſempiternam dare præcipitẽ. Aut certe cupiebat dux impuræ legionis per agros regionis Gadarenæ impie & libere uagando latrocinari & diuexare homines: ſicuti hucuſq; fecerat opera hac in re utens dæmoniaci. Nemo autem cogitans diabolos ſpiritus eſſe, mirabitur quomodo in uno homine legio hærere potuerit diabolorũ. Et quamuis ſpiritus ſint, loco tamen certo non carent. Nã ubiq; non ſunt. Id quod ex eo poteſt colligi, quod precantur ne ejciãtur ex illa regione. Verũ de illis, de quibus ſcriptura non diſſerit operoſe, ſubtilius diſputare, & omnes cauſas, modum & formas indagare uelle, hominis curioſi magis quàm pij eſt.

Porrò qui paſcebant porcos fugerunt, & renunciauerũt in ciuitatem & in agros. Et egreſſi ſunt ad uidendum quod acciderat, ueneruntq; ad Ieſum, & uident illum qui à dæmonio uexatus fuerat ſedentem ac ueſtitum, & ſanæ mentis eum qui habuerat legionem, & extimuerunt. Et narrauerunt illis qui uiderant qualia eueniſſent ei qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus ipſorum.

Hæc amplificant miraculũ, & commendãt hiſtoriæ ueritatem. Primo quidem ipſi porcorum paſtores rem geſtam in ciuitate & uiculis agri diuulgant. Ad ipſorum nuncium effunditur ad Chriſtum ingens populi turba. Deinde qui ſpectaculo adfuerant necdum receſſerant à domino, rurſus ab initio narrabant illis qui procurrerunt, omnem rei geſtæ hiſtoriam, de legione eiecta, de porcis demerſis in lacum. Plura require ex 8. cap. Matth.

Cumq; ingreſſus eſſet nauim, rogabat illum is qui à dæmonio fuerat uexatus, ut eſſet cum illo. Ieſus autem non permiſit ei, ſed ait illi, Abi domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi dominus fecerit, & miſertus ſit tui. Et abijt, & prædicare cœpit in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Ieſus, & omnes mirabantur.

Gratitudo & laus dei. Diſcedit dominus ab ingratis & craſſis hominibus, qui pluris faciebãt porcos q̃

cœleſtes

cœlestes thesauros. Interea non offenditur multorum ingratitudine qui sanitatis beneficium acceperat à domino. Videns enim suæ sanitatis authorem abire, rogat ut liceat ipsi in illius esse comitatu. Sic uero typum prætulit pijs, docens quomodo se gerant qui acceperunt beneficia dei. Dominus autem maluit illum habere præconem quàm comitem: quod id magis expediret multorum saluti. Abi, inquit, in domum tuam, & ad cognatos & amicos tuos, qui norunt qualis hactenus fueris, & annuncia, id est, prædica, celebra laudibus beneficium & misericordiam tibi præstitam à domino. Quilibet autem nostrum hoc ipsum sibi dictum putet quod homini huic iniungitur. Misericordia sua saluauit nos, & in diem beneficia ingentia confert nobis munificus dominus. Pro his nunquam cessemus agere gratias, laudemus semper misericordiam dei, hortemur & alios ad fiduciam ueram, ut & ipsi ad fontem omnium gratiarum accedentes saturentur omni bono. In hunc finem autem subiungitur & obedientia fidelis liberati huius hominis. Abijt enim homo ille iussis obtemperans Iesu, ac per Decapolim (de qua dictum est Matthæi quarto) prædicauit Iesu potentiam ac beneficentiam. Ac narratio eius fidem apud illos facile inuenit, quod antea plerisque eius regionis hominibus notus fuisset, & nunc cernerent ipsum integra uti sanitate. Sapientissime ergo egit dominus qui noluit illum in suum asciscere comitatum, in quo suspectum multis fuisset illius testimonium. Obediamus ergo & nos benefico seruatori, & laudemus ipsum, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.

Et cum traiecisset Iesus naui rursus in ulteriorem ripam, cōuenit ad eum turba multa, & erat circa mare. Et ecce uenit quidam principum synagogæ, nomine Iairus, & cum uidisset eum procidit ad pedes eius, & precabatur eum multum, dicens, Filiola mea in extremis est (oro) ut uenias & imponas illi manus, ut salutem consequatur & uiuat. Et abijt cum illo, & sequebatur eum turba multa comprimebantque eum.

Præmittitur occasio tertij beneficij siue miraculi. In Iairo suppeditatur nobis exemplum fidei suadentis accedere Christum in omnibus nostris necessitatibus. Præstruitur ad secundum miraculum & beneficium accessus commemoratione irruentis turbæ & comprimentis dominum. In hac enim frequentia & angustia enititur ad contactum saluatoris mulier quæ profluuio sanguinis laborabat, cæterum mox ea à fluxu sanguinis liberatur. Interim egregie dixit ille, beneficentiam homines allicere ut solet magnes attrahere ferrum. Delectatur dominus hominum frequentia. Benefacit omnibus: nec exhauritur interim perennis ille gratiæ & uirtutum fons. Accurramus ergo & nos, ut inde satiemur.

Et mulier quædam quæ laborauerat profluuio sanguinis annos duodecim, fueratque multa perpessa à compluribus medicis, & insumpserat omnes facultates suas, neque quicquam adiumenti senserat, sed plus detrimenti acceperat, cum audisset de Iesu, uenit in turba à tergo, & tetigit uestimentum eius. Dicebat enim, Si uel uestimenta eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore quod sanata esset à flagello. Et statim Iesus in semetipso cognoscens uirtutem ex sese prodijsse, conuersus in turba, aiebat, Quis tetigit uestimenta mea? Et dicebant ei discipuli ipsius, Vides turbam undique prementem te, &

dicis, Quis me tetigit? Et circumſpiciebat ut uideret eam quæ hoc fecerat. Mulier uero timens & tremens, ſciens quid in ſe accidiſſet, uenit & accidit ei, dixitq; ei omnem ueritatem. Ille autem dixit ei, Filia fides tua te ſeruauit: uade cum pace & eſto ſana à flagello tuo.

Chriſti maxima uis. Docet nobilis & lepida hæc hiſtoria, Chriſtum eſſe omnium infirmitatum morborumq; dominum atque potentem, qui ſua uirtute ſanet omnes & corporum & mentium morbos. Ergo quod circumſtantiæ tam diligenter deſcribuntur, quod per integros annos 12. morbo ſit afflicta, quod à medicis multa ſit perpeſſa, quod omnes facultates nequicquam erogarit medicis, quod deterius etiam habuerit poſt medicinam ſumptam, ualde nobis commendat atq; laudat Chriſti potentiam qui nullo negotio deſperatum pepulit morbum. Mulier uero exemplum nobis fidei ſuppeditat in Chriſtum efficacis. Diffidebat iam medicis, imò deſperarat de omni humano præſidio, omnem ſpem ſuam figit in Chriſtum, qui ipſius fide delectatus, liberauit illam à morbo longe fœdiſſimo. Tanta uero erat fidei fiducia ut apud ſe cogitaret, ſi liceat uel fimbriam ueſtis dominicæ attingere, liberabor à morbo. Non tribuebat ullam uim ueſti, ſed Chriſto tota confidebat, cuius uim tantam eſſe credebat, ut uel minimum in illo, adeoq; infirmitas (ut ſic dicam) eius, plus poſſit quàm uniuerſa medicorum ars & potentia mundi potentiſſima. Ideo uero ne quis ueſti quicquam attribueret, ſequitur Ieſum cognouiſſe ex ſeſe prodijſſe uirtutem. *Prodit è Chriſto uirtus.* Prodijt autem uirtus à Chriſto non à loco in locum tranſiens, ſed manens immota & minime imminuta in Chriſto: communicatur uero alijs: quemadmodum etiam doctrina prodit è docentibus traditurq; diſcentibus, ut interim docens nihil amiſerit. Theophylactus per allegoriam hoc poſtremum explicans, Tetigit, inquit, ueſtem Chriſti, hoc eſt carnem eius, & ſanata eſt. Qui credit eum eſſe incarnatum deum, is eſt qui tangit ueſtimentum eius. Singulariter fidei ueræ uirtus explicatur hac hiſtoria, illa ſemper retinet timorem & cum tremore & reuerentia ambulat in uijs domini. Cætera pete ex 9. capite Matth.

Adhuc eo loquente, ueniunt à principe ſynagogæ qui dicerent, Filia tua mortua eſt, quid ultra uexas magiſtrum? Ieſus autem protinus audito ſermone qui dicebatur, ait principi ſynagogæ, Ne metuas, tantummodo crede. Et non permiſit quenquam ſe conſequi, præter Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi: & uenit in domum principis ſynagogæ, uidetq; tumultum ac flentes ac eiulantes multum. Et ingreſſus ait illis, Quid tumultuamini & ploratis? Puella non eſt mortua, ſed dormit. Et irridebant eum. Ipſe uero eiectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & eos qui cum ipſo erant, & ingreditur eò ubi puella decumbebat, & prehenſa manu puellæ, ait illi, Talitha cumi: quod eſt, ſi quis interpretetur, Puella, tibi dico, ſurge. Et ſtatim ſurrexit puella & ambulabat. Habebat enim annos duodecim. Et inuaſit eos ſtupor magnus: & interminatus eſt eis multum, ne quiſquam reſciſceret hoc: & iuſſit ut daretur ei quod ederet.

Chriſtus uita eſt credentium. Tertia hiſtoria euidens admodum & præclara, docet apertiſſime Chriſtum Ieſum eſſe dominum uitæ & mortis, adeoq; ſua uita omnes reuocare credentes ad uitam, qui per peccata fuerant mortui, eorundem corpora & in fine mundi ex mortuis

tuis excitare posse. Proinde quod seruuli nunciant puellulam mortuam, quod aderant de more lamentantes totaque domus ploratibus perstrepebat amaris, argumenta erant uere mortuam esse puellam: unde clarius elucescit maxima Christi uirtus, mortuam nullo negotio reuocantis ad uitam. Metuimus misere mortem omnes. At misit nobis pater cœlestis medicum & principem uitæ potentissimum, cui si nos credamus permittentes nos totos potentissimo, à ui mortis liberare potest. Si quis ex India aut Aethiopia ueniens polliceretur sese certis & probatis medicamentis mortem uel depellere, uel quo tardius ingruat, uel minus in nos sæuiat efficere posse, quanta quæso hominum uis ad talem accelerarét medicum? Accurramus ergo fide uera cum Iairo ad uerum & cœlestem medicum, ad principem illum uitæ & mortis. Efficiet enim certò ut morientes non moriantur, si quis spectet animarum immortalitatem, & corpora quoque ipsa somno duntaxat consopiantur ad tempus. Rursus enim in fine mundi resurgent ad uitam & gloriam sempiternam. Territant quidem & ad desperationem impellunt ferè spectra & terriculamenta uaria, suadentia morituros perituros que nos. Cæterùm in omnibus tentationibus subinde reuocanda mente domini uox, Ne metuas: tantummodo crede. Non potest fallere & mentiri ueritas æterna. Qui iubet credere, credentem non potest fallere. Reliqua require apud Matthæum in cap. 9. Porrò recitat Marcus uerbis Syriacis ut D. Hieronymo uisum est, quod dominus puellæ mortuæ dixit, non ut Magis formulam præberet incantandi, sed ut ostenderet dominum nullo negotio neq; inuocatione alterius dei, imò uirtute propria mortuam reuocasse in uitam. Hieronymus quædam disputat de uocibus illis peregrinis ac earum interpretatione, de optimo interpretandi genere ad Pammachium.

Et egressus est illinc, uenitque in patriam suam, & sequuntur eum discipuli sui. Cùmque adesset sabbatum, cœpit in synagoga docere: multique audientes obstupuerunt, dicentes, Vnde huic hæc? & quæ est hæc sapientia, quæ data est illi? & tam potentia facta (quæ) opera eius efficiuntur? Nónne hic est ille faber, filius Mariæ, frater autem Iacobi & Iose & Iuda, & Simonis? Nónne & sorores eius hic apud nos sunt? Et offendebantur in eo. CAP. VI.

Rursus docet dominus, qui illuminaturus & redempturus mundum uenerat. Ergo doctrina aliud non habet præstantius ecclesia Christi. Est enim animæ cibus, regula uitæ, & lucerna illuminans oculos. Sed & circumstantias diligenter attingit omnes, iccirco easdem nonnihil illustrare operæpretium est. Ac principio quidem omnibus debemus ex charitate & humanitate beneficentiam, in primis autem patriæ. Cui qui non benefacit, hominis nomine indignus est: qui damno afficit, diabolus est. Deinde docuit in synagoga siue in cœtu dominus. Tametsi enim priuatim singulorum sit uerbum dei, uoluit tamen dominus ab initio prædicari maxime in ecclesia sanctorum. De synagogis dictum est apud Matthæum. Iam omne tempus cultui dei est idoneum, sabbatum tamen peculiariter cultui est destinatum, in quo coeant sancti ad preces & doctrinam pietatis, deinde etiam ab omni uanitate & re praua cessent, uirtutibus operam dent. Docuit autem ac interpretatus est dominus scripturam, Isaiæ locum è 61. cap. enarrans, ut est apud Lucam in capite quarto. Reliquit autem ministris suis & exemplum & institutionem, quid & ipsi tractent & tradant in concionibus sacris, Christum & quæ uidelicet per Christum dedit nobis pater cœlestis, tradant autem ex scripturis, quæ plene omnia Christi Docet dominus

mysteria comprehendunt. Sequitur quomodo populus ad prædicationem ueritatis afficiatur. Miratur quidem, sed offenditur interim. Externa quærit, genus, stemmata, pompam, titulos, & strepitum huius sæculi, quæ cum non inuenit, contemnit. Cæterum his externis ut non innititur prędicatio ueritatis, ita ijsdem non uult commendari. Sed & hodie quoq; multi magni faciunt titulos & pompam in doctoribus. Sed nihilo faciunt prudentius quàm Nazarethani. Reliqua pete ex Matth. cap. 13. & Lucæ 4. Item de Fratribus Iesu Matth. 12. cap. Paraphrastes, Cum, inquit, doceret in synagoga Iesus, apud multos hoc ipsum eleuauit illius authoritatem, quod iuxta carnem notus esset. Nouerant tenues parentes, & humilem domum, unde prodierat: de patre cœlesti, deq; domo æterna, unde nostra causa descenderat, ne per somnium quidem aliquid suspicabantur. Nouerant artem paternam qua Ioseph familiam alebat, quam primis annis & ipse Iesus exercuerat. Erat autem faber lignarius, opificio uidelicet congruente ei, per quem pater cœlestis mundum hunc uniuersum fuerat olim fabricatus. Per fabrum conditum est genus humanum: per fabrum decuit & restitui. Et reliqua. Idem in Annotat. Intelligimus dominum & patris sui, ait, legalis exercuisse artem. Cur enim hoc recusasset nostra causa dei filius, qui ne crucem quidem recusauit? neq; Paulum, tantum uidelicet apostolum, puduit opera manuaria parare quo uictitaret &c. Offendebantur autem uilitate Christi, & resiliebant à doctrina eius.

Tituli in docentibus.

Dicebat autem illis Iesus, Non est propheta contemptus, nisi in patria sua, & inter cognatos, & in familia sua. Et non poterat ibi uirtutem ullam edere, nisi quod paucos infirmos, impositis manibus sanauit, ac mirabatur propter incredulitatem eorum. Obibat autem uicos undiq; circumiacentes, docens.

Nolle dei est non posse.

Exposui hæc apud Matth. in cap. 13. Alij uero non inepte, Non potuit, pro, Non uoluit, exponunt. Cum enim omnipotens sit filius cum patre, nolle eius est non posse. Potest quidem omnia, sed ideo non uult omnia. Vult ea quæ bona sunt, & quæ contra uerbum eius non pugnant. Errant ergo qui ex omnipotentia dei colligunt quiduis, quasi id etiam fecerit quod contra uerbum dei est, nec; fecit unquam. Ordine agit dominus. At indigni erant propter incredulitatem Nazarethani, quibus dominus multa conferret beneficia &c. Iterum autem inculcat obambulasse Christum dominum ac docuisse, quo uidelicet altius infigat docendi munus.

Et accersit duodecim, cœpitq; eos emittere binos, ac dabat illis potestatem aduersus spiritus immundos, præcepitq; eis, ut ne quid tollerent in uiam, nisi uirgam solum: non peram, non panem, non in zona æs, sed calciarentur sandalijs, & ne induerentur binis tunicis. Et dicebat eis, Vbicunq; introieritis in domum, illic manete, donec exeatis illinc. Et quicunq; non receperint uos, neque audierint uos, exeuntes illinc, excutite puluerem, qui est sub pedibus uestris, in testimonium illis. Amen dico uobis, tolerabilius agetur cum Sodomis aut Gomorrhis in die iudicij, quàm cum ciuitate illa.

Apostoli amandãtur ad docendum.

Appositissime post concionem saluatoris subnectit S. Marcus ablegationem discipulorum ad munus prædicandi. Iam enim tempus erat ut quos hactenus suo exemplo docuerat & ad prædicandum destinarat, iam periculum facere iuberet.

Omnia

Omnia explicata sunt apud Matth. in cap. 10. inde require. Paraphrastes hunc Marci locum egregie explicat, quem si legeris certe non citra fructum legeris.

Et egressi prædicabant ut resipiscerent: & dæmonia multa eijciebant, ungebantque oleo multos ægros & sanabant.

Præceptis dominicis adiungitur obedientia fides & diligentia apostolorum, ut implorato dei auxilio illa ipsa factis exprimere annitantur quotquot uocati sunt ad ministerium uerbi. Eijciebant dæmonia uirtute Christi, quem prædicabant, & in ipso renouationem uitæ. Vbi uero innouatur homo, per spiritum sanctum innouatur, accedens sathanas locum præbet regi Christo, qui uenit in mundum ut regnum et opera diaboli dissoluat. Vngebant ægros oleo, nimirum iuxta institutionem Christi. Haud enim uerisimile est apostolos quicquam tentasse aut fecisse quod non prius iusserit Christus. Vsi autem sunt oleo apostoli sicuti dominus manuũ impositione, sputo & luto: significans utique uirtute diuina non medicamine humano morbos curari. Itaque adhibebant oleum apostoli, significantes spiritus sancti uirtute (per oleum enim frequenter in scripturis significatur spiritus sancti gratia) curari, quos curabant ipsi. Ideo uero non protinus sequitur oleum esse sacramentum, id est ceremoniam Christianorum perpetuam, beneuolentiæ dei erga nos testimonium &c. sicuti est Baptismus & Cœna domini. Alioqui multa possent sacramenta fingi in ecclesia, etiam sputum & lutum, &c. De loco Iacobi quinto capite disputaui in Commentarijs ad epistolam Iacobi.

Obedientia & fides apostolorum.

Vnxerũt ægros apostoli.

Hæc audiuit rex Herodes (innotuerat enim nomẽ eius) dicebatque, Ioannes ille qui baptizabat resurrexit à mortuis, & propterea uirtutes agunt in illo. Alij dicebant, Helias est. Alij uero dicebant, Propheta est, uel tanquam unus ex prophetis. Cum audisset autem hoc Herodes dixit, Cui ego præscidi caput, Ioannes iste est, ipse surrexit à mortuis.

Priusquam historiam de Ioanne exituque & fine eius narret Marcus, præmittit quod fama nominis Iesu ualde inclaruerit in mundo, adeo ut & regi Herodi & aulæ Herodianæ innotuerit. Adiungitur uariatum esse sentẽtijs nimirum in uulgo & turba. Præmonet autem fideles ne offendantur si forte uariæ sint de euangelica doctrina & Christo sententiæ. Pergendum nihilominus in assertione ueritatis certæ & indubitatæ. Reliqua pete ex principio cap. 14.

Nam ipse Herodes missis satellitibus prehenderat Ioannem, & uinxerat eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui: quia duxerat eam uxorem. Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, cupiebatque occidere illum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum uirum iustum & sanctum, & obseruabat eum, auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset cum Herodes in natalitijs suis cœnam faceret primatibus ac tribunis & primoribus Galilææ, cumque introijsset filia ipsius Herodiadis ac saltasset placuissetque Herodi ac simul accumbentibus, rex ait puellæ, Pete à me quicquid uis, & dabo tibi, iurauitque illi, Quicquid petieris à me, dabo tibi usque ad di-

midium regni mei. At illa egressa dixit matri suæ, Quid petam? Illa uero dixit, Caput Ioannis baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad regem, petiuit, dicens, Volo ut protinus des mihi in lance caput Ioannis baptistæ. Et dolore affectus rex propter iusiurandum eosq; qui secum accumbebant, noluit eam reijcere. Et confestim rex misso spiculatore iussit inferre caput eius. At ille abijt, & decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in lance, deditq; illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ. Quo audito discipuli eius uenerunt, & sustulerunt cadauer eius, posueruntq; illud in monumento.

Nobile proponitur omnibus uerbi dei ministris exemplum in Ioanne baptista, quem imitentur synceritate fidei, puritate doctrinæ, zelo dei & uirtutum, libertate in dicendo, fortitudine & constantia in agendo. Nec pluris faciant suæ famæ existimationem uitæq; incolumitatem, quàm suum illud excellens ministerium, præclarum inquam ueritatis præconium, confessionem dei, laudem uirtutum & scelerum grauem accusationem condemnationemq;. Reliqua quæ in illustri hac historia ueniunt obseruanda, tractaui apud Matthæum in capite decimoquarto.

Et congregantur apostoli ad Iesum, & renunciauerunt ei omnia, & quæ egissent quæq; docuissent. Et ait illis, Venite uos soli seorsim in desertum locum, & requiescite paululum. Erant enim qui uenirent & abirent multi, ac ne cibum quidem capere uacabat. Et contulit se in desertum locum nauigio seorsum.

Semper recurrendum ad Christum.

Consultissime redeunt iam ad saluatorem apostoli, prædicatione euangelica perfecta, à quo legati abierant prædicatum. Semper enim recurrendum est ad Christum, à quo proficiscuntur omnia. Huic nos & omnia nostra probanda deferre oportet. Qui mundo placere cupit Christiq; obliuiscitur capitis, uocationi suæ parum aut nihil prorsus respondet. Neq; hic nobis si quid per nos egregie geritur, tribuendum. Omnis laus & gloria Christo agenti bona & præclara per nos deferatur. Ac rebus quidem bene strenueq; gestis per apostolos, auocat ipsos ad locum solitarium, in quo frequentia hominum aliquandiu non turbarentur. Requies enim iusta conceditur sanctis labore delassatis. Neq; enim probantur deo qui immodicis sese ante tempus conficiunt laboribus, atq; eo modo sese utilitati publicæ ueluti subducunt. Paraphrastes addit & aliud, Non datus est secessus, inquit, ad uoluptatibus laxandum animum, sed ad secreta precatione uegetandum renouandumq; spiritus uigorem mox recursuris laboribus. Nam doctori euangelico sanè quàm leuis debet esse cura corporis. Porrò qui fungitur apostolico munere, quoniam cum infirmis & firmis, cum doctis & indoctis, cum bonis & malis rem habere cogitur, fieri non potest quin interdum ab illa perfecta traquillitate mentis nonnihil labefactetur. Id quoties accidit ad secretas & intentissimas preces, ad purissimam rerum cœlestium contemplationem animus est traducendus, ut mox uegetior factus ad iuuandum proximum redeat.

Cumq; uidissent eos abeuntes turbæ, agnouerunt eum multi, & itinere pedestri ex omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos, conueneruntq; ad illũ. Et egressus uidit turbam multã Iesus, & intime misertus

sertus est eorum, quia erant uelut oues non habentes pastorem. Et cœpit illos docere multa.

Commendatur hic nobis ardentissimum studium audiendi uerbum dei, quod fidelis turba nunquam non pari zelo exprimere contendit. Qui negligunt uerbi dei prædicationem, ex deo non sunt, sicuti ipse dominus Iesus pronunciat apud Ioannem in cap. 8. Iesus quoque ualde delectatus pio uulgi studio, prodit ad turbam & intime misertus eius, quod negligeretur à Pharisæis, lupis uerius quàm pastoribus, ipse ueri pastoris officium præstitit, ac turbam fideliter docuit. Vnde iterum claret doctrinam sanam, synceram & fidelem, primariam & præstantissimam esse functionem in officio doctoris episcopi siue pastoris. De hac re quædam inuenies & in fine cap. Matth. 9. & 14. *Ardens studiū audiendi uerbi dei.*

Cumque iam multum diei præterisset, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes, Desertus est locus, & iam multum temporis effluxit, dimitte illos ut abeant in circumiacentes uillas & uicos, emantque sibiipsis panes: nam quod edant non habent. At ille respondens dixit illis, Date uos illis quod edant. Et dicunt ei, Euntes emamus ducentis denarijs panes, & demus illis quod edant? At ille dicit eis, Quot panes habetis? Ite & uidete. Et cum cognouissent, dicunt, Quinque & duos pisces. Et præcepit illis ut discumberent omnes, distributis conuiuijs in uiridi gramine. Et discubuerunt diuisi per uiridaria, centeni & quinquageni. Et cum accepisset quinque panes & duos pisces, sublatis in cœlum oculis, benedixit ac fregit panes, deditque discipulis suis, ut apponerent illis, & duos pisces diuisit omnibus. Comederuntque omnes & saturati sunt, & sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos & de piscibus. Erantque qui comederant circiter quinque milia uirorum.

Re ipsa ostendit se uerum esse pastorem missum in hunc mundum ad saluandas oues, & ad ordinandos toti orbi pastores, qui cibo ex manibus domini sumpto pascant ad finem usque sæculi gregem sanguine Christi redemptum. Plura require ex decimoquarto capite Matthæi, ubi hanc historiam enarraui copiosius. Marcus singulariter designat miraculum quod è duobus piscibus tanta populi uis satiata sit, adeoque & plurimum de ijs superfuerit. Credamus ergo ubique deo, qui sperantes in se non negligit, & omnia quæcunque uult, & hominibus salutaria gloriæque eius conuenientia sunt, facit. Consolantur hæc ualide credentes uerbo dei, non tantum ministros, qui hic uident cuius degant sub patrocinio, & quis sit pastor summus uere optimus maximus. *Summus pastor alios ordinat pastores.*

Et statim coegit discipulos suos conscendere nauim, & præcedere, transmisso mari, Bethsaidam, dum ipse dimitteret turbam. Et cum dimisisset eos, abijt in montem ad orandum. Cumque aduesperauisset, erat nauis in medio maris, & ipse solus in terra, uiditque eos laborantes in remigando. Erat enim uentus aduersus eis. Et circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos ambulans super mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt illum ambulantem super mare, putauerunt spectrum esse, & exclamauerunt. Omnes enim uidebant eum, & conturbati sunt, & statim locutus est cū eis,

dicitq́ eis, Bono animo este, ego sum, ne terreamini. Et ascendit ad illos in nauim, & conquieuit uentus, & supra modum uehementer stupescebant apud sese & admirabantur. Non enim meminerāt panum: erat enim cor eorum occæcatum.

Beneficio maximo aliâs coniungit aliud æque ingens & præstans, quod periclitantes in undis præsentiq́ proximos exitio eripuerit. Hoc manifestissime demonstrat se omnes inuocantes posse ex quouis etiam desperatissimo eripere periculo. Sed exposuimus hæc apud Matthæum in cap. 14. Adijcitur in præsenti à S. Marco, Non enim meminerant panum: erat enim cor eorum excæcatum. Quo rationem reddit cur ita obstupuerint discipuli, quia nec retinebant firmiter, nec expendebant satis diligenter beneficia miraculaq́ domini: illud etiam quod præterita die multiplicatis panibus designarat. Id uero inde erat quod corda ipsorum essent occæcata obductaq́ caligine inertiæ & stupiditatis humanæ. Si diligenter expendissent, quantæ fuerat uirtutis tantam multitudinem tantulo saturare cibo, eidem diuinæ potentiæ tribuissent, & per fidem sanam cum gratiarumactione agnouissent incessum corporis dominici super aquas, & liberationem illam ex inundatione aquarum prodigiosam. Claret item unde exoriatur incredulitas & crassities humani pectoris, ex occæcatione cordis. Cor autem hominis occæcatur rebus uarijs, affectibus humanis, incuria & inertia, indiligentia & affectuum perturbatio ne: sicuti apostolis usu uenisse uerisimile est. Excæcat & sathanas, sicuti apostolus testatur, 2. Corinth. 4. Neq́ est ut causas excæcationis semper reijciamus in deum. De qua re aliâs.

Et cùm traiecissent, uenerunt ad terram Genezareth, & appulerunt. Cumq́ egressi essent è naui, continuo agnouerunt eum, & percurrentes totam undiq́ regionem illam, cœperunt in grabbatis eos qui male habebant, circunferre (eò) ubicunq́ audiebant illum esse. Et quocunq́ introijsset in uicos aut in ciuitates aut in uillas, in plateis ponebant ægros: & precabātur eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent. Et quotquot tangebant eū, salutem consequebantur.

Omnium saluator Christus. Omnium saluator est Christus. Ergò non tantum liberat apostolos periclitantes in lacu procellis obortis sæuiente: sed medetur omnium morbis, omnium inquam eorum qui ipsum accedunt per fidem. Innotuerat iam beneficium mulieri sanguinis profluuio laboranti à Christo præstitum. Iam ergo cupiunt omnes fimbriam saltem uestimenti contingere. Qua re non commendatur nobis uestis Christi, sed eximia illius potentia ac fides in ipsum. Paraphrastes, Quotquot contingebant Iesum sanabantur quocunq́ genere morbi tenebantur. Illi fidentes contingebant fimbriam uestis, quæ postea cessit his qui crucifixerant eum, & leuabantur morbis corporum, quanto magis adnitendum est omnibus, ut Iesum ipsum contingant animo, & sanentur à morbis animorum? Nihil ualet contactus sine fide. Nudum Iesu corpus contrectabant qui impegerunt alapas, qui uinciebant, qui flagellabant, qui suffigebant in crucem, neq́ cuiquam horum profuit contigisse. Legis euangelium, contingis quidem Iesum: sed legis ut refellas, aut legis oscitanter, frustra contingis Iesum. Lege syncera fiducia, mox sanaberis. Sed deprecandus est Iesus, ut liceat contingere. Frustra contingit, quem ille non contingit prior &c. Consule cap. Matth. 14.

Et

Et conueniunt ad eum pharisæi & quidam è scribis, qui uenerant Hie- CAP. VII.
rosolymis,& cum uidissent quosdam ex discipulis eius, communibus mani
bus,id est illotis, edere panes, incusabant. Nam Pharisæi & omnes Iudæi,
nisi crebro lauerint manus,non capiunt cibum,obseruantes instituta maio
rum:& à foro (uenientes) nisi loti fuerint non edunt. Et alia multa sunt quę
susceperunt seruanda (nempe) ablutiones poculorum & urceorum & æra
mentorum & lectorum. Deinde interogant eum pharisæi & scribæ, Quare
discipuli tui non uiuunt iuxta ritum traditum à maioribus,sed illotis mani-
bus edunt panem?

Disputationi de uerbo dei & doctrina sana,subiungitur tractatus de Traditioni- Traditiones hu
bus humanis. Initio indicatur quales fuerint traditiones Pharisæorum, idq; præ alijs mane.
euangelistis diligenter & copiose exponit. Deinde quid obiecerint domino,enume
rat. Quæ omnia explanauimus apud Matth. in cap.15.

At ille respondens, dixit illis, Bene uaticinatus est Isaias de uobis hypo-
critis, sicut scriptum est, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum
longe abest à me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas, præcepta
hominum. Nam omisso præcepto dei, seruatis constitutionem hominum,
ablutiones urceorum & poculorum,aliaq; his similia facitis multa.

Confutat his traditiones hominum,prophetico probans testimonio illas nihil fa
cere ad cultum dei. Nec placere deo qui traditiones hominum obseruant: imò has
impedire uerum dei cultum inducereq; neglectum uerbi dei. Id quod consequenti-
bus clarissime demonstrat.

Et dicebat illis, Pulchre reijcitis præceptum dei, ut constitutionem ue-
stram seruetis. Moses enim dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam:
& qui maledixerit patri uel matri,morte moriatur. Vos autem dicitis, Si di-
xerit homo patri uel matri, Corban, quod est, dono quodcunq; ex me (tu)
iuuaberis. Et præterea non sinitis eum quicquam facere patri suo, aut matri
suæ:& irritum facitis uerbum dei per constitutionem uestram, quam tradi-
distis. Et similia multa facitis.

Euincit exemplo euidentissimo leges humanas antiquare & in obliuionem ab-
ducere leges diuinas. Ironiam autem resipit quod ait, Pulchre reijcitis &c. קרבן Sy
riace significat donum, uel oblationem. Reliquisse uidetur uocem Syram, quod
tunc cum Marcus scriberet omnibus esset notissima, sed & in usu olim fuisset sacer-
dotibus. Fortassis petierunt hunc ritum postulandi & colligendi pecunias in gazo-
phylacium,ex lege. De qua re consule Exodi 30. & 36. cap. item 4. Reg.12. Quod
sub finem appendit, Et similia multa facitis, suam quoq; habet emphasim. Ne quis
enim domini uerba de unico hoc exemplo interpretaretur, similia omnia compre-
hendit. Cauendæ ergo sunt omnes hominum traditiones & fugiendæ. Reliqua pe-
te ex Matth. cap.15.

Et cum aduocasset ad se totam turbam, dicebat illis, Audite me om-
nes & intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod pos-

sit eum inquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ inquinant hominem. Si quis habet aures ad audiendum, audiat. Et cum introijsset in domum (semotus) à turba, interrogabant eum discipuli eius de similitudine. Et dicit illis, Siccine & uos intelligentia caretis? Nondum intelligitis quod omne foris introiens in hominem, non possit eum inquinare? Quia non intrat in cor eius: sed in uentrem, & in secessum exit expurgans omnes cibos. Dicebat autem, Quod ex homine exit, illud inquinat hominem. Ab interioribus enim è corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, stupra, homicidia, furta, auaritiæ, fraudes, dolus, impudicitia, malus oculus, conuitia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab internis procedunt, & inquinant hominem.

Quæ sit uera puritas. Perseuerant & pergunt in sua prauitate & corruptione Pharisæi, auersus ergo ab ipsis utpote cæcis & cæcorum ducibus, conuertitur ad simplicem plebeculam, ac ipsam parabola quadam instituens, docet, quæ uera puritas, & quis scopus ueræ doctrinæ, Pietas. Ea enim ad omnia utilis est, & complexu quodam sacro continet omnes uirtutes. Cæterum Cor affectuum uoluntatisque sedes est, quem admodum Renes cupiditatum. Et quod de corde & natura purgante dicit dominus, tale est, Quod ingreditur in os, non transmittitur in cor, sed in stomachum, mox in uentrem: inde si quid impurum est, excernitur in secessum, ut uescenti sit omnis cibus purus, natura repurgante quod impurum est. Enumeratio autem scelerum & uitiorum cognita est uel ex Paulinis epistolis. Malus oculus inuidus est animus adeoque ipsa inuidentia. In oculis enim ipse relucet animus hominis. Sed & Matth. 20. capite ponitur malus oculus pro animo liuido. Plura pete ex Matth. capite 15.

Et inde surgens abijt in confinia Tyri & Sidonis, & ingressus domum neminem uoluit scire, nec potuit latere. Cum enim audisset de eo mulier, cuius filiola habebat spiritum immundum, uenit & accidit ad pedes eius. Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa genere, & rogabat eum ut dæmonium eijceret è filia sua. Iesus autem dixit ei, Sine prius saturari filios. Non est enim honestum sumere panem filiorum et obijcere catellis. At illa respondit & dicit illi, Etiam domine: nam catelli quoque comedunt sub mensa de micis filiorum. Et ait illi, Propter istum sermonem uade: exijt dæmonium è filia tua. Et cum abijsset domum suam, reperit dæmonium exijsse: & filiam iacentem super lectum.

Fides radix puritatis. Veræ puritatis pietatisque fundamentum & uirtus est fides in dominum Iesum. Nobile ergo exemplum fidei præstantissimæ in Syrophœnissa adiungitur. Sed & bonitas atque potentia Christi, in quem tendit fides nostra, suis pingitur coloribus. Interim & uocatio gentium adumbratur, summaque fide & diligentia inquiruntur perditæ oues domus Israelis. Reliqua tractaui in decimoquinto capite apud Matthæum.

Et rursum egressus de finibus Tyri & Sidonis uenit ad mare Galilææ per medios fines Decapolis, & adducunt ei surdum impeditumque

ad

ad loquendum, & precantur eum ut imponat illi manum.

Aliud additur à S. Marco beneficium, quo declaratur uirtus & bonitas Christi, commendatur & fides studiosis pietatis, qua participes efficimur bonorum cœlestium. Miser ille surdus & mutus diaboli potentia permissioneq; dei in eam inciderat calamitatem in qua nunc diuexabatur. Adducitur autem ad Iesum, quem precantur ut ipsi manus imponat. Ergo ad Christum accelerandum est, quoties nos uel animi uel corporis mala premunt. Solus enim ille benignus & omnium potens, manus suas omnibus imponens se inuocantibus, uirtute sua medicatur. Diabolus quidem occupat in homine auditum præcipue, sensum sapientiæ, ut nolit audire homo ea quæ sancta sunt rectaq;. Mox & linguam occupat, quam impedit ne & ipsa rite suo defungatur officio. Inde uero in factis & dictis deprehenditur extrema corruptio: quam non sanauerit ullus alius quàm Christus dominus.

Curat dominus surdum & mutum.

Et cum abduxisset eum à turba seorsum, misit digitos suos in aures eius & sputo emisso, tetigit linguam eius, ac suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi, Ephphatha, quod est, aperire. Et statim apertæ sunt eius aures, & solutum est uinculum linguæ eius, ac loquebatur recte.

Potentia diuina sanat afflictissimum Christus. Nihil enim non potest qui unius essentiæ & potestatis est cum patre. Adhibet mundo contemptibilia, & reuera nihilominus sanat, ne uidelicet dubitaremus illum nos per mortem crucis à morte æterna liberare. Subducit miserum à turba. Oportet enim submoueri è mundo & è prauis mundi exemplis seu contagio & corruptione potius extricari eos quos seruare debet dominus. Seruandorum auribus immittit digitos, uirtute utique diuina & spiritus sancti opera aperiens cor & mentem ut ea audiant quæ salutaria sunt. Saliuam imponit linguæ. De eo Paraphrastes, In proximo est salus, inquit, quoties saliua cœlestis sapientiæ, quę ipse est, ex ore patris altissimi prodiens, dignatur animi nostri linguam contingere, ut sapiant nobis ea quæ dei sunt. Neq; enim absq; hoc humore fit gustus: & humana saliua uiciata peruersum habet iudicium. Hæc saliua non tantum linguam soluit, uerum etiam oculos aperit cæci nati, quoties admixta terræ oculis inungitur, cum saliua philosophorum & pharisæorum magis exoculet. Protinus autem atq; aures & linguam Christus contigerit aperiuntur illæ atque soluitur hæc. Audimus enim libenter quidem ueritatem, & loquimur ea quæ recta sunt, quæ utique faciunt ad laudem & gloriam dei proximorumq; salutem. Suspiciens uero in cœlum, nobis indicat, unde omne donum atque bonum proficiscatur, & unde bona nobis dari postulemus. Habitauit in ipso omnis plenitudo deitatis corporaliter dum ageret in terris, eratq; fons uitæ & salutis, subduxit se tamen mundo & ascendit in cœlum, ut in cœlos subleuaret animos omnium nostrum. Ingemiscit ut ostendat se esse pontificem qui possit compati infirmitatibus nostris. Deinde ut doceret nos dona cœlestia gemitibus & ardenti petere desyderio. Commemorat Marcus Syram uel Hebræam uocem הִפָּתַח, quod uerbum graue est significationem habens transitiuam: quasi tu dicas, Præsta te apertum, siue fias apertus. Videtur autem relictum à S. Marco ut intelligeremus dominum in curandis morbis nullis conceptis incantatorum more uerbis, sed maxime uulgaribus esse usum. Hinc enim quiuis iam colligit uirtutem sanandi non fuisse uerborum, sed uirtutis & potentiæ Christi, qui propria sua ui iubet, & quod iubet simul etiam effectum præbet.

Virtute Christus non uerbis curat.

Ac interdixit eis ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis interdixerat, eò magis ac amplius prædicabant, & ſupra modum ſtupebant, dicentes, Bene omnia fecit: & facit ut ſurdi audiant, & muti loquantur.

Theophyl. Docemur, inquit, hoc loco, quod quãdo benefacturi ſumus, non plauſus uel celebritates ex beneficijs quęramus. Ergo quod beneficium & potentiam domini tantopere prædicant, nihil peccant contra uerbum Chriſti, qui alibi gratitudinem poſcit & nos uirtutem & beneficia dei prædicare iubet. Eximia uero laus & ſoli deo competens eſt omnia bene facere, perfecte, abſolute, ut nihil deſit prorſus. Eximia uis eſt, cui nihil quantumuis potens ſit obſtiterit quo minus quod uult efficiat. Declarant hæc Chriſtum dominum æterni & omnipotentis dei patris æternum & omnipotentem eſſe filium. Cui laus & gloria ſemper.

COMMENTARIORVM IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM LIBER TERTIVS.



VIA potißima uirtus Christianorum fides est, Marcus subiungit quædam quibus fidem piorum uerbis & factis Christi docet iterum atq; confirmat, medicans affectui qui fidem ualide obturbat, curamq; præsentium rerum adeoq; ipsam diffidentiam alte inserit. His coniungit exemplum incredulitatis pharisaicæ, ostendens incredulitatem scelus & nephas esse maximum. Præcipit suis ut sibi caueant à fermento pharisæorum. Mox cæco oculos reddit, ut uel inde appareat quis reddat pijs oculos animi. Subiungitur deinceps confeßionis ueræ fidei Christianæ exemplum. Vbi dominus permulta disserit de fidei mysterijs, quomodo nobis parta salus per mortem suam: disputat & de abnegatione sui siue de mortificatione carnis. Subiūgitur his transfiguratio domini, ut hinc gustum habeant uitæ futuræ quicunq; præsentem contemnunt. Postea egregio demonstratur facinore Iesum esse Messiam mundi saluatorem, qui è potestate diaboli uenerit liberaturus credentes, qui precibus & ieiunijs contra illius insidias inuigilant. Iam etiam modestiam animi humilitatemq; suis commendat, monens interim ne quem damnemus, aut repellamus protinus: ubi & de scandalo & correctionis neceßitate atq; usu disputat.



N diebus illis, cum turba admodum multa esset, nec haberet quod manducarent, accersitis ad se Iesus discipulis suis, ait illis, Intime mi sereor turbæ, quia iam triduo manent apud me, nec habent quod edant: & si dimisero eos ieiunos domum suam, deficient in uia: Quidā enim ex eis è longinquo uenerunt. Et responderunt ei discipuli sui, Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogabat eos, Quot panes habetis? Illi uero dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ discumbere humi. Et acceptis septem panibus, cum gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis ut apponerent: & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos: & cum benedixisset, iussit apponi & hos. Comederunt autem, & saturati sunt, ac sustulerunt quę superfuerant, fragmentorum septem sportas. Erant autem eorum qui comederant fermè quatuor millia: & dimisit illos. CA. VIII.

Semper ueretur caro nostra se destituendam aliquando rebus corpori ad uictū ui tamq; necessarijs: unde est quod plærīq; uerbo dei ac concionibus sacris fœde neglectis omnē suam operā impendunt lucro & augendis rebus: dominus Iesus re ipsa pālàm docet studiosis uerbi dei synceràq; conspicuis pietate nihil unquam defuturū rerum ad uictum & necessitatē pertinentium. Et quod maxime infirmitatē nostrā subleuat, ac fidē instruit fulcitq;, illud est quod intime nostri miseretur, neq; semper sinit iusti animam esurire. Fame quidē fuerāt nonnihil exerciti huc usq;, uerū nunc etiam exaturat, ne deficerent in uia. Porrò benedicit dominus, ut nobis exemplū pręferat. Orandus enim dominus pro benedictione, & cum benedixerit, agēdæ sunt gratiæ. Saturat ille ad plenum credētes uerbo eius, & adeò, ut supersit plurimum: Est enim fons inexhaustus bonorum & copiæ cornu abundantissimum. Cætera petē ex Matt. cap. 14. & 15. Paraphrastes docte & pie hæc à corporali cibo ad spirituale deflectens, dicit, Felix conuiuium ubi famelica turba discumbit iussu Iesu. Id fit quoties populus auidus sermonis euangelici conuenit in basilicam, auditurus Iesum per os boni concionatoris loquentem. Nam multi non alio animo ueniunt in sacrā cōcionem, quàm quo uulgus solet uenire in theatrum spectaturū prophanam fabulam. Qui uult saturari panibus Iesu, discumbat oportet, idq; super terram. Compositis affectibus huc

Nihil defore rerum necessariarum pijs.

Dominus pascit spiritualiter uerbo.

ueniendum est. Non merentur hunc cibum qui supini resident in lectis pharisaicę philosophicæque doctrinæ. Quid superbis terra & cinis? Quid intumescis inani philosophia? Quid confidis his rebus in quibus non est salus? Agnosce teipsum, dejce te in terram, unde prodisti. Conquiescāt in te cupiditates carnis, & satiaberis cibo Christi. Et mox, Nō est efficax hominis sermo, nisi prius cōtrectatus Christi manibus. Habes eloquentiam, habes philosophiam, habes ingeniū, habes cognitionē sacrorum uoluminum, legum & pontificij iuris. Quicquid habes prius trade manibus Christi, consecret ille quod habes, frangat ille, iamque non uelut tuum, sed ab ipso acceptū & traditum, appone populo. Sunt enim qui frangant panē scripturę diuinę, non ut oportet, detorquentes eam ad cupiditates hominum, non ad uoluntatem Iesu. Iesus enim sic frangit ut saturetur multitudo famelica, non ut principum ambitioni aut auaritiæ seruiatur. Quisquis ad quæstum, ad humanam gloriā, ad alias cupiditates humanas docet euangelium, nō accipit panes à Christo fractos. Et iterum, Vt autem saturi discedamus ab euangelico conuiuio, faciant doctores quod fecerunt apostoli, faciatque populus quod fecit illa multitudo. Quid fecerunt apostoli? Sicut acceperant à domino, sic apponūt turbæ, nihil hæsitantes, nihil disputantes. Multitudo item quieta nihil obmurmurans accipit, boniquę consulit quod datur. Itaque factum est ut non solū saturati sint omnes, uerum etiam septē sportæ impletæ sint fragmentis reliquiarū quę saturis superfuerant. Quoque magis demireris, qui comederant usque ad saturitatem erant ferme quatuor hominum millia. Nimirum hęc est opulentia sermonis euangelici. Quoties accedit superbus doctor, multo disciplinarum, multo literarum, multo legum & constitutionum apparatu instructus, sic ut undique exuberet, clamitans non suffecturum dicenti tempus, concionem non esse capacem rerum tam sublimium, sese obrui copia & ancipitem fieri unde debeat ordiri, nónne fieri uidemus ut concio discedat famelica? Tantum abest ut quicquam supersit. Item, Est & hoc aliquid, feliciter discedere à conuiuio Iesu. Sic autem dimittuntur qui gratias agunt, qui ipsius beneficia recondunt in animo, & concoquunt quod acceperunt, qui domum reuersi ueluti saginatiore corpore factis exhibent quod didicerunt. Tantum ille.

Religiose utendum est donis dei.

Et mox ingressus in nauim cum discipulis uenit in partes Dalmanutha. Et egressi sunt pharisæi cœperuntque disputare cum illo, quærentes ab eo signum è cœlo, tentantes eum. Et cum ingemuisset spiritu suo, dicit, Cur natio hæc signum inquirit? Amen dico uobis, si dabitur generationi huic signum. Et relictis illis ingressus rursus nauim, discessit in ulteriorem ripam.

Incredulitatis typus.

Exemplū incredulitatis (quæ fidei opponitur) suppeditāt nobis pharisæi. De quo dixi apud Matth. in cap. 15. Ingenium enim & natura incredulitatis in præsentiarum adumbratur. Simulat se ueritatem curare, sed quæstionibus interim intricat purā & simplicem ueritatem, &c. Maximū uero flagitium esse incredulitatem, illud maxime euincit quod dominus propter illam toto suo ingemiscit spiritu, imo inquā pectore, uel ita testificās nihil perinde deo aduersum & homini noxium esse atque incredulitatis pestem. Videmus item deū humana calamitate & incredulitate impiorū non delectari. Est enim amator hominū, & qui uult omnes homines saluari, ac ad cognitionem ueritatis uenire. Ideo ingemiscit grauiter dominus, cum malitiā cernit pereuntis in peccatorum sordibus turbæ pharisaicæ. Accedit ad hæc admirabilis loquentis affectus, Amen dico uobis, inquit, si dabitur generationi huic signum. Similis loquutio, Si introibunt in requiē meam. Est enim aposiopesis pathetica cum indignatione

negantis,

negantis, & sub deuotione quadam pernegantis se illud quod petitur facturum. Prætera relictis illis discedit, ergo incredulitas pellit à nobis beneficum & clementem dominum, non sponte quidem discedentem, sed nostra culpa repulsum. Dalmanutha regio, quæ & Magdalum, sita uidetur inter lacum Genezar & Tabor montem. August. de Consensu euangelistarum putat eiusdem regionis plura esse uocabula, addens hoc loco quædam exemplaria pro Dalmanutha habere Mageda. Et Eras. annotauit quendam Græcum codicem habere μαγδαλά. *Dalmanutha.*

Et obliti fuerant sumere panes, nec plus quàm unum panem habebant secum in naui. Ac præcepit illis, dicens, Videte, cauete à fermento pharisæorum, & à fermento Herodis. Et disputabant inter sese, dicentes, Panes non habemus. Qua re cognita, Iesus dicit illis, Quid disputatis quod panes non habetis? Nondum animaduertitis, nec intelligitis? adhuc occæcatum habetis cor uestrum? Oculos habentes non cernitis? & aures habentes non auditis? & non meministis quando quinque panes in hominum quinque milia fregi, quot cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt ei, Duodecim. Cum autem septem in quatuor milia, quot sportas ex reliquijs fragmentorum tulistis? Illi uerò dixerunt, Septem. Et dixit illis, Quî fit ut non intelligatis?

Historia hæc duplicem habet usum. Principio indicat usum atque fructum superioris miraculi, nempe dominum suis cultoribus nunquam deesse, sed abunde prospicere, proinde omnem eis ponendam esse diffidentiam. Porrò ualde succeset nostræ stupiditati dominus, cum is perfrequenter & crebro ingentia præstat immeritis beneficia, quę interim parum aut nihil obseruamus. Non inuenias alium locum in historia euangelica, quo dominus apostolorum crassitiem acrius obiurgarit. Sic autem excitat omnium nostrûm mentes, ueternumque excutit ne semper simus ignaui. Quid, inquit dominus, soliciti estis quod ingentem uim panum uobis non parauistis in uiaticum? Non de negligentia hac in re uos obiurgabo, sed de crassitie cordis & nimia rerum corporalium cura. Tot præceptis instituti, tot exemplis edocti, toties admoniti, nihildum animaduertis, nihilute intelligitis. Mirum est in tanta euangelij luce uos adhuc habere cor, id est mentem occæcatam tenebrisque inuolutã. Mirum est oculos habere uos atque aures, ijs tamẽ uti nolle, adeoque nihil uel uidere uel audire. Bis iam oculis uestris ingens exhibitum est miraculum. Bis saturaui ingentem populi multitudinem pauculis panibus: an nõ inde oportebat colligere, nihil unquam defore rerum necessariarum pijs? Ipsi testes estis quot de reliquijs sportas sustuleritis. An non de quinque panibus sportas sustulistis duodecim, & de septem panibus cophinos septẽ? Sanè. Res in aperto & cõperta est. Quî ergo fit ut toties & tot modis edocti, nõdum intelligatis curam istam de uictu & rebus corporalibus & inanẽ esse & parum piã? Deinde deflectit dominus à corporali cibo ad spiritualem, & monet suos, sibi caueãt à doctrina pharisaica & Sadducæorum. Fermẽtum enim & doctrinam significat falsam, ex qua nascitur hypocrisis, ipsa denique oritur ex hypocrisi: de qua dictum est Matth. 16. & conuersationem prauam atque corruptam, de qua Paulus 1. Corinth. 5. Doctrina pharisęorum merito confertur fermento. Nam acerbas reddebat conscientias & inflabat homines spiritu superbiæ. Herodiani uidentur fuisse homines aulici, Galilææ rectores atque magistratus, qui in doctrina Sadduceis resurrectionẽ negantibus adhęserint. Quos enim Herodianos appellat hoc loco Marcus, Matthęus uocat

Offenditur dominus nimia cura rerum temporarum.

Cauendum à doctrina pharisai ca.

Herodiani.

Sadducæos. Et certe aula Herodis Sadducæorum dogma non grauatim recepit, quę aliâs uiuebat impurissime. Qui resurrectionem mortuorum negant, nō possunt non diffluere libidinibus. Huiusmodi fœda portenta erant Herodiani, quorum princeps Herodes erat, adulter, incestuosus, ebrius, sanguinarius, ambitiosus, & parricida. Proinde uoluit dominus suos diligenter admonere ut cauerent sibi à nocentissimis pestilentissimisq; malis, ab hypocrisi, & licentia carnis, quæ uacat omni timore numinis. Illa ferè ad dextram, hæc rapit ad sinistram. Hodie uideas hæc ipsa hominum genera grauiter piorum imminere ceruicibus, & ecclesiam impetere. Hac enim irrepunt iustitiarij monachi, & qui uidentur esse homines spirituales, reuera autem hypocritæ sunt. Illac irruunt impuri & Epicurei uiri, principes, nobiles, aulici, ciues, plebei, & agrestes, qui quærunt licentiam carnis, deum non metuunt, resurrectionem negant, iuxta concupiscentias carnis uiuunt impurissime. Ab utrisq; uero nisi diligenter caueas, actum erit de uita & incolumitate tua.

Et uenit Bethsaidan, & adducunt illi cæcum, & obsecrant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit illum extra uicum, & cum expuisset in oculos illius imposuissetq; illi manus, interrogabat illum an quid uideret: & recepto uisu, dicebat, Video homines, quoniam uelut arbores cerno ambulantes. Deinde rursum imposuit manus super oculos illius, & fecit ut uisum reciperet. Et restitutus est, ac discernebat dilucide omnes. Et ablegauit illum domum suam, dicens, Neq; in uicum ingrediaris, neq; dixeris cuiquam in uico.

Dominus illuminat cæcos.

Facto illustri declarat dominus Iesus, se illum esse qui & corporis & animæ cæcitatem tollat, oculosq; restituat. Tangit & expuit in oculos cæci, ut omnibus appareat nihil ipsum commune habere cum magis, neque se conceptis sanare uerbis, sed uirtute diuina, quæ tametsi hominem assumpserit, nihil tamen amiserit uirium, imò contulerit plurimum carni assumptæ. Theophylactus, Expuit, inquit, in oculos cæci, & manus imponit, ut discamus nos quod sermo diuinus efficax sit. Manus enim operationis symbolum est, sputum autem sermonis, eò quod sit ex ore. Eduxit autem extra uicum, ut doceret nos fugere consortium incredulorum. Liquet enim ex 11. cap. Matthæi, Bethsaidan incredulitate rebellioneq; infamem fuisse. Ergo oculos perpetuò figere in incredulorum & multitudinis exemplum, efficit ne aliquando aperiantur. Nam qui ideo se non peccare putat, quod ea facit quæ uulgo fieri uidet, de eius actum est salute. Cæterum ubi in oculos cæci expuisset dominus, interrogat hominem, ecquid uideat? Hic cæcus oculos hactenus clausos attollit, ac dicit, Video quidem homines, sed liquide non possum iudicare de illis: obscurius enim cerno, perinde atq; solent qui eminus cernunt arbores, magnitudinem illarum utcunq; uidentes, sed de forma & specie non ualentes iudicare. Et fortè uiderat hic cæcus, priusquam oculorum aciem amiserat. Rursus ergo admouit manum oculis cæci dominus, ut plene ipsum restitueret. Mox autem ille clare uidit omnia. Perfectissima enim sunt opera domini. Theophylactus, Quia cæcus ille, ait, perfectam fidem non habuit, ideo non statim ipsum restituit, sed sensim. Pro fidei enim magnitudine & sanitas datur. Ac reuera ut fides augmenta habet crescitq;, ita per interualla nobiscum agit dominus. Paraphrastes, Iesus, inquit, qui nutu poterat sanare quemlibet cæcum, non statim restituit hominem, ut discipulis suis formam exhiberet, quantopere laborandum sit, priusquam ad ueri cognitionem queant adduci, qui in errore iam inueterauerunt. Qualis erat gentium cæcitas, quæ tot sæculis simulachrorum

Fides augmenta habet.

rum cultum pro magna pietate fuerant amplexæ: qualis erat Iudæorum, qui supersti tionem à maioribus acceptam, cui tot annos assueuerãt, non poterãt relinquere, &c. Illud autem in primis obseruandum uidetur, quod adducentes cæcum, obsecrant do minum. Pijs enim assiduisq; precibus in omnibus uotis nostris fatigandus est domi nus. Postremo prohibet dominus cæco, ne ingrediatur uicum, neq; cuiquam dicat quicquam de beneficio accepto. Vel ut doceat nos modestiam, & ne inde efferamur si aliquando uisum recepimus. Vel ut doceret deo nihil commertij esse cum perfidis & incredulis, ideoq; caueremus nobis ab incredulorum consortio.

Et egressus est Iesus & discipuli illius in uicos Cæsareæ Philippi, & in uia interrogabat discipulos suos, dicens illis, Quem me dicunt homines esse? Illi uero responderunt, Ioannem Baptistam, & alij Heliam, alij rursus unum de numero prophetarum. Et ipse dicit illis, At uos quem me dicitis esse? Respondens autem Petrus, dicit illi, Tu es ille Christus. Et interminatus est eis, ne cui dicerent de se.

Subiungitur planius exemplum ueræ uisionis & confessionis fidei, nempe quid sancti uideant oculis illis animi, & quid confiteantur, id nimirum quod Petrus. Hãc historiam copiose tractaui apud Matth. ex cuius 16. cap. requiras licet. *Quid uideant illuminati.*

Et cœpit docere eos, oportere filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus summisq; sacerdotibus ac scribis, & occidi, & post tres dies resurgere. Et aperte sermonem loquebatur. Et apprehẽdit illum Petrus, cœpitq; increpare eum. At ille conuersus & intuitus discipulos suos increpauit Petrum, dicens, Abi post me sathana: quoniam non sapis quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum.

Aperit suis plenius dominus qua ratione parta sit salus hominibus, per mortẽ & resurrectionem Christi, si uidelicet uera fide credamus illa pro nobis facta ad uitam, nobis per gratiam dei ęternam cedere. Nam filius dei traditus in mortem pro nobis, uiuificat credentes: iuxta illud, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi uita. Erasmus nõ infeliciter triduum post quod resurrexit Christus explicãs, *De triduo quo* Nodus, inquit, hic bifariam explicari potest, Primum si tertiũ diem numeremus non *dominus resurrexit.* à morte saluatoris, sed à tota passione, quę cœpit pridie parasceues, cum iam iniretur consilium de cõprehendendo Iesu, cum uenderetur, cum tæderet ac mœreret. Siquidem passionis summã uidetur & ipse Marcus suis uerbis cõplecti. Et cœpit, inquit, docere eos quod oporteret filium hominis multa pati & reprobari à senioribus summisq; sacerdotibus ac scribis, & occidi, & post tres dies resurgere. Sic enim recẽsuit ut post tres dies ad totum sermonem qui præcessit referri possit, nõ tantũ ad id quod erat postremum, occidi: quemadmodum proximo capite recẽsuit, Filius hominis traditur in manus hominũ & occidẽt eum, & occisus tertio die resurget. Hic quoniam triduum numerat ab occisione, tertio die dixit, non post tertium diem. Alter modus est, si per synekdocham accipiamus factũ post tres dies quod factum sit post tertium diem exortum. Quemadmodũ & uulgo loquimur, Ab eo die cœpit odisse me, cum eodem die cœperit odisse. Et post eũ diem desijt amare, cum eodem die desierit. Hęc ille. Marcus uero, Aperte, inquit, diserte & significanter nunc disserebat de morte & resurrectione sua, de quibus aliquoties submonuerat paulò obscurius. Ac conueniebat ea, in quibus est salutis nostræ ancora tutissima sacerrimaq;, quàm significantissime explicari. Videtur autem indignum carni, ut patiatur moriaturq; dei filius, unde

Petrus audet dominum seducere à turba discipulorum, quasi rem magnam ipsi suggesturus. Hortatur autem ne se mortalibus & impijs hominibus præbeat illudēdum atq; crucifigendum: imò increpat illum, quasi rem filio dei indignissimam proposuerit. Cæterum dominus Petrum redarguit acriter, & ostendit illum non recte sapere. De qua re uide quæ dedimus in cap. Matth. 16.

Et cum ad se uocasset turbam unà cum discipulis suis, dixit illis, Quicunq; uult sequi me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Nam quisquis uoluerit animam suam seruare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam mea caussa & euangelij, hic seruabit eā. Quid enim profuerit homini, si lucratus fuerit totum mundum, & animæ suæ iacturam fecerit? Aut quid daturus est homo quo repenset animam suam? Quemcunq; enim puduerit mei ac meorum sermonum in natione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, ubi uenerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.

De abnegatione & mortificatione carnis. Doctrinam fidei & redemptionis sequitur doctrina de abnegatione sui & mortificatione carnis, quæ sanè pertinet ad omnes, ideo cum discipulis ipsam quoq; ad se turbam uocat. Exposui hunc locum apud Matth. in cap. 16. Præterea requirit dominus abs quouis nostrûm liberam, apertam, ingenuámue confessionem, non modo Christi, sed & euangelij uniuersæq; doctrinæ Christianæ. His addit præmium & pœnam, quo excitet ad studium pietatis ualidius. De eo lege quæ dedi in cap. 10. Matth. Mirificam uero & efficacem antithesim habet, quod saluator nationi adulteræ & peccatrici opponit ipsum hominis filium & sanctos dei angelos. Miser certe sit oportet qui his illos prætulerit, non modo turpes homines, sed fœditatem ipsam. Vtinam uero hoc altissime cordibus infixum, homines abstractos ab immundi mundi studijs, tenacissime sancto agglutinet deo.

CAP. IX. Et dicebat illis, Amen dico uobis, sunt quidam inter eos qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec uiderint regnum dei uenisse cum potentia. Ac post sex dies assumit Iesus Petrum ac Iacobum & Ioannem, & subducit eos in mōtem excelsum seorsum solos, et transformatus fuit coram illis: & uestimenta illius facta sunt splendida, candida ualde, ueluti nix, quàm candida facere non potest fullo super terram. Et conspectus est illis Helias cum Mose, colloquebanturq; cum Iesu. Et respondens Petrus dicit Iesu, Rabbi, bonum est nos hic esse: & faciamus tabernacula tria, tibi unum, & Mosi unum, & Heliæ unum. Non enim nouerat quid loqueretur: erant enim expauefacti. Et facta est nubes quæ obumbrauit illos. Et uenit uox è nube dicēs, Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. Et repente cum circumspexissent, non amplius uiderunt quenquam, sed solum Iesum secum.

Specimen gloriæ futuræ. Quia meminerat abnegationis sui, & mortificationis carnis, subdit nūc specimen futuræ gloriæ, paratæ illis qui præsentia contemnunt, mundum abnegant, & sectantur æterna. Historiam multis exposui apud Matth. in cap. 17. Splendida, candida ualde, dixit pro eo quod est, Ex insigni candore fuerunt relucentia. Mox enim additur similitudo sumpta à niue & fullonibus.

Porrò cum descenderent de monte, interdixit illis ne cui narrarent quæ uiderant,

uiderant,nisi cum filius hominis à mortuis resurrexisset. Ac uerbum hoc re tinuerunt,inter se disputantes quid esset à mortuis resurgere.

Non potuissent recte & plene populis ante tempus mysteriū gloriæ Christi expo nere discipuli:prohibentur ergo donec per spiritum sanctū plenissime informati,ab solute de illa dicere possint.Præterea cum mox sequuta sit humiliatio crucis, quē re tulissent prædicationis suæ de transfiguratione domini fructū,nisi quod se exposuis sent ludibrio impiorum? Disputant autem de eo quid sit à mortuis resurgere? Cum enim nondum plene intelligerent moriturum dominum,certe nouum nō erat quod nesciūt quid sit resurgere.Iam & spiritus domini plene docet nos resurrectionis Chri sti nostræq; mysteriū. Vnde hic unice nobis pro instructione erit implorādus. Non reijciuntur tamen à domino discipuli,quia in præcipuo hoc articulo hærēt. Id quod consolatur nos.Cæterum non erat error illorum coniunctus cum malitia.

Et interrogabant illum,dicentes,Scribæ dicunt Heliam oportere uenire prius.Ille uero respondens,dixit illis,Helias quidem ubi uenerit prius restituit omnia.Et quomodo scriptum est de filio hominis, ut multa patiatur & contēnatur. Verum dico uobis Heliam uenisse: & fecerunt illi quęcunq; uoluerunt,sicut scriptum erat de illo.

De quæstione hac discipulorum disputatum est à nobis apud Matth.in cap.17.un de si libet requiras.Quia tamen defectiua, atq; ideo obscurior paulò uidetur esse responsio domini,paucis reddemus sensum. Verum est, inquit, quod uulgo iactatur uenturum Heliam ante Messiam & horribilem domini diem. Verum est quod Helias restituit omnia priusquam adueniat dominus. Verum est & illud quod scripturæ referunt de Messia fore ut contemnatur, & crucifixus moriatur.Ergo nihil erratur in his à scribis. Certa & constans est oraculorum fides. Vt autem creditis scripturæ uaticinanti de Helia,ita credere oportet eidem testificanti & de morte & ignominia Christi siue Messiæ.Cæterum in illo error est, quod Helias uenit orbi à deo exhibitus, ac scribæ etiamnum alium expectant. Ioannes Baptista ille Helias est, meus præambulò qui sum uerus Messias. Atqui oppresserunt & occiderunt illum, neq; pro Heliá agnouerunt:ita & me,sicut prædixit scriptura,illusum & cōtemptum crucifigentes abnegabunt,&c.Loquutioni,Fecerunt illi quæcunq; uoluerunt, respondet illud Germanicum,Sy sind mit jm vmgangen/ wie sy nun gwöllen habend/ nach jrem lust vnd gfallen.Proinde,Sicut scriptum erat de illo,magis ad Christum retulerim,quàm ad Ioannem,qui fecerunt quidem sicuti uoluerunt:sed simili modò tractarunt & Iesum.Si de Ioanne exposueris postremam sentētiam, pete sensum ex typo.Helias enim licet non sit cæsus, graui tamen persequutione est pressus,& contumelijs infandis adobrutus.Prætulit autem typum Baptistæ.

Helias & Messias cæsi à Iudæis.

Et cùm uenisset ad discipulos,uidet turbam multam circum illos,& scribas disputantes cum eis.Et protinus uniuersa turba, cum uidisset eum obstupuit,& occurrentes salutauerunt eum. Et interrogauit scribas,Quid disputatis inter uos?Et respondens unus è turba dixit, Præceptor, adduxi filium meum ad te,habētem spiritum mutum,& quandocunq; eum corripuerit, lacerat eum & spumat,ac stridet dentibus suis & arescit;& dixi discipulis tuis,ut illum eijcerent,& non potuerunt.

Rursus opere præclaro ostendit se esse Messiam uerum, qui uenerit in hunc mundum liberaturus nos à potestate sathanica.Docet autē fide opus esse ut regnet in nos-

Christus Messias est.

bis Christus. Disceptant pharisæi cum discipulis, absente domino, præsente uix hisce re audent. Populus quoq; obstupescit & occurrit aduenienti domino salutatum. Tanta erat eius authoritas, tanta reuerentia. Multis describitur morbus pueri, in hoc, ut potentia malitiaq; diaboli elucescat, uexantis eos misere qui semel ipsi sese dedidezunt. Rursus inclarescit ex ijs & Christi uirtus, superantis uerbo diaboli potestatem & sæuitiam. Arescit, inquit, id est uexatione continua contabescit in diem. Zert vß vnd verdirbt. Reliqua pete ex 17. cap. Matth.

At ille respondens ei, dicit, O natio incredula, quousq; apud uos ero? quousq; patiar uos? Adducite illum ad me. Et adduxerunt illum ad eum. Et uiso illo continuo spiritus discerpebat eum; & prolapsus in terram uoluebatur spumans. Et interrogauit patrem illius, Quantum temporis est quod hoc accidit ei? At ille dixit, A puero, & frequenter illum & in ignem abiecit & in aquas quo perderet eum. Age, si quid potes, subueni nobis, intime misertus nostri.

Etiam hic locus expositus est apud Matth. in cap. 17. Quod in conspectu domini miserando spectaculo, nec sine uulgi tremore corripitur puer & raptatur à sathana, rursus insidias diaboli retegit & commendat nobis uirtutem Christi insuperabilem. Nemo autem desperet in periculis. Quo crudelius sæuit sathan, morbus, aut malum, hoc breuius compescetur. Interim assidue implorandum est diuinum auxilium. Et quoniam de nostris meritis nobis gloriari non licet, ad misericordiam eius accurrendum uidetur; sicut hic quoq; fieri uidemus à patre pueri.

Iesus autem dixit ei, Illud si potes credere. Omnia possibilia credenti. Et confestim exclamans pater pueri cum lachrymis, dixit, Credo domine, succurre incredulitati meæ.

Solus Christus seruat, sed per fidem.

Palàm nunc exigit fidē dominus non à patre duntaxat pueri, sed à singulis nobis in negotijs salutis et diuinis. Bene uult deus generi humano, sed interim adijcit, Illud si potes credere. Vult ergo seruare, sed per fidem. Ac quanta sit uirtus fidei ostendit adiecta sententia, Omnia possibilia credenti. Fides uero quoniam ex auditu est, auditus autem per uerbum Christi, Rom. 10. omnia intelligit & exponit fidelis non absolute, sed quæ uerbo dei comprehensa, quæ promissa sunt, & cum uoluntate, iustitia, ueritateq; dei non pugnāt. Pater pueri fatetur se credere, sed quia sentit animi sui imbecillitatem, quæ obstabat quo minus tam solide crederet, quàm credendum intelligebat, deprecatur culpam, poscens humiliter fidei augmentum & Christi domini misericordiam. Ac sentit quidem auxilium domini præsentissimum. Id quod nos ualde consolatur. Quis enim nostrûm non sentit imbecillitatem illam fidei? Sunt sanè non pauci, qui queruntur se quidem credere promissis dei, sed sentire interim multam animi frigiditatem, adeoq; incredulitatem in credulitate. Hi ergo ne despondeant animum, clament etiam cum lachrymis serio assidue & ex pectore, Credo domine, succurre incredulitati meæ. Imperfectissimū esse iudico, qui sibi putat deesse nihil: perfectissimum, qui sibi nihil fidit, totum autem sese conijcit in clementiam & misericordiam dei, suam culpam agnoscens, dei misericordiam implorans.

Cum uidisset autem Iesus turbam simul accurrere, increpauit spiritum immundum, dicens illi, Spiritus mute & surde, ego tibi impero, exi ab isto, & ne posthac ingrediaris in illum. Et cum clamasset, multumq; discerpsisset eum, exiuit. Et euasit similis mortuo, adeò ut multi dicerent,

mortuus

mortuus est. At Iesus prehensa manu illius, erexit eum, & surrexit.

Irascitur bonus & hominũ amans dominus immũdo spiritui, hominis miseretur, atq; imperio suo eijcit spiritum immundum, nec tãtum eijcit, uerumetiam præcludit ei uiam, & ne unquam posthac redeat, præcipit. Domini ergo solius uirtute eijcitur sathanas, & ne hominem occupet, efficit, imò ut expulsus nõ redeat, tribuit. Videtur mortuo similis liberatus à dæmonio. Dolet enim carni renunciare mundo & diabolo. Neq; cedit hic facile nisi ijs nocuerit à quibus intelligit se pessundandũ. Vbi uero manum suam nobis porrexerit dominus, surgimus, uel inuitis ipsis inferorũ portis. *Christi uirtute eijcitur sathanas.*

Et cum esset ingressus domum discipuli illius, interrogabant eum seorsum, Cur nos non potuimus eijcere illum? Et dixit illis, Hoc genus nulla re potest eijci, nisi per precationem & ieiunium.

Etiam hunc locum enarrauimus in Comment. nostris ad Matth. in cap. 17. Commendat locus nobis temperantiam & assiduum indefessumq; precãdi studiũ. Quod non tam audire & recte intelligere, quàm rebus ipsis præstare conuenit.

Et illinc digressi iter fecerunt per Galilæam, nec uolebat ut quisquam sciret. Docebat enim discipulos suos, et dicebat illis, Filius hominis traditur in manus hominum, & occident eum, & occisus, tertio die resurget. Et illi non intelligebant quod dixerat, & timebant eum interrogare.

Proficiscebatur dominus Hierosolymam ad redimendum uictima corporis sui mundum à peccato, morte & inferis. Vetus interpres legit, Prætergrediebatur Galilæam: id quod nemo intelligat quasi declinarit Galilæam. Sentit enim Marcus illos clam aut celeriter & in transcursu ueluti obiter fecisse iter per Galilæam, ita ut nec aperiret se usquam, nec commoraretur. Id quod Erasmus annotauit. Volebat ergo discessum suum latere Galilæos, frequentissimos suos auditores, ne impediretur accedentium semperq; aliquid postulantium frequentia. Licet enim pro ingenio naturæ humanæ mortem horreret, tanta tamen dilectione erga genus mortalium ardebat, ut dilectio desiderium rei alioqui tristissimæ inderet, ut iam magna cum delectatione ad mortis supplicium acceleraret, licet interim trepidaret ceu homo uerus. Frequenter autem passionis & resurrectionis suæ mysterium suis inculcat. Hoc enim redempti sumus. Vnde conuenit eius cognitionem prædicationemq; decantatam esse uulgatissimamq;. Certe apostoli non aliud commendarunt æque ecclesijs: ac apostolus Paulus diserte fatetur, nihil se scire aliud, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum. Quod isti nõ intelligunt prædicationem longe manifestissimam, inde erat, quod de Messia & regno nescio quam carnalem conceperant in mentibus opinionem, & quod pro crassitie sua non cupiebant intelligere, quomodo occisus resurgere posset. Et certe nisi renascamur cœlitus, difficulter intelligimus passionis & resurrectionis mysterium. Cætera pete ex 17. cap. Matth. Non audebãt interrogare, quia hærebat adhuc animo Petri increpatio. Metuebant ne & ipsi exciperentur acerbius. Theophy. Vbiq;, inquit, miraculorum operationibus interserit sermonem de passione, ut ne putent ipsum propter impotentiam pati. *Volẽs moritur dominus.*

Et uenit Capernaum, & cum uenisset in ædes interrogabat illos, Quid in itinere inter uos disputabatis? At illi silebant. Nam inter se disputauerant in uia, quis esset maximus. Et cum consedisset accersiuit duodecim, & dicit illis, Si quis uult primus esse, erit omnium postremus & omnium

minister. Et apprehensum puellum statuit in medio illorum,& cum cepisset illum in ulnas suas,dixit illis, Quisquis unum ex talibus puellis receperit nomine meo,me recipit:& quicunq; me recipit,non me recipit,sed eum qui misit me.

Ambitio. Ambitionis malum plurimum impedit & obturbat pietatis negotium, tollit ergo illud in præsenti dominus, & inserit humilitatem atq; modestiam. Cum rogarentur discipuli de argumento siue materia contentionis, pudore subticescebant. Nam & doctrina domini & exemplum,adde & propria ipsorum conscientia suggerebat ambitionis affectum in discipulis Christi peccatum esse grande. Nihilominus contenderant de primatu.Adeò uerum est quod dicitur & apostolos fuisse homines.Cæterum instituti uerbis & facto Christi, deniq; spiritu Christi, resipiscunt & fastum deponunt. Locus hic expositus est apud Matth. in cap. 18. Paraphrastes pulchre domini uerba explicans,Aequum est mihi,inquit,charissimos esse qui mei sunt simillimi.Non æstimatur hic dignitas ex opibus, censu,potentia,fastu,& uiolentia. Nam qui tales sunt, ut sunt regibus ethnicis simillimi, ita plurimi sunt apud eos pretij. Quemadmodum reges in primatibus suis sese uel honorari credunt uel lædi, ita ego in regno euangelico in huiusmodi paruulis,quos ob innocētiam,simplicitatem, modestiam contemnit mundus,me uel honorari credo uel contumelia affici.Si quid nouistis me submissius, illum pro summate ducite in regno cœlorum. Quod si neminem inuenietis,me primatem habete.Et ut quisq; proxime accesserit contemptu rerum earum,quas in principum aulis affectant magnates, ita summatem esse iudicate.Et reliqua.Hæc si expenderent qui hodie pro primatu summi pontificis(quem Papam faciunt, in contumeliam ueri pontificis summi Christi) tanquam pro focis & aris certant,non posset eos non pudere impiæ disputationis: nunc ex disputationibus suis quid quærant,& quales sint domi apud se in animis suis,declarant. Talis hactenus non inuentus est qui humilitate & modestia æquet ipsum archetypum, manet ergo hic primas in ecclesia.In deligendis ministris ecclesiarum,omnium humillimi modestissimiq; ordinandi sunt,qui uidelicet proxime accedunt ad archetypi humilitatem.Atqui tales nullum sibi usurpabunt primatum, cum sciant se uocatos esse ad ministerium non ad dominium. Verum hæc ægre persuadeas hodie nostris primoribus,qui ethnicos principes fastu & pompa non dico æquant, sed superant etiã, superbiaq;,ambitione & immodestia sua totum turbant terrę orbem.Historiæ enim palàm testantur quàm multa & quàm cruenta bella exorta sint ex Papæ & episcoporum ambitione atq; superbia intolerabili & sathanica. De quibus aliâs & ab alijs dictum est.

De primatu summi pontificis.

Respondit autem ei Ioannes,dicens, Præceptor uidimus quendam nomine tuo eijcere dæmonia,nec sequitur nos,& prohibuimus illum,propterea quod non sequitur nos.At Iesus ait,Ne prohibeatis illum.Nullus enim est,qui si ædiderit uirtutem per nomen meum,possit cito male loqui de me. Qui enim non est aduersus nos,pro nobis est.Quisquis enim ad bibēdum dederit uobis poculum aquæ, nomine meo,quod sitis Christi, amen dico uobis,nequaquam perditurus est mercedem suam.

Nullum reijciendum mox qui Christi nomen confitetur. Cum tanti faceret puellos dominus,qui tamen iustitiã nondũ faciunt,cum deniq; dixisset,Qui puellũ recipit,me quoq; recipit,nec me solũ, uerumetiã ipsum patrem meũ,dubitat Ioannes an ꝓmiscue omnes recipiendi sint qui quouis modo adiungũt

se Chri-

se Christo: & quia cuidam prohibuerat per nomē Christi facere miracula, quod non esset de consortio & familia Christi, mouet quæstionē, & ait, Magister, cum emisisses nos ad prędicandum regnum dei, uidimus quendā in nomine tuo eijcientem dæmonia: & quoniam non erat nec de numero duodecim, nec de numero 70. discipulorū, sed planè alienus à nostro consortio, prohibuimus eum: modo autem cum audimus quæ nos doces de recipiendis puellis, dubitamus an consulte fecerimus. His paucis respondet dominus, Nullum reijciendum, nulliq; prohibendum, ne quid Christi nomine tentet aut faciat, qui aliquā Christi cognitionem habet, & Christum confitetur. Est sanè ecclesia sanctorum communio, uerum sancti non protinus damnāt aut reijciunt candidatos & infirmos in fide, qui uidelicet iam incipiunt Christū quęrere, aut initium iam aliquod religionis ueræ consequuti sunt, in multis tamen hærēt adhuc, & præuaricātur. Quin potius annituntur summa opum ui, ne nouitios absterreant, sed magis prolicíant et prouehant ad perfectiora. Nouatiani & Cathari quondam in suam ecclesiam nō recipiebant nisi (sua opinione) purissimos: peccatores, imò & poenitentes non recipiebāt, ne contaminaretur sanctorum Nouatianorum consortium purissimū. Scilicet. Sed & Anabaptistę nostri uel hodie ita differunt de ecclesia, ut citius Vtopiam inuenias, & constituas Platonicam rempub. quàm talem ecclesiā, qualem isti imaginantur. Quid quod ex euāgelicis non paucos inuenias, qui Principes & urbes aliquot euangelio quidem fauentes egregie, sed uita non respondentes per omnia, reijciunt atq; damnant tanquam dei hostes. Verum dominus, Qui nō est aduersus nos, inquit, pro nobis est. Qui non obsistit euangelio, & cursum eius propter suos affectus remoratur aut interrumpit impeditq;, sed magis fauet euāgelio, promouet eius cursum, & sustinet se doceri & increpari ex euāgelio, non pro hoste habendus est, sed pro amico. Interim uero nemo iubet te imperfectioribus adulari aut palpare, assentandoq; efficere ut semper infirmi maneāt, nunquā ad perfectiora aspirēt. Docemur ne quem nimia nostra seueritate adigamus ad desperationē, & ne ex amicis faciamus hostes. Id quod morosuli & rigidi quidā sanctuli solent. Dicit sanè alibi dominus, Qui nō est mecum, contra me est. Cæterum nōn pugnat eā sententia cum hac, Qui non est aduersus nos pro nobis est. Illic enim reuera de blasphematoribus et ueritatis osoribus loquitur, quos ne hac quidem cōmendat uel tuetur. Adijcit sententiam quæ superiora illustret, Quisquis ad bibendum dederit, &c. Docet autem beneficium quantumuis exile, præstitū tamen in nomine Christi, adeò non contemni ab ipso deo, ut munificentissime illud remuneret. Inde haud dubie colligi uult, bene & amplifice iudicandū esse de factis illorum, qui licet in multis Christū non exprimāt, aliquid tamē propter Christum & faciunt & patiuntur. Proinde error est uelle euangelij studiosos abijcere prorsus atq; abdicare, quod nō per omnia absoluti sunt. Neq; enim loco tempori aut personis alligāda est gratia Christi. Optat Moses ut nōn solus ipse, sed multò plures, imò omnes prophetent, Numeri 11. S. Paulus, Attamē quouis modo, inquit, siue per prætextum, siue per ueritatem, Christus modo annuncietur. Frustra uero metuunt multi aliorum gloria suam nimis concupitam obscurari. Paraphrastes hunc euangelij locum ex integro sic enarrat, Iesus, ait, respondit, Istiusmodi nolite prohibere qui quocunq; modo cōnducunt euangelio propagādo. Non enim oportet esse fastidiosos in recipiendis his qui studēt rem euangelicam qualicunq; studio prouehere. Non est spectādum an sequatur nos, sed an prædicet nomen nostrū. Quod si inuocato nomine meo eijcit dæmonia, non facile potest de me male loqui. Quod si faciat, res ipsa redarguet eum. Dicetur enim illi, Qua fronte obtrectas nomini, quod in edēdis miraculis expertus es potens & efficax? Nolite facile suspicari eū malo animo facere, qui rem piam facit. Qui non repugnat euangelio, hoc ipso iuuat

Qui nō est mecum, contra me est.

euangelium, quod aduersas partes non adiuuat. Quisquis non aduersatur nobis, pro nobis facit. Noua res per omnem occasionem est promouēda, quàm synceris animis uestra nihil refert, modo quocunque pacto prosit negotio quod agitis. Neque enim solum hi mercedem ob euangelij negotium prouectum ferent, qui in nomine meo dæmina eiecerint, uerumetiam qui pro suis facultatibus uel minimum aliquod momentum attulerint, &c. Sententia de poculo aquæ exhibito explicata est & Matth. cap. 10. Ibidem dixi & de mercede & merito.

Et quicunque offenderit unum ex pusillis, qui confidunt in me, melius foret illi si circundaretur lapis molaris ceruici eius, & abijceretur in mare.

Etiam hunc locum exposui apud Matthæum in cap. 18. Videri poterat dominus & minis absterrere uoluisse, ne nimia seueritate morositateque infirmos repellamus, ut despondentes animum euangelio prorsus renuncient, &c.

Quod si tibi offensioni fuerit manus tua, amputa illam. Melius est tibi mancum ad uitam ingredi, quàm duas manus habentem abire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus tibi offensioni fuerit, amputa illum. Melius est tibi ut ingrediaris ad uitam claudus, quàm ut duos pedes habens, mittaris in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis illorum non moritur, & ignis nō extinguitur. Et si oculus tuus tibi offensioni est, erue illum. Melius est tibi ut luscus introeas in regnum dei, quàm ut duos oculos habens, mittaris in gehennam ignis, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Modus quo caueri poßit offensio.

Ostendit iam dominus uiam & modum per quem possit caueri offensio. Expositionem eius pete ex 18. cap. Matt. De Gehenna & igne inextinguibili, & uerme semper arrodente, dictum est à nobis apud eundem Matth. in cap. 10. præcipue uero in 12. lib. Commentariorum nostrorum in Matthæum, ubi de morte æterna ac condemnatione disputo. Tertio autem eadem prope uerba de pœna inferni æterna repetit, non absque ratione proculdubio. Sic enim uult confirmare & asserere pœnas inferni sempiternas esse, non temporarias, quemadmodum nonnulli olim ex seipsis contra euangelium finxerunt. Non defuissent uerba domino si ea ipsi fuisset sentētia, quam fingunt isti. Meminit & Isaias ignis huius & uermis semper arrodentis in cap. 30. & 66. Corrodunt & corrumpunt alioqui uermes ligna & carnes. Sed metaphora transfertur hic à corporalibus ad spirituales substantias, animas scilicet. Quod resuscitata corpora attinet, luent & ipsa interitum & supplicia nunquam finienda: quæ qualia sint futura, nouit iustus dominus, qui similitudinibus & figuratis loquutionibus id nobis adumbrauit, in quibus pij semper atrociora & grauiora concipiunt. In infinitum enim temporalia præcellunt æterna, ita ut similitudines rerum terrenarum non plene assequantur supplicia perpetua.

Vnusquisque enim igne salietur, & unaquæque uictima sale salietur. Bona res est sal. Cæterum si sal insulsus fuerit, quo nam ipsum condietis? Habete in uobisipsis salem, & pacem habete inter uos inuicem.

Quàm utilis et necessaria correctio in ecclesia.

Pertinent & hæc ad superiora, & docent quàm utilis & necessaria sit correctio ecclesiæ. Obscurior est oratio propter allegoriā, qua condita est & ornatur, sed alijs collata scripturis amœna & explicabilis. Ignis inter alia in scripturis significat aduersitates, exercitationem & correctionē. Metaphora petitur à chirurgis, quibus moris est

putre=

putrescentem aut redundantem carnem ustione curare, consumere, & uiuas atque recentes medicinis nutrire. Cæterum quia sal à putredine & corruptione conseruat, salire positum uidetur pro seruare; ut sit sensus, Vnusquisque enim correctione & mortificatione carnis à putredine corruptioneque seruatur uindicaturque. Est enim ratio quædam cur dixerit præstabilius esse si amputetur manus aut pes, eruaturque oculus; hoc est si exerceatur correctio, compescantur affectus, rescindanturque subinde scelera, quàm si his quidem integris fruticantibus & exultantibus tandem æternum subeundum sit supplicium. Nunc enim subiūgitur, Vnusquisque enim igne, id est aduersitate correctioneue, ueluti salitur & conseruatur. Respondet hoc Germanico nostro prouerbio, was seert/das nert. Adijcitur & alia sententia quæ hanc illustret & ornet, Et unaquæque uictima sale salietur. Id quod sumptum est ex 2. cap. Leuit. & habet collationem ferme talem, Quemadmodum ingrata est deo uictima quæ offertur citra salem: ita non potest non insipidus esse & deo improbari homo, qui exors disciplinæ correctionisque, pro ingenio carnis suæ uiuit. Nam in multis præuaricantur etiam sancti, ut nisi sal aspergatur carni, & adhibeatur uexatio, crux, exercitatio et correctio, computrescat caro ipsorum & fœteant coram domino. Subiungit ergo paucis laudes & commoda imò & necessitatem salis siue correctionis. Bonum, inquit, est sal. Correctio inquam & disciplina est ueluti thesaurus ecclesiæ. Nam bonum ponitur pro optimo & præstantissimo. Congruit cum hoc domini præconio, quod à doctis iactatū legimus; Humano corpori nihil esse utilius sale & sole. Plura pete de hac re ex Matt. cap. 5. Et hæc omnia applica ad disciplinam. Hæc usque adeo necessaria est hominibus in ecclesia, ut si insulsum sit hoc sal, id est, si frigeat disciplina, actum sit de ornamento & condimento ecclesiæ. Vnde infert tandem dominus, Habete in uobis ipsis salem &c. Quod perinde est ac si dixisset, Si uobis cordi & curæ est pax publica & ecclesiastica tranquillitas, aduigilate ut uigeat inter uos disciplina & correctio. Nam ubi nulla est disciplina & correctio, ibi iurgia, lites, contumeliæ, iniuriæ, petulantia, dissidia & omnium uirtutum corruptela. Memorabilis est hic Marci locus, dignus qui ab omnibus uiris ecclesiasticis diligenter obseruetur. Sal ecclesiæ sunt episcopi ministrique ecclesiarum. Hi si fuerint socordes, muti, negligentes, putredo occupat membra sensim, & perit tādem corpus ecclesiasticum: si uero asperserint sal membris computrescentibus, seruabūt ipsa.

Paraphrastes hunc Marci locum copiosissime enarrās, inter alia, Quemadmodū, inquit, nulla uictima iuxta Mosi præscriptum legitima est, nisi quæ uel igni salitur, uel sale, uel utroque: ita quisquis euangelicam philosophiam uolet profiteri, necesse est ut igni purgetur ab omnibus humanis affectibus, & sale condiatur ne possit corrumpi malorum contagio. Diluta & insipida est huius mundi sapientia, nec seruat hominem ab huius mundi corruptione, nec alios seruare potest. Atqui utrunque præstare oportet doctorem euangelicum, ut & ipse sit incorruptus, & alijs eximat corruptelam. Non præstat hoc philosophorum sapientia, non pharisæorum doctrina, sed sola philosophia euangelica, quæ ueritatis acrimonia emordet & consumit quicquid in homine est obnoxium corruptioni. Idem efficit ignis ille diuini spiritus, consumens ac repurgans ex animis omnes carnales affectus, & quodammodo transformans in deum quicquid corripuerit: ut qui prius affixi fuerant curis rerum terrenarum, nūc his contemptis rapiātur ad cœlestia &c. Et mox, Proinde ut possitis & persequutionum sæuitiam uincere, & omnes humanos affectus euangelij gratia contemnere, ut possitis & uestræ saluti consulere & quamplurimos ad salutem adducere, habeat in se quisque uestrū salem euangelicum, & habete pacem & amicitiam inter uos mutuā. Sal faciet incorruptos, cōcordia faciet robustos & potētes. Vbi dissidia sunt, ibi non est sal euāgelicus. Vbi ambitionis morbus est, ibi nec pax est, nec sal. Et quæ sequuntur. Ex his quod uidetur uerbis domini maxime consentaneum esse delige.

COMMENTARIORVM IN
EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM
LIBER QVARTVS.



VNC *capitibus aliquot describit S. Marcus colloquia quædam selecta & illustria domini, de arduis & ad uitam sanctam recte componendam maximopere necessarijs, instituta, unde scilicet sancti discant quomodo se in mundo pie gerant. Et initio quidem disputat de coniugio, quod contaminatum pharisaicis traditionibus restituens integritati natiuæ, repurgat. Deinde cum liberi sint coniugij fructus, secundo loco de illis agit, quid de ipsis quod salutem ipsorum attinet sentiamus, docens ipsos ad deum esse perducendos. Tertio loco ponitur, insigne domini colloquium cum adolescente opulento: ex quo uaria discuntur: deum uidelicet summum esse bonum: qua ad cœlos uia pateat: quanta sit humana miseria & stultitia. Docet enim quàm difficulter diuites regnum dei ingrediantur. Post hæc disserit de præmio uirtutum modestiaq; eorum qui præmia accipiunt. Mox suis inculcat passionis suæ mysterium. Ibidem innotescit in petitione Iacobi et Ioannis, quàm insolescat caro. Nam hi duo petunt sibi dari à domino primatum in regno Christi: quos tamen sic compescit ut alijs quoq; eximat ambitionem & inuidiam, inserat autem modestiam & humilitatem. Sicut & in historia Bartimæi fidem inculcat. Post hæc urbem Hierosolymorum regia ingrediens pompa, ostendit se esse uerum & expectatum Messiam, regem & sacerdotem populi dei. Iccirco pro officio suo eijcit è templo ementes & uedentes. Execratur mox ficum, in quo adumbrat tristia Hierosolymorum fata, atq; rursus docet fidem. Opponunt se illi pharisæi & primates Iudæorum, & interrogant qua authoritate id faciat quod facit: quos opposita quæstione retundit ualidissime. Postremo annunciat ipsis iudicium dei, excidium uidelicet & reiectionem, quam sua culpa nulla dei morositate sint passuri.*

CAP. X.



T cum inde surrexisset, uenit in fines Iudææ, per regionem quę est ultra Iordanem, & conueniunt rursum turbæ ad illum, & sicut consueuerat rursum docebat eas.

Docēdi munus præstantissimū. Rursus commendat nobis S. Marcus docendi ministerium, in quo constat dominum fuisse plus quàm assiduum. Vnde & illud denuo claret, ecclesiam non habere aliud præstantius salubriusq; prædicatione euangelica. Testatur enim Marcus domino perpetuam fuisse docendi consuetudinem. At illi optimarum rerum consuetudo fuit. Si quicquam fuisset melius in mundo, exercitasset & in illis se perpetuò. Commendatur etiam nobis diligentia & assiduitas populi sequentis dominum & cupientis auide audire sermonem uitæ, ut & nostram excitent diligentiam.

Et adeuntes pharisæi, interrogauerunt eum, An liceret uiro uxorem repudiare? tentantes illum. At ille respondens, dixit illis, Quid uobis præcepit Moses? At illi dixerunt, Moses permisit libellum repudij scribere & repudiare. Et respondens Iesus dixit illis, Ad duritiam cordis uestri scripsit uobis præceptum istud: cæterum ab initio creationis masculum & fœminam fecit illos deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & erunt duo in carnem unam. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. Quod igitur deus copulauit, homo ne separet. Et in domo rursum discipuli illius eadem de re interrogauerunt illum. Et dicit illis, Quicunq; repudiauerit uxorem suam & duxerit aliam, adulterium committit aduersus illam. Et si mulier repudiauerit uirum

rum suum, & nupserit alteri, adulterium committit.

Enarrauimus hunc S. Marci locum apud Matthæum in cap. 19. Obseruandum autem pijs diligenter, quod uerbo legis, prophetarum & Christi diligentissime commendatur illud coniugium quod constat uiro & fœmina, non uiro & fœminis, aut fœminis & uiro. Vrsit hunc locum & S. Hieronymus in disputationibus suis. Nam ad Gerontiam de Monogamia, Primi, inquit, hominis creatura nos doceat plures nuptias refutare. Vnus Adam & una Eua, imò una ex eo costa separatur in fœminam: rursumq; quod diuisum fuerat nuptijs copulatur, dicente scriptura, Erunt duo in carnem unam: non in duas, nec in tres. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: certè non uxoribus. Et aduersus Iouinianum, Vna costa, ait, à principio in unam uxorem uersa est. Et erunt, inquit, duo in carnem unam: non tres neque quatuor. Alioqui iam non duo, sed plures. Primus Lamech sanguinarius & homicida, unam carnem diuisit in duas uxores. Fratricidium & digamiam eadem cataclysmi deleuit pœna. Rursus idem ad Saluinam de uiduitate seruanda, Scimus, inquit, honorabiles nuptias & cubile immaculatum. Etiam de paradyso expulsus Adam unam uxorem habuit. Primus Lamech maledictus & sanguinarius & de Cain stirpe descendens, unam costam diuisit in duas, & plantarium digamiæ protinus diluuij pœna subuertit. Alia huius generis permulta apud hunc scriptorem reperias. Et quemadmodum dominus non mulieribus duntaxat, sed uiris etiam repudio interdicit, eadem lege constringens utrosq;: ita idem ille scriptor ad Oceanum scripturis consentiens, Aliæ sunt leges, ait, Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus nôster præcipit. Apud illos uiris impudicitiæ frena laxantur, & solo stupro atq; adulterio condemnato passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur: quasi culpam dignitas faciat, non uoluntas. Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet uiris, & eadem seruitus pari conditione censetur. Sed hæc hactenus.

Monogamia commendatur.

Quod mulieribus interdicitur, uiris non conceditur.

Et afferebant ad illum puellos ut tangeret illos. Discipuli uero increpabant eos qui adducebant. Quod cum uidisset Iesus indignatus est, & dixit illis, Sinite puellos uenire ad me: ne prohibete eos: talium est enim regnum dei. Amen dico uobis, Quicunq; non acceperit regnum dei, tanquam puellus, haudquaquam ingredietur in illud. Et cum cepisset illos in ulnas, impositis manibus super illos, benedixit eis.

Require huius loci enarrationem apud Matthæum in capite 19. Pertinet huc locus de Disciplina & educatione liberorum. Admonet enim locus ut omnes nostros liberos deo consecremus aut adducamus, quo ab ipso benedictionem accipiant. Impius, rebellis & obstinatus maledictionem reportat pro benedictione. Quomodo autem instituendi sint liberi & qua imbuendi educandiq; disciplina, docuerunt plures alij.

Institutio liberorum.

Et cum exiret in uiam, accurrit quidam, ac genua flexit illi, & interrogabat eum, Præceptor bone, quid faciam, ut uitam æternam possideam? Iesus autem dixit illi, Cur me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus, deus. Præcepta nosti. Ne committas adulterium, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dicas, Ne fraudes, Honora patrem tuum & matrem. At ille respondens dixit illi, Præceptor, hæc omnia seruaui ab adolescentia mea. Iesus autem intuitus illum, dilexit eum & dixit illi, Vnum tibi

deest. Abi quæcunque habes uende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & ueni & sublata cruce sequere me. At ille mœstitia affectus propter eum sermonem, discedebat dolens. Habebat enim possessiones multas.

Colloquium hoc domini & adolescentis uarium & multiplicem habet usum: quemadmodum uidere licet in huius libri quarti hypothesi. Singula reddita sunt in Commentarijs ad Matth. in cap. 19. Theophylactus non inscite quæstionem domini, Cur me dicis bonum? Nemo bonus nisi &c. explicans, Accessit hic dominum, ait, tanquam hominem & unum ex magistris. Ergo dominus ait, Siquidem ut magistrum me bonum esse putas, nullus homo bonus est, si cum deo conferatur: si autem ut deum me bonum esse censes, quid igitur magistrum me uocas? Et ita uerbis istis Christus mentem hominis illius sublimiorem uult reddere, ut ipse tanquam deus cognoscatur &c. Obseruandum & illud, dominum hic apud Marcum adijcere præceptis, Ne fraudes, unde intelligamus similia, paria, siue consentanea, & quæ ex præceptis dei consequuntur, dei esse præcepta. Nam hæc uerba, Ne fraudes, nuspiam leguntur in Decalogo: consequuntur autē ex illis, Ne fureris, Ne falsum testimonium dicas. Prohibent enim hæc omnis generis dolos malos, imposturas, artes prauas & ex auaritia excogitatas, ac fraudes. Ideo Ne fraudes, adiectiuum est à domino tanquam expositio quędam diuini mandati. Quod sequitur, Iesus autem intuitus illum, ἠγάπησεν αὐτὸν, dilexit eum, non alium opinor sensum habet, quàm dominum amice consuluisse ac excepisse inexpensum adolescentis responsum, quod alius aliquis supercilio sus pharisæus multò excepisset asperius. Nam Paraphrastes, Iesus, inquit, intuitus adolescentem probæ indolis & latæ spei, qui non ista sibi fingeret nec sibi malitiose placeret, quemadmodum Pharisæi, significabat sese etiam huius ætatis studio delectari. Itaque præ se tulit quod eius affectu pio, licet imperfecto, delectaretur, uelu ti exosculans spem indolis euangelicæ (quemadmodum enim in ea ætate rarum est, ita plausibile est studium pietatis) nos interim admonens, ut ubicunque uiderimus aliquam indolem ac spem euangelicæ pietatis, ne sæuis obiurgationibus obruamus, & alienemus teneros animos: quemadmodum quidam nimium morosi literatores, qui bene nata ingenia, sua austeritate docent odisse literas: sed comitate prouehamus ad meliora, probantes studium sed interim ostendentes quo sit proficiendum. Reliqua pete ex Comment. ad Matth. Nam maximæ stultitiæ & miseriæ humanæ illud argumentum est, quod adolescens hic uix umbellas aliquot assequutus est, & audet tamen sibi usurpare perfectam uirtutum omnium laudem. Nam quod hic in præsenti priuatim designat, id manifeste facimus omnes, arrogantes nobis quorum umbras nunquam sumus consequuti.

Nemo bonus nisi solus deus.

Contra morosos quosdam.

Et cum circumspexisset Iesus, dicit discipulis suis, Quàm difficulter qui pecunias habent in regnum dei intrabunt. Discipuli uero obstupuerunt super uerbis illius. At Iesus rursus respondens, dicit illis, Filij, quàm difficile est eos, qui confidunt pecunijs, regnum dei ingredi. Illi uero supra modum stupebant, dicentes apud sese, Et quis potest salutem consequi? Intuitus autem illos Iesus, dicit, Apud homines impossibile est, sed non apud deum. Nam omnia possibilia sunt apud deum.

Diuitiarum periculum.

Specialem & priuatam causam facit nunc generalem & publicam, adolescentis exemplum applicans omnibus diuitibus, ac indicans quanto cum periculo salutis

lutis æternæ opes terrenæ coniunctæ sint, maxime si illis fidamus, hoc est, si in illas collocemus uitæ præsidium. De his disputauimus apud Matth. in cap. 19. unde si libet, horum enarrationem petas. Theophylactus, Non diuitiæ malæ sunt, inquit, sed qui illas habent digni sunt qui taxentur. Non enim illas habere oportet, id est detinere, sed eis uti pro necessitate. χρήματα enim, hoc est opes dictæ sunt possessiones, quia usui sunt hominibus & opem atque auxilium afferūt: ideoque non detinendæ sunt. Qui ergo illas habent, & includunt, difficulter in regnum dei ingrediuntur &c. Sed & Marcus significanter dixit πεποιθότας, id est fisos siue fretos. Peccatum enim non est habere siue possidere diuitias, sed illis nimium tribuere atque confidere. Quod qui faciunt, illas includunt, neque ijs ipsi utuntur pro necessitate, neque alijs auxilio sunt, similes Hyperboreis gryphibus qui aurum in montibus custodire asseruareque dicuntur, cuius usum ut ipsi habent nullum, ita nullum alijs permittunt.

Et cœpit Petrus dicere illi, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Respondens autem Iesus, dixit, Amen dico uobis, nullus est qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & euangelij, quin recipiat centupla, nunc in tempore hoc, domos & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros cum persequutionibus, ac in sæculo futuro uitam æternam. Multi autem primi erunt postremi, & postremi primi.

Debetur sane præmium uirtutibus in præsenti sæculo & futuro. Nam & Abraham pater omnium fidelium, pręmia accepit temporaria & æterna: sed interea humiles & modesti sunt fideles, iuxta illud apostoli, Qui stat, uideat ne cadat. Sed & dominus in præsenti, Multi, inquit, primi erunt postremi &c. Plura pete ex 19. cap. euangelij secundum Matth. *Præmia uirtutū*

Erant autem in uia, ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos Iesus, erantque pauefacti, & sequentes timebant. Et assumptis Iesus rursus duodecim, cœpit illis dicere, quæ sibi euentura essent, Ecce ascendimus Hierosolymam & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum ad mortem, tradentque illum gentibus, & illudent illi, flagellabuntque eum, & inspuent in illum, & occident eum, & tertia die resurget.

Proficiscebantur Hierosolymam, at ex uerbis domini & minis hostium Christi facile subodorabant quid esset futurum, & quod ipsis immineret magna persequutionis tempestas. Metuunt ergo sibi tanquam homines, ac sequebantur nihilominus præcedentem dominum, pauido tamen trepidoque animo. Auxit metum discipulorum, quod disertis uerbis quid passurus esset exponit. Ac admonet frequentissima passionis in euangelica historia mentio, quod nihil sit salutari mortis dominicæ memoria salubrius, & cuius oporteat debeatque homo fidelis frequētius meminisse. Maximum autem diuinitatis Christi & mortis spontaneæ argumentum est, quod tam graphice omnem supplicij modum describit prædicensque edisserit. Eadem tractaui Matth. cap. 20. *Metuunt discipuli.*

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes, Præceptor, uolumus ut quicquid petierimus, facias nobis. Ille uero dixit eis, Quid me uultis facere uobis? Illi uero dixerunt ei, Da nobis ut unus tibi à dextra,

& alter tibi à ſiniſtra, ſedeamus in gloria tua. Ieſus autem dixit illis, Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere poculum quod ego bibo? & baptiſmate quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerũt ei, Poſſumus. Ieſus autem dixit illis, Poculum quidem quod ego bibo, bibetis, et baptiſmate quo ego baptizor, baptizabimini: cęterum mihi ſedere à dextra ac ſiniſtra, non eſt meum dare, ſed (ijs continget) quibus paratum eſt.

Caro aſpirat ad honores. Copioſiſſime enarrauimus hanc hiſtoriam apud Matth. in cap. 20. Teſtantur hæc quàm ferociat caro, & quanta cupiditate aſpiret ad honores & imperia. Audierant iam iam quid, & quanta eſſet paſſurus dominus, uerum quaſi nihil huius audiſſent, ſomniant regna & audiunt, Neſcitis quid petatis. Hic lethargus pleroſq; uexat uel hodie, nil aliud in euangelio quærentes quàm temporalia. Cæterum dominus crucem & tribulationes pollicetur nobis. At ne ſic quidem aperiuntur oculi hominum: id quod intelligitur uel ex ſequenti hiſtoria.

Hoc cum audiſſent decem, cœperunt indignari de Iacobo & Ioanne. Ieſus autem cum uocaſſet eos ad ſe, dicit illis, Scitis eos qui uidentur imperare gẽtibus, dominium exercere in illas: uerum non ſic ſe res habebit inter uos: ſed quicunq; ex uobis uoluerit fieri magnus inter uos, erit miniſter ueſter: & quicunq; ex uobis uoluerit fieri primus, erit omnium ſeruus. Nam & filius hominis, non uenit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, ac daret animam ſuam redemptionem pro multis.

Contra epiſcoporũ imperia. Eadem propemodum & ad uerbum leguntur apud Matth. in cap. 20. ubi pro uirili noſtra enarrauimus. Mirari profecto quis poſſet, qua fronte ſibi imperia & regna uendicent, qui pro ueris Chriſti & apoſtolorum ſucceſſoribus haberi poſtulant, cum dominus tam diſerte dicat, Non erit ita intra uos. Non ignoro quibus fucis hic utantur papæ propugnatores, quibus ſcortum illud ſuum Babylonicum pingant: ſed nemo non uidet, quàm aperta ſint uerba ſaluatoris. Non recipiũt commodam aliquam expoſitionem: ſed ſimpliciter negãt ex Chriſto eſſe imperium epiſcoporum. Epiſcoporum eſt docere, & exẽplo uitæ ſyncero dominico gregi præire. Atqui faſtus pompa & luxus uitæ multos non ſinit recte iudicare.

Et ueniunt Hiericho, cumq; egrederetur Hiericho ac diſcipuli illius & copioſa turba, filius Timæi, Bartimæus cæcus ſedebat iuxta uiam mendicans: & cum audiſſet Ieſum Nazarænum eſſe, cœpit clamare & dicere, Fili Dauid Ieſu, miſerere mei. Et increpabant illum multi, ut taceret. At ille multo magis clamabat, Fili Dauid miſere mei.

Fides. Fide uera efficimur participes redemptionis & omnium donorum dei: cum ergo hactenus de morte domini & redemptione noſtra dixiſſet Marcus, ſubiungit iam hiſtoriam qua commendet fidem. Hanc tractaui in fine ca. 20. apud Matt. Theophylactus, Matthæus, inquit, duos cæcos narrat: & fieri poteſt duos quidẽ eſſe ſanatos, hũc autẽ ex illis clariorem fuiſſe, cuius nunc mentionem fecit Marcus. Quilibet autem transferat in ſe perſonã cæci. Sumus enim animo & mente cæci: niſi ergo noſtri miſereatur Chriſtus filius Dauidis, actum eſt de ſalute noſtra. At huius miſericordiam implorare oportet, & conſtanter quidem ac indeſinenter. Multa ſunt quæ auocant nos à ſpe & fide noſtra, ſed perſeuerandũ in ſpe miſericordiæ dei. Si differt diutius quod poſtulamus, in hoc differt, non ut neget, ſed ut preces noſtras quaſi irritet.

Et

Et ſtetit Ieſus, ac iuſſit illum uocari. Et uocant cæcum, dicentes illi, Bono animo eſto, ſurge, uocat te. Ille uero abiecto pallio ſuo, ſurrexit, & uenit ad Ieſum. Et reſpondens dicit illi Ieſus, Quid uis faciam tibi? Cæcus autem dixit ei, Rabboni ut uiſum recipiam. Ieſus autē dixit illi, Abi, fides tua ſaluum te reddidit. Ac protinus recepit uiſum: & ſequebatur Ieſum in uia.

Non reſpuit dominus clamātes ad ſe et ſperātes in eius miſericordia. Reſtitit ergo & benignum ſe exhibet miſero. Vnica uero cōſolatio eſt cū uocamur ad dominum; Beati qui uocationē & uocantem agnoſcūt. Cæcus hic exemplū præfert nobis quanta cum alacritate ſi quando uocamur accedamus ad dominum. Geſtit, exilit, pallium abijcit, & ad Chriſtum ceu exoptatiſſimū portum ancoramq́ ſacram accurrit. Paraphraſtes, Hic, inquit, pauliſper te remorabor, optime Lector, ut ſpectes cęci huius ac mendici alacritatē. Quoties tu uocaris ad Ieſum, nec abijcis palliū, nec exilis, nec accurris ad uocantem, ſed tergiuerſaris, differs, hæſitas, cauſaris, torpeſcis in ſordibus ac tenebris tuis, malens in ſordido pallio ſtipem emendicare ab hoc mūdo, quàm ab Ieſu lucem accipere, quæ ſummam totius felicitatis complectitur. Quàm eſt ſplendida ueſtis innocentiæ. Quàm ſordide palliatus eſt, qui libidine, qui auaritia, qui luxu, qui ambitione coopertus eſt. Quam abiecte mendicus eſt, qui ob uile commodū corporis ſupplex eſt huic mundo. Quàm miſere cæcus eſt, qui nec ſe nouit nec deum. Quoties autem ab iſta miſerabili calamitate uocaris ad Ieſum, lecta aut audita doctrina euangelica, aut arcano quopiam ſpiritus afflatu attractus, cur non reiectis omnibus quæ remorari ſolent à tanta felicitate exilis ad ſpem uitæ melioris, cur non accurris ſumma cum fiducia ad Ieſum, qui ſolus poteſt dare lucem & dare uult omnibus? Venit ad te Ieſus, accerſit, & tu grauaris illi uiciſſim occurrere? Ad mortem uſq; contabeſcis in tenebris tuis, at non ſemper habebis tranſeuntem Ieſum. Certe poſt mortem neminem uocat ad ſalutem, ſed ad iudicium. Hic tranſiens audit clamātem, Miſerere mei. Hic reſtitat, hic uocat, hic illuminat &c. Poſt hæc dominus diſerte tribuit fidei ſanitatem & omnem uirtutem. Sanitas quidem opus eſt gratuitum diuinæ miſericordiæ: ſed quia fide recipitur donum dei, hinc audit beatus cæcus, Fides tua te ſaluum reddidit. Fides & nos ſaluos reddit, non opera, non merita noſtra. Nā diuinę miſericordię & gratiæ gratuitæ eſt quod uiuimus. Porrò iuſſus abire cæcus, ſequitur Ieſum in uia. Non redijt ad pallium & priſtinam mendicitatem, ſed oblitus omniū, ſequutus eſt Ieſum. Vbicunq; enim fides, ibi eſt diligens ſtudium uerbi dei ac ſedula imitatio Chriſti. Fides enim primo omnium iuſtificat nos, deinde uero incitat nos et conſeruat in obedientia legis Chriſti, necubi diſcedamus à uia Chriſti.

Properandū ad dominum.

Fides ſanat.

CAP. XI.

Et cum appropinquant Hieroſolymis ad Bethphage & Bethaniam iuxta montem oliuarum, emittit duos è diſcipulis ſuis & dicit illis, Abite in uicum, qui è regione ueſtri eſt, & ſtatim ingredientes in illum, inuenietis pullum alligatum, ſuper quem nullus hominum ſedit, ſoluite eum, & adducite. Et ſi quis uobis dixerit, Cur facitis hoc? dicite quod dominus eo opus habet, & continuo illum mittet huc. Abierunt autem & inuenerunt pullum alligatum iuxta ianuam foris in biuio, & ſoluunt illum. Et nonnulli eorū qui illic ſtabant, dicebant illis, Quid facitis ſoluentes pullum? At illi dixerunt eis, quemadmodum præceperat Ieſus: & ſinebant illos. Et adduxerunt pullum ad Ieſum, & iniecerunt illi ueſtimenta ſua, ſeditq́ ſuper illum. Multi uero ſternebant ueſtimenta ſua in uiam: alij uero frondes incidebant ex ar-

boribus & sternebant in uiam. Et qui præcedebant quiq; sequebantur clamabant: dicentes, Hos anna, benedictus qui uenit in nomine domini. Benedictum, quod uenit regnum, nomine domini patris nostri Dauid, Hos anna in altissimis.

Christus pontifex & rex. Attingit tandem Hierosolymam, in qua erat holocaustum oblaturus pro peccatis totius mundi & redempturus credentes à peccato & morte. Priusquam autem sacerdos offerret, uoluit prius declarare se quoq; esse regem & liberatorem populi fidelis. Nam ideo regia pompa Hierosolymam ingreditur. Vnde & Theophylactus, Sæpe & aliâs, ait, uenit in Hierusalem, sed nunquam cum tanta claritate quanta nunc. Nūc enim quia passionis tempus aderat, quod ipse sibi præfiniuerat, clarior uenit, ut si uelint, gloriam eius intelligant, & ex prophetijs quę de eo erant, agnoscant quod uerus sit deus; sin nolint, maior sit ipsorum condemnatio quod tam apertis noluerūt assentiri miraculis atq; argumentis. Reliqua quæ ad huius loci enarrationem pertinent petantur ex cap. Matth. 21. Mirus hic est in collatione Christi & summi, sed prophani, pontificis. Eras. in Paraphr. huius loci, qui cupit, legat. Non autem de rege duntaxat fausta ominantur, sed & de regno, clamantes, Benedictum, quod uenit regnū, *Regnum Christi benedictum.* nomine domini, patris nostri Dauid. Fatentur & gratulantur quod dominus iuxta fidem diuinorum oraculorum iam iam excitarit Dauidis regnum: hoc appellant benedictum, celebre, laudatum, faustum & felix. Ac reuera regnum Christi ueri Dauidis ecclesia est: hæc in nomine domini coit & colligitur: hæc beata & felix est in suo rege, in semine inquam benedicto, per quod benedictio iustitia & salus obuenit, aufertur autem maledictio omnibus credentibus. Est itaq; uaticiniū celebre in hac populi acclamatione: unde intelligimus quid nobis conferat rex noster Christus, benedictionem omnibus sæculis promissam.

Et ingressus est Hierosolymam dominus, et in templum. Et cum circumspexisset omnia, iamq; tempus esset uespertinum, egressus est Bethaniam cum duodecim.

Christus sacerdos uniuersalis ecclesiæ. Sacerdotum est inseruire templo cultumq; deo placitū in templo exercere. Quia ergo dominus sacerdos erat, pertinebat certe cura templi ad ipsum, iccirco ingreditur nunc templum, ut hinc clareat ipsum & regem esse & sacerdotem. Gessit autem templum Hierosolymitanum, sicut ex 2. cap. Haggæi colligere licet, typum uniuersalis ecclesiæ. Alioqui enim sacerdotem templi Hierosolymitani agere haudquaquam potuisset dominus, qui erat de tribu Iuda, non de tribu Leuitica oriundus: proinde quod in præsenti agit, non agit ut sacerdos templi Hierosolymitrni, sed tāquam sacerdos uniuersalis in mundo ecclesiæ, cuius est caput rex & dominus. Proinde circumspicit in templo omnia. Nihil enim latere & subterfugere potest omnisciū. Atq; regis & sacerdotis officium est diligēter inspicere cognoscereq; quid in regno quidue in templo fiat, quid recte & decenter, quid perperam & indecenter geratur. Id uero ubi mature & prudenter cognouisset, mox ea quæ praua erant deijcit, collapsa restituit, ipsaq; uera sacra restaurat. Discunt ex hoc summi regis & pontificis exemplo recte gubernātis suam ecclesiam, proceres rerum ecclesiasticarum politicarumq; primo experiri quid fiat in regno & ecclesia, item quàm recte uel praue fiat, deinde ubi cognouerunt, praua demoliri & recta tueri atq; prouehere, Paraphrastes pie, Iesus, inquit, uelut instauraturus collapsam templi religionem, quæ tum maxime pharisæis uidebatur florere, collustrauit totum templum, obseruās si quid illic gereretur templo dei indignū: nō quod illi magnopere curæ fuerit quid in eo tēplo gereretur, quod

quod paulò post nouerat esse demoliendum; sed imagine quadam rei corporalis declarare uoluit, qualem uellet suam ecclesiã, quã ædificabat ex uiuis lapidibus. In his conuenit obambulare pontificem & circumspicere ne quid sit quod templum deo dicatum prophanet. Prophanat autem ambitio, quæstus turpis, auaritia, fraudulentia. Has abominationes non fert in templo suo dominus Iesus.

Quod tempus & ordinem rerum gestarum attinet, uideo contrauerti inter interpretes. Est enim qui existimet dominum ter eiecisse ementes & uendentes ex templo. Principio in initio prædicationis euangelicæ, sicut commemorat Ioan. in cap. 2. Deinde illo ipso die quo ingressus est templum, cuius meminit Matthæus atq; Lucas. Postremo die ab ingressu die postera, de qua historiam texit Marcus. Alij uero putant dominum non nisi semel ementes & uendẽtes profligasse è templo. Id quod fide & rationibus caret. Certum enim est ad minimum chananeos illos, mercatores inquã, bis eiectos esse à domino. Ergo uerisimile est postero die, sicuti Marcus aperte exprimit, eiecisse quos Matthæus & Lucas duntaxat eiectos tradunt, nulla ratione temporis obseruata. Apparet interim lectoribus euangelistas non conferentibus, simul atq; urbem ingressus fuerat, profligasse. Nisi malis Marcum miscere historiã, & post acta quædam posterioris diei, redire ad expositionem eorum quæ facta sunt prima protinus die, qua solenni exceptus est pompa. Vtcunq; uero res habeat, certum est nihil hic sibi repugnans & contrarium tradi. Vera enim certa & indubitata sunt quæ tradit fides euangelica. Certe si ter eiecit è templo mercatores, claret uel cæco quàm uelit à cœtibus ecclesiasticis alienam esse mercaturam & quęstum. Si semel & iterum profligauit, rursus ipso facto declarauit nolle ullos contractus in æde sacra & in rebus ad religionem pertinentibus fieri. Atq; hic parum refert ultima eiectio facta sit primo uel secundo die. Certe neq; Matthæus neq; Lucas diserte contradixit Marco, primo uidelicet id factum esse die: ergo nec Marcus contradixit istis, licet dixerit eiectos esse mercatores postera die: iccirco nullum hic est periculum. Vtram enim sententiam amplexus fueris, nihil peccaueris.

Dominus nõ semel eijcit ementes & uendentes de templo.

Ad uesperam sub noctem reuersus est dominus in Bethaniam, haud dubie istas ob causas. Principio ut oraret. Nam quo uicinior erat morti, hoc precabatur ardentius & crebrius. Deinde quod in magnifica quidem, sed ingratissima urbe, non reperiret hospitium. Timebat sibi quisq; ne pharisæorum in se odia excitaret. Subducunt ergo sese à Christi consortio, qui ei hactenus acclamarant, Benedictus qui uenit in nomine domini. Verum hęc est humana imbecillitas & miseria: hi sunt uulgi mores. De his plura dixi apud Matth. in cap. 21.

Dominus ex urbe redit Bethaniam.

Et postero die cum exijssent Bethania, esurijt. Cumq; uidisset arborem fici procul habentem folia, ueniebat, an uidelicet inuenturus esset aliquid in ea. Et cum uenisset ad illam, nihil inuenit nisi folia. Non enim erat tempus ficorum. Et respondens Iesus, dixit ficui, Ne posthac ex te in æternum quisquam fructum edat. Et audiebant discipuli illius, ueniuntq; Hierosolymam.

Adumbrat his pœnam & supplicium rebelli & ingratæ imò perfidæ Hierosolymorum urbi debitum, maledictionem inquam dei & irreparabilem interitum excidiumq; ultimum. Ficus suaues progignit ex indole sua fructus: & Iudæi in hoc cœlitus fuerant uocati ut dulces pietatis, fidei inquam & charitatis fructus æderent, nunc uero speciem modo pietatis præ se ferebant, reuera hypocritæ erant

Supplicium urbis rebellis.

unde merito suo maximo maledictioni subiacent diuinæ, ne posthac sint gens & populus dei, quin magis excindatur ex terra, reliquiæq; sint totius orbis exquiliç & sordes. Sic legis in Isaia, Expectaui ut uinea mea proferret uuas suaues, & ecce labruscas protulit. Expectaui iudicium, & ecce iniquitas: iustitiam, & ecce clamor. Ideo tollam sepem eius ut depascatur, rumpam maceriem eius ut conculcetur &c. Isaiæ 5. Cæterum ne quis mysterium hoc sensumq; secretiorem nõ uideret, inter alia commemorat Marcus, tunc cum hæc fierent non fuisse tempus ficorum. Quis enim nesciat arbores stata habere tempora quibus proferunt fructus? Quis ergo citra iniuriam ex arbore aliqua ante tempus postulauerit fructum? Proinde absurditate illa suorum mẽtes excitare uoluit ad perquisitionem maioris mysterij. Interea uero nullam iniuriam arbori creaturæ suæ irrogat creator & conditor uniuersi. Condidit hic omnia ad utilitatem & ministerium hominum. Cum itaq; ad utilitatem hominum exarescit ficus, id facit ad quod destinata est. Seruit enim hominibus: atqui ad hoc condita est. Paraphrastes non infeliciter mysticum sensum recludens, Dominus Iesus, inquit, esurientissimus humanæ salutis, reperit fructum in arboribus infrugiferis, quæ nullam spem de se præbebant, in meretricibus, in publicanis, in peccatoribus, in ethnicis, in Chananæa, in Samaritis: in solis sacerdotibus scribis & pharisæis, qui dulcissimi fructus euangelici summam de se spem præbebant, nihil omnino fructus inuenit. Tenebant arcem religionis, obuersabantur in templis, tenebant legem ac prophetas, pallebant ieiunijs, prolixe orabant, dabant eleemosynas, quin & stolæ lataq; phylacteria mirum quoddam pietatis studium præ se ferebant. Hæc nimirum erant folia uel ante tempus præcocem fructum pollicentia. Sed dominus hoc docere uoluit, nihil esse deploratius impietate falsa religionis specie fucata. Hæc ficus meretur execrationem Iesu, ne quis foliorum pompa deceptus ex hoc hominum genere posthac speret ullum fructum suauissimæ charitatis euangelicæ. Similitudinem ficus aliam nec prorsus dissimilem huic inuenies apud Lucam in cap. 13. Facit ea ad illustrationem huius.

Et ingressus Iesus in templum, cœpit eijcere eos qui uendebant & emebant in templo, & mensas argentariorum, sellasq; uendentium columbas subuertit: nec permittebat ut quisquam deportaret uas per templum. Et docebat, dicens illis, Nonne scriptum est, Domus mea, domus precationis uocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Non permisit cuiquam ullum uas deportare per templum.

Hoc uidelicet erat ueri & fidelis sacerdotis officium, dei templum repurgare ab abusibus, prauis consuetudinibus, erroribus, prophanationibus & impietatibus. De ea re plura require ex 21. cap. Matth. Illud uero mirum est quod nulli permittebat uel uas deportare per templum. Norunt autem qui uel à limine salutarunt literas sacras, uasa usurpari iuxta dialectum Hebraicam pro omnigenis instrumentis. Vas ergo instrumentum est quæstui & negotiationi deputatum atque idoneum. Atque ita discimus exemplo domini Iesu, uerorum pontificum & episcoporum esse, ne quid quantumuis humile & exile sit, ferant in templis Christianorum, quod aliquando quæstui est adhibitum, aut unde periculum est, fore ut aliquando per abusum seruiat quæstui & prophanationi nouæ: cuius generis in primis simulachra & quæcunq; his connexa sunt esse credimus. Plura intelligit Lector quàm calamus consequatur & comprehendat: nec opus est longo catalogo.

Nam

Nam de similibus idem est iudicium. Quod autem in testimonio prophetico adijcitur Omnibus gentibus, non fit citra causam insignem. Rursus enim submonet spiritus dei templum Hierosolymitanum prætulisse typum ecclesiæ per totum terrarum orbem dispersæ. Alioqui enim Iudæis peculiariter seruiebat templum Hierosolymitanum: at prophetæ uerba loquuntur de templo quodam omnibus gentibus communi, de quo & uerba Haggei cap. 2. exponenda sunt. Recte ergo Paraphrastes, Non magnopere, inquit, curabat dominus illius templi, quod cum suis ritibus uolebat aboleri, puritatem: sed noui templi, cuius ipse futurus erat architectus, insignem nobis puritatem commendabat, subindicans interim & illud, merito sacerdotes, scribas & pharisæos submouendos à principatu religionis, qui ueterem etiam illam ac figuratam religionem suam auaritia, fraudulentia, simulatione, omniq; spurcitie genere contaminassent ac prophanassent. Nunquam legitur æque commotus Iesus, nunquam æque sæuijsse. Quid facturus esset si conspiciat suam sponsam ecclesiam, quam suo sanguine lauit, ut exhiberet sibi puram, expertem omnis maculæ ac rugæ, per episcopos ecclesiæ præfectos, omni turpitudinis genere prophanari, uiolari, conspurcari? Qui non solum pecudes & columbas, sed omnia sacra habent uenalia, quæ precio nec dari possunt nec emi. Conspicit haud dubiè, tametsi dissimulat, nec ideo pœnam effugient tales, quia dei lenitas tolerat eos ad pœnitētiam. Nectetur aliquando, nectetur terribilis ille funiculus, qui templi sacri uiolatores eijciat in gehennam. Hactenus ille. Theophylactus autem, Sunt, inquit, qui multas quoq; nummorum mensas habent, qui administrant & dispensant ecclesiastica, & omnia propter auaritiam faciunt. Quoniam & sellæ uendentium columbas subuertuntur, hoc est pontifices uendentes spiritualia dona. Columba enim signat donum spiritus sancti: quod qui uendunt, à domino repelluntur à sacerdotio. Nam qui propter datum aurum ordinatur, à sacerdotio depositus est. Et reliqua. *Templū ecclesiæ typus.*

Hoc audito scribæ principesq; sacerdotum, quærebant quomodo illum perderent. Timebant enim eum: quia uniuersa turba obstupescebat super doctrina eius.

Ita uero male gratus est mundus ingentibus dei beneficijs. Odit ex animo fideles & ueraces qui libere incusant mundi immundiciam: ideo & Christum non tantum odiunt pharisæi, sed & interficere quærunt. Augebat inuidiam metus. Is oriebatur ex eo quod uiderent populum pendere à sermonibus Iesu, qui derogabat ipsorum & authoritati ac doctrinæ, ac proinde etiam quæstui. Accusabat ipsos rea conscientia. Sentiebant uera docere & uera amplecti plebem, se autem esse hypocritas impostores & præuaricatores: metuebant ergo dominum. Deinde metuebant quod ex ardenti studio amoreq; plebis erga dominum intelligerent haud laturos impune, si quid iniuriarum irrogassent domino. De hoc metu annotauimus quædam in finem 21. cap. Matth. sicut & de authoritate doctoris & doctrinæ Christi apud eundem cap. 7. *Ingratitudo.*

Et cum aduesperauisset egressus est Iesus è ciuitate, & mane prætereuntes, uiderunt ficum aruisse radicitus: & recordatus Petrus, dicit illi, Rabbi, ecce ficus illa, quam execratus es, aruit. Et respondens Iesus, dicit illis, Confidite deo. Amen dico uobis, quicunq; dixerit monti huic, tollaris & mittaris in mare: & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit fore quæ dixerit, continget illi quicquid dixerit. Propterea dico uobis, Quæ

cunq; orantes petitis, credite uos impetrare, & contingent uobis. Et cum ste teritis orantes, remittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester, qui in cœlis est, remittat uobis delicta uestra.

Fides. Occasione accepta ab arbore arefacta, docet dominus fidem siue fiduciam in deū, & subindicat quanta sit uis fidei, qualem item deceat esse fidem, firmam utiq; indubitatamq;. Consulatur Matt. cap. 21. ubi hunc locum enarraui. Submonet interim odijs hominum adobrutos, & iniurijs, calamitatibus, persequutionibusq; pressos, non posse eluctari nisi per fidem ueram. Fides, inquit apostolus & euangelista, est uictoria quæ uicit mundum. Præterea in tribulationibus mundiq; insidijs consugiendum

De oratione. est ad deum; qui & assiduis pulsandus est precibus. Ita enim fecerunt cum Dauide omnes sancti patres & prophetæ, ideoq; in præsentiarum commodissime de precibus siue oratione disputat dominus. In ea hæc obseruanda ueniunt. Principio orationem soli deo, non ullis creaturis offerēdam. Solus enim omniscius & ubiq; præsens est, solus omnipotens est, qui quæ rogatur, præstare potest. Sed & beneficus est amatorq; hominum, qui quæ prosint, nouit, & utilia confert. Deinde citra fidem non ualere coram deo ullam orationem. Credere ergo oportet ante omnia. Sed quid obsecro? Accepturum te quod petis; id est deum tibi bene uelle; ideoq; illud daturum quod utile & bonum tibi esse nouit. Alioqui enim constat non raro huiusmodi esse uota nostra, & quæ cum uoluntate dei pugnant, & si concederentur officerent, non prodessent. Quia ergo deus natura bonus est, id nobis filijs suis dat, quod bonum esse nouit. Idq; de deo credendum est, dare illum non nisi utilia, iusta, bona. Ita uides uerbum domini, Quæcunq; orantes petitis &c. non absolute, sed per commodam aliquam interpretationem intelligendum atq; explanandum esse. Ac impium plane foret, si quis quidlibet prætextu horum domini uerborum impetrare præsumeret. Pietas ubiq; adhibenda atq; in consilium uocāda uidetur. Postremo requirit ab orantibus dominus, ut condonent omnibus debitoribus delicta. Cæterum dominus non remittit nobis nostra peccata in recompensationem eius quod nos remisimus. Nam ex gratia per Christum remittuntur nobis peccata: syncera fides magis requiritur à nobis. Charitas est ex fide, hæc condonat peccata. Vbi nulla est condenatio, ibi nulla charitas, ergo neq; ulla fides. Sequuntur illa ex nexu continuo, ut iusta condonatio sit signum siue argumentum ueræ remissionis peccatorum, quæ contingit nobis ex gratia dei per fidem. De his disputata sunt quædā in capite Matth. 5. 6. 18. &c.

Et ueniunt rursum Hierosolymam: & cum ambularet in templo, ueniūt ad illum principes sacerdotum & scribæ & seniores, & dicunt illi, Qua authoritate ista facis? & quis dedit tibi authoritatem ut ista facias? Iesus autem respondens dixit illis, Quæram à uobis & ipse quiddam, & respondete mihi, dicamq; uobis qua authoritate hæc faciam. Baptismus Ioannis è cœlo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. Et ratiocinabantur apud se, dicentes, Si dixerimus è cœlo, dicet, Cur igitur non credidistis illi? At si dixissent, ex hominibus, timebant populum. Omnes enim habebant Ioannem ut qui uere propheta fuisset. Et respondentes, dicunt Iesu, Nescimus. Et Iesus respondens, dicit illis, Nec ego dico uobis qua authoritate hæc faciam.

Constantia. Vt in insidijs & periculis persequutionum perstare & uincere possimus, non modicum momenti confert constantia & contemptus hostium dei, propter quorum minas & furores negotium & opus domini nequaquam negligamus oportet. Tametsi

ergo

ergo non ignoraret hostium suorum consilia dominus; redit tamen nihilo minus in templum, ac docet. Id quod pijs omnibus est imitandum. Rursus uero excubãdum diligenter, & in singula momenta noua expectanda certamina, quæ excipere oportet animo sobrio & prudenti, sicuti & dominum mox facere uidemus, dum à pharisæis petitur. Ea disputatio exposita est apud Matth. in cap. 21.

Et cœpit illis per parabolas loqui, Vineam plantauit homo, & circundedit sepem, foditq; lacum, & ædificauit turrim, & elocauit eam agricolis, & peregre profectus est. Et misit ad agricolas cum tempestiuum esset seruum, ut ab agricolis acciperet de fructu uineæ. At illi arreptum illum ceciderunt, ac remiserunt uacuum. Et rursum misit ad illos alium seruum, cui coniectis in eum saxis, caput contuderunt, & remiserunt contumelijs affectum. Et rursum alium misit, & illum occiderunt multosq; alios, hos quidem cædentes, alios uero occidẽtes. Itaq; cum unum adhuc haberet filium suum dilectum, misit etiam illum ad illos postremum, dicens, Reuerebuntur filium meum. Illi uero agricolæ dicebant inter sese, Hic est hæres, uenite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Et arreptum illum occiderunt, & eiecerunt è uinea. Quid igitur facturus est dominus uineæ? Veniet & perdet agricolas, & dabit uineam alijs. An ne hanc quidem scripturam legistis, Quem reprobauerunt lapidem ædificatores, hic factus est caput anguli. A domino factum est hoc, & est admirabile oculis nostris. Et quærebant eum comprehendere, & metuebant multitudinem. Sciebant enim quod aduersus ipsos parabolam dixisset. Et relicto illo abierunt. CAP. XII.

Satis superq; satis inclaruit populi Israelitici & procerum eius incredula rebellio. Quo plura accipiebant beneficia, quo clarius instituebantur in doctrina ueritatis, hoc induresceban magis & contemnebant, imo persequebãtur etiam ueritatem gratuius, quam erroris interim non quibant reuincere. Tempestiue ergo nunc dominus & ingratam ipsorum crudelitatem protrahit; & commeritas commemorat pœnas, excidium uidelicet gentis & reiectionem perpetuam. Reliqua pete ex cap. Matth. 21. Relicto, inquit, illo abierunt. Prius recesserant ab eo mentibus, quæ omnium pestilentissima defectio est, iam & corporibus, quod ipsis & occasio & facultas cædendi deesset, sibiq; metuerent à plebe studiosa nominis Christi. *Pœnæ ingratis & incredulis debitæ.*

COMMENTARIORVM IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM LIBER QVINTVS.


RESPONDET porrò dominus mira cum maiestate ad quæstiones aliquot opidò utiles & necessarias. Principio enim differit de magistratu, iubens ei quod debemus pendere. Deinde refutans Sadducæos, Valentinianorum & Marcionitarum patriarchas, asserit resurrectionem mortuorum, uitamq; futuri sæculi. Postea disputat perspicue de scopo & argumento totius scripturæ siue legis diuinæ. Præterea ipsis quoq; aduersarijs suis quæstionem proponit, qua demonstrat se esse Meßiam uerum, naturæ geminæ, uerum utiq; deum & hominem. Cæterum cum aduersarij, sacerdotes inquam & scribæ, nulla ueritatis perspicuitate & euidentia mouerentur, sed sui similes perpetuò pergerent plebem & seducere corruptis traditionibus & inexplebili habendi cupiditate deglubere, admonet plebem dominus ac præcipit ut caueant ipsorum doctrinam. Adhæc multa & magna ipsis impingit scelera, inter alia uero auaritiam & sacrilegia. Ne quis tamen frustra facultates ad conseruationem rerum ecclesiasticarum conferri putaret, ualde commendat cuiusdam uiduæ donum gazophylatio illatum. Postremo omnium, prædicit imò pingit excidium & ruinam templi Hierosolymorum splendidißimi, urbis antiquißimæ & orbis uniuersi. Adijcit & signa calamitatesq; quæ præcessuræ sint, significatrices inexplicabilium malorum. Et quoniam seruare nō perdere cupit genus mortalium dominus, hortatur omnes ad preces & uigiliam.


ET mittunt ad illum quosdam è pharisæis & Herodianis, ut eum captarent sermone. Illi uero cum uenissent, dicunt ei, Præceptor scimus quod uerax es, & non curas quenquam, non enim respicis personam hominum, sed reuera uiam dei doces, Licet censum dare Cæsari an non? Demus, an non demus? Ille uero cognita illorum simulatione, dixit illis, Quid me tentatis? Afferte mihi denarium, ut uideam. Illi uero attulerūt. Et dicit eis, Cuius est imago hæc & inscriptio? Illi uero dixerunt ei, Cæsaris. Et respondens Iesus, dixit illis, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. Et admirati sunt de eo.

Magistratus. Mouetur questio de magistratu, & de eo quid ipsi debeamus. Dominus paucis eā absoluit. Magistratus sicut & uictoria à deo est. Deus ergo regna concedit, hic reges & regna mutat, & cuicunq; uolet subijciet gentē suam. Sic docuerunt Iere. in 29. cap. & Daniel in 5. Quia ergo gentem suam deus subdiderat Romanis Cesaribus, his omnino parere debebant, ijsq; pendere quæ subditi solēt suis conferre principibus. Breuibus hanc quæstionem absoluit & apostolus Paulus, dum dixit, Omnis anima potestatibus eminentioribus sit subiecta. Item, Reddite omnibus quod debetur, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal, &c. Reliqua pete ex 22. cap. Matt. Herodianos esse Herodis aulicos & Romanorum officiales, colligendisq; tributis præfectos uel hinc claret. Indepti sunt hoc nominis hinc fortassis, quod Herodes magnus à Romanis præfectus Iudæis tributum ab eis primus exegerit. Sed de his aliâs dictū est satis.

Et ueniunt Sadducæi ad illum, qui dicunt non esse resurrectionem, interrogaueruntq; eum, dicentes, Præceptor, Moses scripsit nobis, si cuius frater mortuus fuerit, ac reliquerit uxorem, & liberos non reliquerit, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo, Septem fratres fuerunt, ac primus duxit uxorem, isq; moriens non reliquit semen, & secundus

cundus duxit illam, ac mortuus est, & nec ipse reliquit semen, & tertius similiter. Et duxerunt eam septem, nec reliquerunt semen. Postrema uero omnium mortua est & mulier. In resurrectione igitur cum resurrexerint, cuius illorum erit uxor? Nam septem habuerunt eam uxorem. Et respondens Iesus, dixit eis, An non propterea erratis, quod non sciatis scripturas, neque potentiam dei? Cum enim à mortuis resurrexerint, neque contrahunt matrimonium, neque nuptum dantur, sed sunt uelut angeli qui in coelis sunt. Cęterum de mortuis quod resuscitentur non legistis in libro Mosi, quomodo in rubo loquutus sit illi deus, dicens, Ego ille deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob, Non est deus mortuorum, sed uiuentium. Vos igitur multum erratis.

Hisce eleganter tractatur memorabilis quæstio de Resurrectione mortuorum, *Resurrectio.* quam nos apud Matth. in cap. 22. explicauimus. Abutuntur quidam hisce domini uerbis, Sunt uelut angeli qui in cœlis sunt, aduersus quos Epiphanius multis disputat contra hæreses lib. 2. tomo 1. ubi agit contra Origenianos.

Et cum accessisset quidam è scribis, & audisset eos disputantes, uideretque eum bene respondisse eis, interrogauit illum, Quod est primum omnium præceptorum? Iesus autem respondit illi, Primum omnium mandatorum est, Audi Israel, dominus deus noster, dominus unus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mēte tua, & ex totis uiribus tuis. Hoc est primum præceptum. Et secundum simile, hoc est, Diliges proximum tuum ut teipsum. Maius his aliud præceptum non est. Et dixit illi scriba, Recte, præceptor, in ueritate dixisti unum esse deum, nec esse alium præter illum, diligereque eum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex totis uiribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus esse quàm uniuersa holocaustomata & uictimas. At Iesus cum uideret eum cordate respondisse, dixit illi, Haud longe abes à regno dei. Et nemo post illa, audebat ipsum interrogare.

Sed & hæc quæstio celebris est, sine cuius explicatione & intellectu sano parum *Scripturarum scopus dilectio.* utiliter uerseris in sacris literis. Vnde Augustinus lib. de Doct. Christ. 1. cap. 36. Quisquis, inquit, scripturas diuinas uel quamlibet earum partem intellexisse sibi uidetur, ita ut eo intellectu non ædificet geminam charitatem, dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis uero inde talem sententiam duxerit, ut huic ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non periculose fallitur, nec omnino mentitur, &c. Excitant hæc nos ad diligentiam & attentionem, ne hic & in re tanti momenti simus inertes & segnes. Ac Primū in præsenti Marcus appellat quod Matthæus dixit Magnum, id nimirum quod scripturæ fundamentum & scopus est, ad quem referuntur omnia. Adijcitur enim alibi, In his lex ac prophetæ pendēt. Enarrauimus hanc quæstionem apud Matthæum in cap. 22. eò te relegamus Lector. Porrò commodum in pręsenti primum disserit de deo. Hic enim est in quem intendit figiturque dilectio, qui sicuti unus est, ita solus diligendus est super omnia. Secundū primo dicitur simile, et quod dilectione cōprehenditur, et quod proximum diligimus propter deū. Addit, Maius his aliud non est. Excellit enim cha

ritas atq; adeò ut omnes uirtutes sine charitate nihil minus sint q̃ uirtutes. De qua re consulas licet Apostolum 1. Corinth. 13. cap. Cæterum non citra caussam & fructũ repetũtur uerba legis à legisperito. Ita enim sedulò nobis cõmendatur, imò inculcatur quod in lege dei est primarium & potissimum. Obseruandũ tamẽ quod scriba addit quædam quę dominus non dixit, sponte autem sequuntur ex uerbis domini, scripturisq; consentanea sunt. Dominus dixerat, Audi Israel, dominus deus noster, dominus unus est. Id quod petijt ex 6. cap. Deut. Scriba uero dicit, Recte præceptor in ueritate dixisti, unum esse deum, nec esse alium præter illum. Atqui nõ dixerat dominus, Non alium esse præter illum. Verum hoc consequitur ex illo. Vnum enim diuisionis & societatis expers est. Ita uero discimus explicare scripturas. Nam cum dicitur, Vnus deus, unus saluator, unus mediator, una hostia, perinde est ac si dixisset scriptura, nec alius præter illũ, non alia hostia. Proinde unus tantundem pollet atq; solus. Sed age ubinam aut quãdo dixit dominus Diligere proximum plus est quàm uniuersa holocaustomata & uictimæ? Cum dixit, Maius his aliud præceptum nõ est. Hoc enim scriba sic intelligit quod dominus dilectionẽ prætulerit uel maximis uirtutibus. Ac tum quidem immolabantur holocausta & uictimę ex mandato domini, necdũ erãt abrogata. Ac proculdubio intellexit hic omnes ceremonias omnemq; externum cultũ per has duas species. Et recte quidẽ domini uerba intellexit scriba. Nã non reprehenditur à domino. Subiungitur enim ipsum cordate respondisse, ideoq; dominũ subiecisse, Haud longe abes à regno dei, testificans illũ non male iudicare de rebus religionis, quod haud dubie perficeret, pleneq; regnum dei reciperet si fidem iungeret dilectioni, & per fidem in dilectione sese exerentẽ deo placeret. Neq; enim satis est ueram religionem intellexisse nisi eam exprimas fide & dilectione, germana religione congruis. Hic autem triumphat uictrix ueritas. Nemo enim audet porrò interrogationibus tentare dominum. Interrogationibus quidem capere & populo ridendum exhibere dominũ aduersarij instituerunt, sed præbebant domino occasionem interrogationibus illustrandi ueritatem confutandiq; corruptas pharisæorum doctrinas. Docebant hi externis cultibus constare religionẽ & recipi conferriq; salutem, dominus aliud hic tradit, ac tanta quidẽ euidentia, ut aduersarij mirarẽtur, nihil habentes quod opponerent. Ita euenit ipsis & consequenti historia, siue congressu.

Vincit ueritas.

Et respondens Iesus, dicebat docens in templo, Quomodo dicunt scribę Christum esse filium Dauid? Nam ipse Dauid dixit afflatus spiritu sancto, Dixit dominus domino meo, sede à dextra mihi, donec posuero inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Ipse ergo Dauid uocat eum dominum, & unde filius eius est? Et plæraq; turba audiebat eum libenter.

Nuspiam relinquit docẽdi officiũ, hoc ipsum suo exemplo cõmendans omnibus pastoribus pijs, ut & ipsi doceant sedulò, etiãsi insidiarũ iniuriarumq; nullum uideãt finẽ. Quæstio domini legisperitis proposita explicatur in Commentarijs apud Matt. cap. 22. Quod uero plæraq; turba ipsum dominum libenter audit, conuincit prædicationem uerbi dei nunquam carere suo fructu, licet semper reperiantur qui contradicentes se opponant ueritati. Pauci ex eruditis & principibus uiris credebant domino, plæraq; uero turba credebat domino. Hęc enim utpote simplex minus rapitur uehementibus grauibusq; illis affectionibus, ambitione, liuore & similibus. De principibus legis dixisse dominum, Quomodo potestis uos credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis? Caueamus ergo ne hisce nos mancipia prębeamus affectionibus.

Nunquam sine fructu prædicatur.

Dicebat autem illis in doctrina sua, Cauete à scribis, qui amant stolati obambulare, & salutationes in foris, primasq; sellas in congregationibus,

& pri-

& primos accubitus in cœnis, qui deuorant domos uiduarum, idq; prætextu, ut qui longas precationes faciant. Hi subibunt grauius iudicium.

Paraphrastes pulchre occasionem huius loci locumq; ipsum enarrans; Cum, inquit, dominus uideret turbam sanabilem, sacerdotes autem, scribas & pharisæos destinata malitia tendere quo cœperāt, cœpit eos palàm apud populum traducere, non ut illis obtrectaret, sed ne posthac populum fallerent, detraxit illis falsę pietatis & sanctimoniæ personam. Iam enim tempus ita postulabat. Itaq; depromens suam illam doctrinam, id est liberam nulliq; palpantem, aiebat; Cauete ne uos fallat magnifica species scribarum & pharisæorum. Non student uestræ saluti, sed suæ gloriæ. Cupiūt enim ut magni uideantur. Ambulant in uestibus ad talos usq; demissis, uenanturq; salutationes in foro, captantq; primorum sedilium honorem in consessibus, & in conuiuijs primum locum in accubitu. Et quę sequuntur. Reliqua quæ ad huius loci enarrationem pertinent, pete ex Matth. 23. cap. *Detrahitur persona pseudò doctoribus.*

Et cum sederet Iesus ex aduerso gazophylatij, spectabat quomodo multitudo mitteret æs in gazophylatium. Et multi diuites mittebant multa. Et uenit quædam uidua pauper, misitq; minuta duo, qui est quadrans. Vocatisq; ad se discipulis suis, dicit illis, Amen dico uobis, uidua hæc pauper plus misit, quàm omnes qui miserūt in gazophylatium. Nam omnes ex eo, quod ipsis supererat, miserunt, at hæc è penuria sua omnia quæcunq; habuit, misit, totam substantiam suam.

Dixerat modo dominus sacerdotes & pharisæos ficta religione & prętextu prolixarum precum deuorare uiduarū domos, adeoq; pauperū substantiam, quibus forte commotus aliquis dixerit, Ergo cum uideam male perire opes ecclesiasticis hominibus collatas, & hos prauis artibus corradere undiq;, unde luxuriēt, posthac nihil planè contulero ad ecclesiastica uectigalia: dominus dantes in præsentiarū non damnat simpliciter, sed interim quo animo dare oporteat ostendit. Contulit enim se in eam templi partem, in qua & opes asseruabantur ecclesiasticæ, & homines munera sua conijciebant in arcā, ibi spectabat aduentantes muneraq; ferentes, inter quos diuites aliquot ingentia afferebant munera. Atq; hos non uituperauit. Nam Gazophylatij usus non erat inuentum humanum, sed petitus è lege domini. Locos si quis requirat inueniet Exodi 30. 2. Paralip. 24. Nehemiæ 3. & 10. cap. Conferebantur autem opes illæ ad sarta tectaq; templi, ad sacra deniq; ministeria, hoc est, ad conseruationem publicorum ædificiorum, ministrorum item & pauperum, ad sanctum inquam usum. Itaq; dandum quidem est, & qui dant bene faciunt. Dabant opulentiores apostolorum quoq; tēpore ad usus huiusmodi sanctos suas facultates, ut legitur in Actis Apostolicis cap. 4. 5. & 6. ex quibus alebantur ministri ecclesiæ & pauperes fideles. Cum enim propter confessionē Christi plures è synagoga eijcerentur, famē pereundū his fuisset, nisi liberalitas Christianorum periclitantiū subuenisset inopiæ. Proinde si hodie quoq; exigat rei necessitas, dare debēt fideles opulentiores ad huiusmodi usus sacros. Cæterū cum ex regum, principum, nobilium, ciuiúmue munificentia opes suppetunt, etiam atq; etiā uidendum ne turpiter prodigantur, aut expilatione sacrilegorum hominum minuantur. Dispensandæ sunt illæ pro ecclesiarū necessitate utiliter, iuste & sancte. Porrò uidua hæc, quæ dat, animo dat benigno & liberali, datura proculdubio longe ampliora si potuisset. Requiritur ergo animus à dantibus, paratus & promptus. Apostolus enim 2. Corinth. 9. Hilarem datorē, inquit, requirit deus. Ac celebre est illud apud ethnicos prouerbium; Munerū animus optimus. Atq; uidua *De beneficentia & uectigalibus sacris.*

hæc ex liberalitate illa animi sui cupiebat haud dubie & semetipsam impendere totam. Vnde dominus ex animo munus æstimans atq; commendans, Pro comperto, inquit, dico uobis, quod hæc uidua quamlibet tenuis (uerbis utor Paraphrastæ) plus dedit in gazophylatium, quàm cæteri omnes qui uidētur liberalissime dedisse. Nam cæteri dederunt ex eo quod ipsis abundabat. Multum dederunt, sed plus sibi seruarunt. Hęc autem ex inopia sua facultates suas uniuersas largita est, nihil sibi reseruās. Non enim æstimat deus donariū ex modo rei, sed ex affectu mentis, &c. Donarium quod obtulerat erant minutuli nummi duo, qui conficiunt unum quadrantem. At M. Varro, Quadrans, inquit, est pars assis quarta, sicut sextans sexta pars, triens pars tertia. Certe minimi momenti fuit quod obtulit, ueluti si tu offeras cruciatum aut minutias leuiores. Exhibet interim hæc historia & alia nobis dogmata, Principio quidem, deum quodlibet opus nostrum non metiri ex pretio magno, sed magis ex affectu pio & religioso. Deinde domino uel minutissima placere opera, si fiant per fidē, ex corde syncero & beneuolo. Nam apud Matth. in cap. 10. Quicunq;, inquit, ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine discipuli, amen dico uobis non perditurus est mercedem suam. Habent itaq; & pauperes adeoq; mendici, quo seruiant deo, ut non possint sese excusare. Si non habes aurum, habes certe consolationem & officia, quouis pretiosissimo auro præstantiora. Si obstare non potes sceleribus quo minus patrentur, ne placeant tibi, contradicito, & moribus illa tibi displicere ostende. Conijcimus & ex illo Christum esse deum uerum, qui uiduæ mentem inspexit, ac quo animo fecerit, quod fecit, quantumq; possederit, ac dederit, uidit. Solus enim deus cordium est scrutator.

Quadrans.

CA. XIII. Et cum exiret è templo, dicit illi quidam è discipulis ipsius, Magister, uide cuiusmodi lapides, & cuiusmodi structuræ? Et Iesus respondens, dixit illi, Vides has magnas structuras? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non diruatur.

Excidium gentis perfidæ.

Tandem genti & populo pœnitere nescio, & contemnenti salutem æternam, excidium & interitum prædicit. Sperabant isti religione & sanctimonia templi se seruandos, sicut & Ieremiæ sæculo clamauerant, Templum domini, templum domini, templum domini: sed dominus uaticinatur etiam templum fore perdendum. Fusius de his dixi Matth. 24. cap.

Et cum sederet in monte oliuarum è regione templi, interrogabant illum seorsim Petrus & Iacobus, & Ioannes & Andreas, Dic nobis quando hæc euenient? & quod signum erit quando hæc omnia sint consummanda? At Iesus respondens illis, cœpit dicere, Videte ne quis uos fallat. Multi enim uenient nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, multosq; decipient. Cum autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbemini. Oportet enim (ea) fieri, at nondum finis. Insurget enim gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum. Et erunt terræmotus in singulis locis, eruntq; fames & tumultus. Initia dolorum hæc. Sed cauete uos uobisipsis. Tradent enim uos in consilia, & in synagogas, cædemini, ac ad præsides & reges ducemini, propter me in testimonium illis. Et in omnes gentes oportet prius prædicari euangelium. Cum autem duxerint uos tradentes, ne solicite præcogitetis, quid dicturi sitis, neq; meditemini, sed quic-

quid

quid datum fuerit uobis illa hora, hoc loquamini. Non enim estis uos qui loquimini, sed spiritus sanctus. Traditurus est autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent liberi aduersus parentes, ac morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui uero sustinuerit usque in finem, hic saluabitur.

Interrogatus dominus de excidio templi & urbis Hierosolymorum, item de calamitatibus uenturis, & consummatione saeculi, ostendit multa enumeratione quae praecessura sint, nimirum ut ex praecedentibus aestimemus consequentia, & singuli parent se quo consistere possint in die malo. Pertinent autem in his quędam peculiariter ad fata Hierosolymorum gentisq; Iudaicae, quaedam ad postrema saecula propter similitudinem, quaedam quidem ad discipulos primitiuamq; ecclesiã, quaedam uero ad omnes omnium saeculorum ultimorum maxime homines. De quibus copiosius disserui apud Matth. in cap. 24.

Porrò cum uideritis abominationem desolationis, de qua dictum est à Daniele propheta, stantem ubi non oportet, qui legerit, intelligat. Tũc qui fuerint in Iudaea, fugiant in montes: qui uero fuerit in tecto, ne descendat in domum, nec ingrediatur ut quicquam tollat è domo sua. Et qui fuerit in agro, ne reuertatur retro ad tollendum pallium suum. Vae autem praegnantibus & lactantibus in illis diebus. Sed orate ne fiat fuga uestra hyeme. Erũt enim dies illi talis afflictio, qualis non fuit à primordio rerum conditarum, quas condidit deus, usq; ad hoc tempus, nec futura est. Et nisi dominus decurtasset dies, hauquaquã seruata fuisset ulla caro: sed propter electos quos elegit, decurtauit dies. Ac tum si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, ecce illic, ne credatis. Exorientur enim pseudochristi & pseudoprophetae, & aedent signa ac prodigia ad decipiendum, si fieri possit, electos. Vos autem cauete: ecce praedixi uobis omnia.

His fermè ad eam quaestionis partem respondet, qua de excidio Hierosolymorũ fuerat rogatus. Sed & consilium dat fidelibus, quomodo se gerant in illis turbis. Consolatur item quos comprehendit & inuoluit malũ, praedicens non admodum diuturnas fore calamitates, alioqui maximas & exemplo carẽtes. Haec omnia copiose satis, opinor enarraui apud Matth. in cap. 24. ut iam nihil uideatur adijciendum amplius. Paraphrastes postrema illa non infeliciter enarrans, Tantum, ait, cauete, ne pro me aliũ Christum complectamini. Plus erit periculi ab impostoribus quàm à persequutoribus. Exorientur enim in illis diebus pseudochristi, qui sibi meũ nomen meamq; personam falsò uendicabunt. Exorientur & pseudoprophetae, qui fucata sanctimoniae specie se mentientur esse prophetas, magicisq; prodigijs & daemonũ arte adumbratis miraculis imitabuntur prophetas ac me, sic ut eiusmodi praestigijs falli possint, si qua uis ualeret aduersus deum, etiam electi. Itaq; si quis uobis dixerit, Ecce hic est Christus, ne credideritis: aut si quis aliò reuocãs dixerit, Ecce hic est, quemcunq; uobis locum demonstrauerit, quamcunq; speciem aut cultum, nolite credere. Christus enim ubi semel terras reliquerit, non poterit ostẽdi digitis, sed in animis latebit, & ex his indicijs agnoscetur, si cuius uita referat Christi doctrinam. Caeterũ in fine mundi Christus nõ ueniet quemadmodum nunc uenit, sed subitò praeter omnium expectationem ostẽdet sese, fulguris in morem è sublimi terribilis impijs qui conijcientur in

De excidio Hierosolymorum.

ignem æternum, amabilis pijs qui uocabuntur ad cœlestis regni cõsortium. Vos igitur si incideritis in hæc tempora, cauete ne pro me, Christum aliquem emētitum amplectamini. Ecce prædixi uobis omnia. Superest ut memineritis. Huc uero puto pertinere & illud Theophylacti dicentis, Quia impleuit quę ad Hierusalem attinēt, incipit igitur nunc de aduentu Antichristi dicere. Quod autem dicit Tunc, ne intelligas quod quando fiunt ea quæ supra dicta sunt de Hierusalem, tunc inquã si quis uobis dixerit, ecce hic Christus, ne credatis, sed scito quod scripturæ proprietas hæc est. Sicut & Matth. post genealogiam Christi dicit, In diebus illis aduenit Ioãnes. Quibus diebus? num mox sequentibus post Christi natiuitatem? Non, sed indefinite. Sic igitur & hoc loco dicit Tunc, non quando Hierusalem desolata fuit, sed per tempus aduentus Antichristi, ne seducamini. Multi enim prætexent nomen Christi, &c.

Cæterum in illis diebus, post aflictionem illam, sol obtenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cœli decident, & uires quæ in cœlis sunt, concutientur, & tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cum potestate multa & gloria. Et tunc mittet angelos suos, & aggregabit electos suos, à quatuor uentis, ab extremo terræ usq; ad extremum cœli. A ficu uero discite similitudinem, cum ramus eius iam tener fuerit, produxeritq; folia, scitis prope esse æstatem. Sic & uos cum uideritis hæc fieri, scitote prope esse in foribus. Amen dico uobis, non præterierit natio hæc, donec omnia hæc facta fuerint. Cœlũ & terra præteribunt, sed uerba mea non præteribunt.

De consummatione seculi. Plenius & significantius per hæc disputat dominus de cõsummatione seculi, deq; stupendis prodigijs ac motibus siue turbis iudicium extremũ præcedentibus, simul etiam cum ipso concurrētibus. Adumbratur & iudicij modus, describitur iudex, indicatur & mortuorum resurrectio. Nos rursus relegamus lectorem ad 24. Matt. Paraphrastes breuiter & perspicue iudicium & resurrectionē mortuorum complexus *Iudicium & resurrectio mortuorum.* dicit, His peractis subitò uidebunt omnes qui uixerint, filium hominis nunc humilem & contemptum, emicantem in altissimis nubibus cum potestate multa & gloria patris & innumeris angelorum copijs. Tunc emittet angelos suos, qui nullum electum patientur abesse, sed omnes undiq; colligent, seu uiuos seu mortuos, subitò in uitam reuocandos, omnia mystici corporis membra suo capiti aggregaturi, ut qui fuerant consortes afflictionum ob euangelium, consortes sint æternæ felicitatis. Nec refert quo deuolarint animæ piorum, quo proiecta fuerint corpora, reperientur ab angelis, & colligentur à quatuor mundi plagis, rursus à summo polo cœli usq; ad imum. Suo quæq; anima corpori iungetur, & suo capiti sociabuntur omnes pariter electi. His conformia tradēs Ioannes in Apocalypsi, Et uidi, ait, thronum magnum, candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, & locus non est inuentus eis. Et uidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu dei: & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est uitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera illorum. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt eos qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Apoc. 20.

Diem autem illam & horam nemo nouit, ne angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse filius, sed solus pater.

Solus deus nouit horam extremi iudicij. Quia uero curiositas hominũ de ipsa die extrema extremęq; diei puncto sciscitari poterat,

poterat, quo uidelicet die, & quo diei articulo uenturus sit iudex, præoccupat ac dicit, hoc arcanũ soli sibi reseruasse patrem. Hinc intelligimus nostrum esse nihil porrò indagare curiosius, sed quoniam scimus uenturum illum diem, ut in singula momenta parati, illam expectemus. Quomodo autẽ solus pater norit, filius ignoret diem illã, exposuimus apud Matt. in cap. 24. Quibus lucis & ueritatis gratia adijcimus nõ inutilia hæc ex 9. lib. cap. 4. Thesauri beati patris Cyrilli, qui cõtra Arianos & alios hæreticos contendentes filium patri non esse coęqualem, disputans, Vltimam diem, inquit, ignorare dispensando dixit, ut homini quem assumpsit congruentia diceret. Hominis enim naturæ proprium est ignorare futura. Necessariũ igitur est ad intelligendas rectè scripturas, tẽpora considerare in quibus dicta sunt quæ scribũtur. Sic enim facile poterimus errores euitare, præsertim in uerbis saluatoris. Si ergo ante incarnationem humile aliquid dei filius dixisse inueniretur, ratiocinari quispiã uerisimiliter forsan posset de deitate ipsius uerba fieri, sin uero quãdo caro factus est humano more loquitur, ut uere se hominem factum ostendat, inconueniens est deitati suę accommodare illa, quæ ipse ut homo protulit, quod certe nemo facit qui dispẽsationis suscipit modum. Nam si homo factus nõ sit, cuncta ut deus loquatur: sin autem factus est homo, concedatur ut more hominũ etiam loquatur. Et mox, Non oportet igitur propter hanc uocem ignorationem dei uerbo inurere, sed potius misericordiam eius admirari, quod nõ recusauerit propter nos ad tantam humilitatem descendere, ut omnia nostra, & ipsam etiam ignorãtiam humanam susciperet. Et iterum post argumenta aliquot, Sed interrogandi hæretici sunt, quid facient quando saluator dicitur esurijsse, sitijsse, laborasse ex itinere, dormijsse ingressus in scapham, audebúntne dicere uerbum dei hæc esse perpessum? an hæc humanitati suæ attribuẽt, & uerbum dei ab istis liberabũt? Sicut ergo uoluit tanquam homo fame & siti, cæterisq; huiusmodi laborare, sic etiam ut homo diem illum ignorat. Aliquãdo enim ut deus, aliquando ut homo loquitur, ut & deum & hominem se uerum ostendat. Vt deus dixit ad discipulos, Lazarus amicus noster dormit, cum nullus ei nunciasset. Vt homo, cum ad sorores Lazari longo peracto itinere peruenisset, interrogabat, Vbi posuistis eum? Qui longe absens mortuum esse sciebat, quomodo iam præsens locum ignorabat ubi corpus Lazari erat? Non enim est uerisimile illud eum sciuisse, & hoc ignorasse, sed utrumq; ut deus sciuit, & utrumq; ut homo ignorauit. Ita igitur diem illum etiam & horam, & ignorat & scit, alterum ut homo, alterum ut deus. Hæc Cyrillus hucusq;.

Distinctæ in Christo naturæ in persona indiuisa.

Cauete, uigilate, & orate. Nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre agit, relicta domo sua, deditq; seruis suis potestatem, ac suum cuiq; opus, ianitori mandauit, ut uigilaret. Vigilate igitur. Nescitis enim quando dominus domus uenturus sit, uesperi, an medio noctis, an in gallicinio, an diluculo, ne si uenerit repente, offendat uos dormientes. Cæterum quæ dico uobis, omnibus dico, Vigilate.

Concludit hunc locum dominus, docens quid sancti in hisce turbis & expectatione iudicis & iudicij faciant. Cauete, inquit, ab illis, nimirum à quibus hucusq; cauere iussi, à pseudoprophetarum imposturis, ab insyncera & corrupta religione, & ab omnibus ijs quæ doctrinæ sanæ contraueniunt. Vigilate item animo præsertim & corpore, ne somnus aliquis sathanicus mundi aut carnis abreptos, caligini noctis æternę immergat. Orate quoq; ut uires & facultates iustas suppetat ille, sine cuius numine & auxilio nihil possumus sancti, sani & integri. Appẽdit et caussam quę nos ad hanc diligentem excitet uigiliam. Nescitis quando illud appetat tempus, in quo uel iudex de improuiso ueniat, uel moriendum sit nobis, reddendaq; ratio de omnibus dictis,

Docetur uigilia.

factis atq; cogitationibus. Proinde in singula uigilandum erit momēta, quando non liceat uobis uel momento esse securis. His denuo connectit & elegantem parabolā. Vestræ, inquit, res perinde habent atq; seruorum, qui à domino potestatem acceperunt administrandæ domus, inter quos ianitor in primis mandatum accepit uigilandi contra furem nocturnum. Quemadmodum ergo singuli suum faciunt officium, ianitorq; sedulò & peruigil excubat, ita à uobis quoq; requiro ante omnia diligentem & fidelem uigiliam. Discedo enim & ego corpore, rediturus rursus suo tempore in iudicium. Ac hic nullam præscribo diem certam, nullum definitum tempus indico, duntaxat edico me uenturum certissime, & incerto quidem tempore. Semper itaq; uigilate expectantes meum illum aduentum. Plura require de his ex 24. & 25. cap. Matth. Partes noctis nominat Vesperam, Mediam noctem, Gallicinium, & Diluculum. Cæterum grammatici tradunt, ueteres noctem in hunc modum diuisisse, Occidente sole dicebatur uespera, ab eo tempore prima fax, deinde concubia & intempesta, quod noctis est medium. Mox inclinatio noctis, deinde gallicinium, inde conticinium, cum & galli conticescunt & homines etiamnum quiescunt. Post hæc diluculum, quo rarescunt tenebræ, deinde mane clarum, &c. Intelligit per hæc omnia & singula temporis momenta. Rursus ne quis nihil ad se pertinere putaret quod discipulis dictum est, subijcit ueluti epiphonema quoddam, Quod uobis dico, omnibus dico. Quid? Vigilate. Id nimirum quod iam inculcauit toties. Merito semper sonat nostris in auribus uox illa domini, Vigilate. Ad singulos enim diserte dirigitur, & dictat nobis quid tota uita nostra agamus. Vita nostra militia est super terram: perpetuæ ergo excubiæ seruandæ sunt. Ita uero claudit bonam euangelicæ historiæ partem Marcus, quam Passioni & Resurrectioni præmittit. Quasi diceret; Quid uero pluribus porrò opus? Audistis quid requirat à uobis dominus, tenetis quid agatis, perspicuum est quod omnium operum nostrorum rationem poscet supremus iudex uiuorum & mortuorum Christus, & quod omnibus uobis de omnibus dictis & factis reddenda sit ratio, uidete ergo etiam atq; etiam ne segnes & socordes, securi atq; negligentes sitis. Scitis quis uobis sufficiat uires bene & recte agēdi. Intelligitis quid rectum sit, quid prauum. Sectemini ergo recta, fugite praua, orate deum omnis boni largitorem, ut uires recta faciendi conferat, quodq; reliquum est semper uigilate, expectantes in singula momenta redemptorem & liberationem uestram sempiternæq; uitæ requiem.

Partes noctis.

COMMEN-

COMMENTARIORVM IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER SEXTVS.

ESCENDIT *iam Marcus ad abſolutam ſalutis noſtræ perfectionem, nempe ad ſalutaris ſacrificij & redemptionis noſtræ per mortem Chriſti, deſcriptionem, in qua primum recenſet cauſſas mortis, quod uidelicet attinet aduerſarios Chriſti, ſacerdotes inquam & Iudam proditorem, qui cæcatus auaritia & inuidia uendidit uiliſsimo pretio dominum. Deinde commemorat extremam illam cœnam, in qua dominus acriter Iudæ flagitium protrahens accuſat, ac ſacramentum & memoraculum noſtræ redemptionis inſtituit. Inde egreditur in montem oliuarum, in itinere diſſerit de graui illo offendiculo, quo collapſuri ſint diſcipuli, Petrus in primis. In monte uero ſuppliciter orat patrem, diſcipulos autem dormitantes excitat. Interim accelerat cum cohorte ſicariorum Iudas, oſculoq́; tradit dominum, qui protinus à ſcelerum miniſtris capitur. In ea turba Petrus, exempto gladio, pugnat, nequicquam. At dominus uim iniuſtam hoſtium grauiter increpat. Sed abducitur uinctus ad ſummum pontificem. Pontifex protinus cogit conſilium ſeniorum ſacerdotumq́; contra dominum. In eo inquiruntur falſi teſtes in exitium Chriſti, ſed fruſtra. Conſurgens autem ſummus pontifex, mortis cauſſam quæſtione ex Chriſto elicere cupit, ac rogat, num ipſe ſit dei filius Meßias uerus? Quo annuente confirmanteq́;, fertur in ipſum protinus à toto conſilio ſententia capitalis. Interea uero negat dominum Petrus in atrio pontificis. Diluculo facto abducitur Ieſus ad Pilatum præſidem. At hic tentat experiturq́; uaria, ſi eum quem innoxium eſſe intelligebat, liberare poſſet. Verum improbis populi uictus clamoribus, flagellatum Ieſum tradit militibus crucifigēdum Abducitur ergo in locum Caluariæ, ubi inter duos latrones medius crucifigitur, uariaq́; & tormenta & ludibria expertus, tandem expirat. Aeduntur mox ſtupenda prodigia, quibus permotus Centurio, pronunciat Chriſtum eſſe filium dei. Ad ueſperam uero eius diei ſepelitur decentiſsime à Ioſepho uiro honeſto & pio. Cæterum tertia die reſurgit ex mortuis, morte calcata. Id quod ſignificantiſsime mulieribus ad ſepulchrum uenientibus exponitur ab angelo. Poſtea Marcus hiſtoriam ſuam de Chriſto cœptam breuibus abſoluturus, colligit attexitq́; certa quædam argumenta ſeu euidentia teſtimonia, quibus approbet dominum uere reſurrexiſſe ex mortuis. Poſtremo autem omnium exponit tria maxima religionis noſtræ capita, ultimum uidelicet commiſſum domini, quo œconomiam ordinauit eccleſiaſticam. Deinde Aſcenſionem domini in cœlos. Hinc fidem apoſtolorum domini exactiſsimam & ſucceſſum felicem. Ita enim ſingula exequuti ſunt uti mandarat dominus, ac dominus cooperatus eſt ipſis, ut ſanctiſsima mox in orbe emerſerit eccleſia.*

Rat autem paſcha, & azyma poſt biduum. Et quærebant ſummi ſacerdotes & ſcribæ, quomodo eum per dolum comprehēſum occiderent. Dicebant autem, Non in die feſto, ne tumultus fiat populi. CA. XIIII.

Attingit mortis dominicæ alteram ex cauſſis pendentibus uidelicet ex hominibus, ſacerdotum inuidiam & corruptelam extremam. Plura huius negotij inueniet, qui uolet, apud Matth. in cap. 26. & apud Ioan. in cap. 11.

Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, accumbente eo, uenit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi piſticæ pretioſæ, & comminuto alabaſtro, effudit illi in caput. Erant autem qui indignabantur apud ſeſe, dicentes, Quorſum facta eſt hæc unguenti perditio? Nam poterat hoc uendi pluris quàm trecentis denarijs ac dari pauperibus. Et fremebant aduerſus illam. At Ieſus dixit, Sinite illam, cur illi moleſtias exhibetis? Bonum opus operata eſt erga me. Semper enim pauperes habetis uobiſcum, & quandocunq; uolueritis, poteſtis illis benefacere, me uero non ſemper habetis. Quod potuit hæc, fecit, præoccupauit ungere corpus meum

ad sepulturam. Amen dico uobis, ubicunque prædicatum fuerit euangelium hoc in totum mundum, etiam hoc quod fecit hæc, dicetur in memoriam ipsius.

Iudas proditor. Altera mortis dominicæ caussa attexitur, Iudæ infelicis & perditi inuidia & auaritia, quæ iam olim quidem fuerat in pectore sordidissimo, nunc autē occasione oblata inardescit magis ac erumpit. Illustrauimus hanc historiam pro nostra tenuitate in Commentarijs ad Matth. qui eādem totidem ferè uerbis annumerat, nisi quod Marcus paulò est copiosior. Theophylactus disputat hic de Marijs. Verba eius, si quis requirat, hæc sunt, *Duæ Mariæ.* Videtur quibusdam una esse Maria, sed non ita est. Nam duæ sunt. Vna quidem quæ apud Ioannem commemoratur & Lazari soror est. Altera quæ à reliquis tribus memoratur. Veruntamen attende & intelliges quod tres sunt. Apud Ioannem quidem una, apud Lucam alia, & apud duos illos adhuc una alia. Nam illa quæ apud Lucam commemoratur, meretrix erat, & in medio prædicationis Christi ad Christum uenit. Quæ apud Matthæum nominatur, tempore passionis, & non dicitur meretrix, &c. Cæterum propter huiusmodi caussas nequaquam arbitror contentionis funem esse ducendum, sicut & illorum proteruia merito improbatur omnibus bonis, qui mox pro hæreticis damnant, qui studio indagandę ueritatis aliquid proferunt in medium de tribus Marijs, quasi ipsi demum hæc confinxerint, cum uideas & Theophylactum his, non calumniatoribus illis, accedere. Verum de his alij.

Et Iudas Iscariotes unus è duodecim, abijt ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. Hoc autē illi audito, gauisi sunt & polliciti sunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo opportune illum traderet.

Absoluitur iam opere destinatum conceptumq́ ex inuidia & auaritia flagitium crudelissimum. Nam affectus consultor pessimus, qui ad occasionē oblatam hucusq́ delituerat, nunc aperta uia prorumpit in scelus. Abit enim Iudas præceps in exitiū, atq́ dominum suum male gratus, imò impijssimus discipulus, uendit & prodit.

Ac primo die azymorum cum pascha immolarent, dicunt illi discipuli ipsius, Vbi uis ut profecti paremus, ut edas pascha? Et emittit duos è discipulis suis, & dicit illis, Ite in ciuitatem, & occurret uobis homo, fictile uas aquæ baiulans, sequimini illum, & quocunq́ ingressus fuerit, dicite patrifamiliâs, Magister dicit, ubi est diuersorium, ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ille uobis ostendet cœnaculum magnum, stratum, paratum, illic parate nobis. Et exierunt discipuli eius, & uenerunt in ciuitatem, & repererunt quemadmodum dixerat illis, parauerunt q́ pascha.

Descendit modo ad descriptionem cœnæ salutaribus doctrinis refertissimæ, ante omnia indicans per quos, ubi, & quomodo parata sit. Lucas nominatim exprimit discipulos illos Petrum & Ioannem. Iubet ingredi urbem. Nam extra Hierosolymorum urbem nephas erat immolare pascha, Deut. 16. De prouidentia dei & mirifica *Pascha editur & immolatur.* prædictione domini, dixi apud Matth. 26. cap. Quemadmodum uero pascha non immolatur, ita non editur. Nam pascha est transitus seu transilitio. Hæc uero nec editur, nec sacrificatur. Illud autem quod memoriæ testificationisq́ gratia institutum est, agnus, & editur et immolatur. Solet enim scriptura signis rerum dare nomina. Id quod iam sæpe annotauimus.

Et cum aduesperauisset, uenit cum duodecim, cumq́ accumberent ederentq́,

rentq́,dixit Iesus, Amen dico uobis, Vnus ex uobis me proditurus est qui edit mecū. At illi cœperunt affici mœstitia, ac dicere illi sigillatim, Nunquid ego? Et alius, Nunquid ego? Ille uero respondens, dixit illis, Vnus è duodecim qui intingit mecum in catinum. Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de ipso. Væ autem homini illi, per quem filius hominis proditur. Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille.

Primum quod in cœna agit dominus, increpat & protrahit indignum Iudæ facinus, si forte is in semetipsum descendens aliquid cogitaret de pœnitentia. Vtile enim est in ecclesia perfrequenter incusare scelera & obiurgare flagitiosos, si forte concedat ipsis dominus pœnitentiam. Pernitiosissimum est uitijs & facinoribus parcere & quodammodo palpare formidoloso silentio. Plura alia quoq; discuntur ex hoc loco, sicut uidere licet apud Matth. in 26. cap. *Protrahitur scelus.*

Et edentibus illis, sumpto Iesus pane, cum benedixisset, fregit, & dedit illis, ac dixit, Accipite, comedite, hoc est corpus meū. Et accepto poculo cum gratias egisset, dedit illis, Et biberunt ex eo omnes. Et dixit illis, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur. Amen dico uobis, posthac haudquaquam bibam de fructu uitis, usq; ad diem illum, cum illum bibam nouum in regno dei. Et cum hymnum dixissent, exierunt in montem oliuarum.

Postquam abunde satis monuisset proditorem, & is non resipisceret, relinquit illum suæ conscientiæ & deo suo iudicandum, ipse uero nihilominus in cœptis institutisq́ diuinis pergit, ac modo instituit in locum paschæ, quod aboleuit, Cœnam mysticam, sacramentum corporis traditi & sanguinis effusi pro nobis, redemptionis nostræ memoraculum testimoniumq́ atque eucharistiam siue gratiarumactionem, unà cum fœderatione. De quibus dixi in Commentarijs meis ad Matth. 26. cap. Recte autem Erasmus in Annotationibus suis, Benedicere, inquit, non est pingere gestu manus signum crucis, sed laudes deo canere, & uerba boni ominis dicere. Nam non Eras. modo, sed & euangelistæ utuntur uocabulo gratiarumactionis. Vbi enim Marcus habet εὐλογήσας, Matthæus, Lucas & Paulus habent εὐχαριστήσας, quo uerbo & Marcus paulò post ipse utens dicit, Et accepto poculo εὐχαριστήσας, cum scilicet gratias egisset, dedit illis. Quis ergo non uideat benedicere aliud non esse, quàm gratias agere & laudes deo canere? Sumptum est hoc ex ueteri idiomate. Quoties enim legas in Psalmis benedicendi uerbum pro celebrandi & gratias agendi accipi? Id quod propter eos tam diligenter moneo, qui uerbis prolatis nescio quam uirtutem tribuunt, eo quod Marcus dixerit dominum benedixisse, & Paulus appellet, panem & poculum, panem & poculum benedictionis: quasi uero non intelligamus id perinde ualere ac si dixisset, panem & poculum gratiarumactionis quibus gratias agimus, id est, in quorum celebratione & usu gratias agimus, sicuti & dominum uidemus gratias egisse, nulla autem pronunciasse uerba aut ui uerborum panem conuertisse in carnem. Verbis aliam uim quàm significandi, docendi, admonendi, testificandi, & quæ alia huius generis sunt tribuere, est incantationis crimen firmare. Proinde parum refert siue sentias apostolos primum quidem bibisse ex poculo, mox audisse quæ adiecit dominus, Hic est sanguis meus &c. quem sensum uidetur sequutus esse Marcus: siue sentias primum quidem pronunciasse dominum, Hic est sanguis meus &c. deinde uero bibisse è poculo. Nihil enim uideo

Instituitur cœna dominica.

Benedicere quid: & calix benedictionis quid:

periculi, nisi quod Papistæ fingunt cum sua illa consecratione. Certè si standum est nudis euangelij uerbis, Marcus ait discipulos poculum bibisse mysticum, ante consecrationem. Si uero eum modum explicare libet per tropum (cui nihil reclamauero) nempe per hypallagen, siue hysterologiam, qua iustus ordo rerum gestarũ turbatur, uel inuertitur, ut cum posterius factum aut dictum narratur, quod prius factum est, admissi sunt certè tropi in contextum uerborum cœnæ domini. Cur ergo damnantur à magistro in sententijs pro hæreticis, qui uerbum cœnæ, Hoc est corpus meum, explicant per tropum? Cur clamant nonnulli nullum tropum in uerbis cœnæ admittendum? An uero licet comminisci tropũ in loco aliquo, & in simili non licet? Quid clarius, quàm quod de poculo iuxta literam, non de uino dicitur, quod sit & sanguis, & testamentum Christi? Lucas enim, Hoc poculum nouum testamẽtum, ait, in meo sanguine. At quis hæc non explicarit per synecdochen nisi qui poculum pro uino bibere malit? Hæc annoto paucis, ut uideant uiri boni & cordati, quàm inique nobiscum agatur hodie, qui troporum beneficio & auxilio quædam huius cœnæ mysticę explicamus. Sed de his aliâs abunde satis disputatum est. Theophyl. arbitratur dominum non tantum precandi gratia exijsse in montem oliuarum, sed ne qua oriretur turba, si caperetur in urbe &c.

Tropus in uerbis cœnæ domini.

Et dicit illis Iesus, Omnes offendemini in me in nocte hac: quia scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oues: sed posteaquam resurrexero, præcedam uos in Galilęam. Petrus autem dixit illi, Etiamsi omnes offendantur, non tamen ego. Et dicit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie in nocte, hac, priusquam bis gallus cecinerit, ter abnegabis me. At ille uehementius dicebat, Imò si me oportuerit commori tibi, haudquaquã te abnegauerim. Similiter autem & omnes dicebant.

Prædicit iam in itinere discipulis quid sint passuri, & adhibet uaticinium propheticum, quod explicat. Addit & consolationem. Porrò in Petro apparet humana & imbecillitas & arrogantia siue temeritas. Et quia hæc ualde displicet domino, coercet illam uerbis & prædictione turpis abnegationis. Ter, inquit, negabis me priusquam gallus bis cecinerit: id est priusquam tertia noctis pars præterierit, ter me negauisti. De partibus noctis dixi aliâs. Nec solus Petrus pollicetur splendide, idem faciunt & cæteri, sed dilabuntur fuga, & ipsi negaturi dominum, si ita sors tulisset, ut in tales incidissent aduersarios, in quales inciderat Petrus. Sed hæc est sors humanæ imbecillitatis & miseriæ. Beatus qui agnoscit, humiliter sapit, sibi suisq́ue uiribus minimum aut planè nihil tribuit, sed totus ab auxilio & misericordia dei dependet.

Petri temeritas.

Et ueniunt in locum cuius nomen Gethsemani. Et dicit discipulis suis, Sedete hic donec digressus orauero. Et assumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum, cœpitq́ue expauescere & angi. Et dicit illis, Dolore afficitur anima mea usque ad mortem: manete hic & uigilate. Et progressus paululum, prolapsus est in terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab ipso hora: & dicebat, Abba pater, omnia possibilia sunt tibi, transfer poculum hoc à me: ueruntamen non quod ego uelim, sed quod tu. Et uenit & offendit eos dormientes: dicitq́ue Petro, Simon, dormis? non potuisti unam horam uigilare? Vigilate & orate, ne incidatis in tentationem. Spiritus

tus quidem promptus est, at caro infirma. Et rursum digressus, orabat, & eundem dixit sermonem. Et reuersus inuenit eos rursus dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, neque sciebant quid illi responderent. Et uenit tertiò, dicitque illis, Dormite posthac, & requiescite. Sufficit. Venit hora, Ecce traditur filius hominis in manus peccatorũ. Surgite, eamus. Ecce proditor mei appropinquat.

Exponit porrò quid gestum & dictum sit in itinere uersus montem oliuarum, præsertim quomodo pauore correptus dominus secum luctarit. Fuit illi hæc lucta longe grauissima. Marcus enim καὶ ἀδημονεῖν, cœpit, inquit, angi siue afflictari, non tantum expauescere. Significat enim uox Græca impotenter angi mente, ita ut præ dolore tibiipsi ereptus concidas, & quid agas nescias. Tam uidelicet uere uerum & naturalem hominem induit ipse dei filius nobis per omnia consubstantialem, qui uere & seriò, non ficte neque leuiter sed grauissime indoluit & afflictatus est. Vnde non immerito ab Isaia propheta nuncupatus est uir dolorum. In his autem ærumnis & anxietatibus proxima confugit ad deum patrem tanquam in asylum tutissimum atque unicum omnium mœstorum afflictorumque consolatorem fidelissimum. Huic supplicat intentissime. Consule Comment. nostros in Matt. Ibi subindicaui quosdam interpretum hęc domini uerba, Dormite posthac &c. sic enarrare, quasi dominus aliquid suis concesserit quietis, quos tamen in aduentu cohortis rursus excitarit dicens, Sufficit. Venit hora. Atque hunc sensum uidetur prima fronte exhibere Marcus, sed expensis collatisque omnibus uidetur dominus grauiter increpasse suos ac per ironiam dixisse Dormite &c. Ad quem modum & Theophylactus exponens dicit, Per ironiam hæc loquitur: quia sciebat uenire proditorem &c. Cęterum si quis omnino contendat permissu domini illos dormiuisse aliquantisper, non admodum reclamauero. Non enim uideo quid absurdi & impij ex eo sensu sequatur: imò commendabit nobis factum domini benignitatem diuinam sanctamque indulgentiam, qua fit ut in media infirmitate concedatur nobis aliquid, nec ad uiuum & rigide requiratur à nobis protinus indolentia Stoicorum. *De pauore Christi domini.*

Et continuo adhuc eo loquente accedit Iudas, qui erat unus è duodecim, & cum illo turba multa, cum gladijs & fustibus à summis sacerdotibus, & scribis & senioribus. Dederat autem proditor eius commune signum illis, dicens, Quemcunque osculatus fuero, is est, comprehendite illum & abducite caute. Et cum uenisset, protinus accessit ad illum, dicitque ei, Rabbi rabbi, ac deosculatus est eum. Illi uero iniecerunt in illum manus suas, & comprehenderunt eum.

Describit porrò Marcus quomodo dominus post preces confirmatus & confortatus, alacri animo obuiam ierit morti & tormentis, proditus item traditusque ab intimo discipulo, captus sit à ministris non sacerdotum, sed scelerum. Omnia explicata sunt in Comment. ad Matth. Id uero sordidam & extremam Iudæ auaritiam arguit, quod tam anxie sollicitus est ne elabatur, Quemcunque, inquit, osculatus fuero, is est Iesus quæsitus à nobis, uos illi manus inijcite, & abducite caute, prudenter, exactaque custodia, ne uidelicet elabatur. Nam hinc conijcimus sacerdotes cauisse ne numeraretur pecunia, nisi Iesus esset comprehensus. Typum gerit Iudas omnium eorum qui in rebus quibuslibet respiciunt ad quęstum & ut numeretur pecunia, nulla inte- *Obuiam it dominus morti.*

rim habita ratione ullius sceleris, crudelitatis, atrocissimæue rei. Qui istiusmodi sunt, prefricuerunt frontem, nec porrò erubescere norũt. Et quod ingeminat uocem Rab bi rabbi, significationem prę se fert animi ardentissimi impenseq; magistrum diligen tis uenerantisq;. Tantum scilicet malum est hypocrisis, tantum malum est auaritia. Obstandum ergo principijs est, ne nos præcipites in quælibet flagitia det malesuada & inexplebilis semper auaritia.

Vnus autem quispiam astantium, educto gladio, percussit seruum sum mi sacerdotis, & amputauit eius auriculam. Et respondens Iesus dixit illis, Tanquam ad latronem existis cum gladijs ac fustibus ad comprehenden dum me: quotidie eram apud uos in templo docens & non comprehendi stis me: sed ut adimpleantur scipturæ.

Vincitur dominus. Addit paucis Marcus quæ acciderint in turba furiosa qua dominus uinctus est. Principio non tam feliciter quàm animose pugnat Petrus; qui tamen mox reprimitur à domino. Explicata hæc sunt in 26. capite Matth. & Ioan. 18. cap. Nescio quàm uere arbitretur Theophyl. Petri nomen non expressisse Marcum, ne nimium laudaret præceptorem. Sed abundet quisq; suo sensu. Deinde grauiter accusans obiurgat hostium uim iniustam, demonstrans ipsis quod contra æquum ius & phas designent, quod faciunt. Quæ & ipsa exposita sunt apud Matth. Abruptus uero sermo est, Sed ut adimpleantur scripturæ: subaudiendum itaq;, Hæc fiunt à uobis, ut adimpleantur &c. *Vt impleretur scriptura, exponitur.* Porrò notum est loquutionis genus, Vt impleãtur scripturæ. Nam ministri sacerdotum non capiebant indignisq; modis tractabant dominum, ut sic satisfacerent scripturæ, quam uel ignorabant, uel cui non credebant. Sed diuina ordinatione sic gestæ sunt res omnes ab aduersarijs domini, ut gerendas prædixerant prophetæ. Diuersis autem mentibus accedebant, qui res hic gerebant. Nam alius aliud spectabat. Dominus uoluit ita genus humanum redimere. Iudas uoluit sibi parare pecuniam. Ministri uoluerunt ministerio suo sibi demereri dominos. Erant qui cuperent animi explere libidinem. Deus autem in his omnibus generis humani operatus est salutem, ordineq; deduxit omnia æquissimo, bona merita coronans, iniusta facta iuste puniens, ubiq; ueritatem suam infallibilem liberans. Si uero quis locum requirat qui prædicat filium hominis capiendum à peccatoribus, occurrit cap. Isaiæ 53. occurrit & illud Ieremiæ è Threnis ex capite 4. Spiritus faciei nostræ Christus domini, captus est in retibus eorum: de quo nos dicebamus, In umbra eius uiuemus inter gentes. Reuera enim Christus dominus spiritus est faciei nostræ aut narium nostrorum, id est deus uerus per quem uiuimus, in quo sumus, is est respiratio *Matth. 11.* ac refocillatio nostra. Sequitur enim, In umbra eius uiuemus inter gentes. Ligatus est itaq; ut nos resolueret à reatu ac morte, uiuificaretq; & conseruaret: ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Et relicto illo, omnes fugerunt. Et unusquispiam adolescentulus sequebatur illum circumamictus sindone super nudum, & comprehenderunt illum iuuenes. Ille uero relicta sindone, nudus effugit ab illis.

Adolescens nudus effugit. Maximi metus singulare exemplum hoc est, quod omnes discipuli fuga celeri eaq; turpi sibi ac uitæ suæ consulunt, in primis autem quod adolescens ille relicta in manibus persequutorum sindone, nudus est elapsus. Dubium autem est an nudo omnibusq; uestibus detecto corpore, effugerit, an nudato modo corpore extrema ueste, utpote pallio ex sindone, ut interiore nihilominus tectus, euaserit. Id quod uerisimilius esse uidetur: præsertim cum legamus etiam dominum positis uestibus

bus suis lauisse pedes discipulorum, quod sane honestas publica exponere iubet de externis modo uestibus, quas fere aliquid acturi deponimus, quo simus expeditiores. Ita apparet hunc quoque iuuenem pallium aut tectorium suum reliquisse in comprehendentium manibus, quo & iactura uestis uitæ suæ consuleret, & ad fugam esset expeditior. Porro Sindon inter linea uestimenta numeratur à Polluce libro 7. estque amictus ex lino Aegyptiaco: sic dicta, quia primum in Sidone urbe huiusmodi amictus fieri cœpit, ob id Tyria à Martiale dicta. Gregorius suspicatur hunc adolescentulum fuisse Ioannem: quod tamen non est uerisimile, maxime si historiam passionis descriptam à Ioanne excutias, in qua legis discipulum illum, Ioannem nimirum, introduxisse Petrum in atrium, quod notus esset pontifici. Si autem semel elapsus fuisset è manibus ministrorum, rursus ipsos nequaquam adijsset. Theophylactus, Hic, inquit, adolescentulus erat quidam è domo ubi comederant pascha. Quidam autem dicunt illum fuisse Iacobum fratrem domini, qui cognominabatur Iustus. Hic enim una duntaxat ueste per omnem suam uitam usus est. Hæc ille. Sed quia nihil ex his omnibus certi colligas, nihil certi quoque pronunciabis. Neque admodum scire refert quis fuerit: neque admodum splēdidum afferret fructum si sciremus. Certè si utile & salutare nobis fuisset, non tacuisset spiritus domini, qui in alijs minutioribus prodigiose etiam diligens est. Hac imagine uoluit Marcus magnam ministrorum sæuitiam describere. Sunt qui putent adolescentulum quendam ex urbe prodijsse cum discipulis, pij alicuius hominis filiolum: rursus autem cum cohorte, ut fit, prodijsse alios adolescentulos, qui ex sæuitia maiorum & uinculis domini ferociores facti, inuolarint in puerum illum apostolorum comitem: ideoque scripsisse Marcum, adolescentes comprehendisse adolescētulum sindone amictum. Quod si hi sensum assequuti sunt, relinquitur in eo nobis documentum, quid apud iuniores possit seniorum exemplum, quodque persequutione semel cœpta, etiam ad adolescentes & omnis generis sexum perueniat, nemini tandem parcatur, adeò ut & iuuenes ferociant in æquales suos, propter dissimilis studium religionis. Et certè quod tum adumbratum est in passione domini, completur etiam hodie plusquam atrociter.

Et abduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conueniunt ad illum omnes summi sacerdotes, & seniores & scribæ. Et Petrus eminus sequebatur illum, donec uenisset in atrium summi sacerdotis: & sedebat unà cum ministris, & calefiebat ad lumen.

Viam sternit nunc ad describendas res in palatio sanctissimi & summi pontificis. Ad Caiapham enim, qui tum erat summus pontifex, deducitur. Annas quod sacerdotio tum non fungeretur, causam eius suscipere excutere iudicareque noluit. Coeunt autem in palatio pontificis omnes doctores monachi & senatores populi Iudaici. Amoris argumentum est quod Petrus sequitur dominum: timoris quod eminus sequitur: stultitiæ & incogitantiæ quod inserit se gregi aulicorum pontificis. Nam calefiebat unà inter ministros ad lumen, ad ignem inquam, qui ex effectu lumen quoque appellatur: quanquam Eras. annotet Ad lumen, referendum esse ad sedens, non ad calefaciebat. Siquidem lumen illum prodidit. Vide quæ annotauerimus in 26. cap. Matth. Si uero miraris cur Marcus dicat summos sacerdotes omnes conuenisse in palatio summi sacerdotis, audi Theophylactum dicentem, Cum lex præciperet unum esse pontificem per totam uitam, multi tunc erant, ementes uidelicet quotannis à Romanis magistratibus primatum. Pontifices itaque dicit eos, qui tempus suum iam exegerant & pontificatum deposuerant. Præterea uideri po-

Res gestæ in Curia pōtificis.

terant summi sacerdotes & illi esse, qui authoritate præpollebant.

Summi uero sacerdotes & totum consilium quærebant aduersus Iesum testimonium, ut morti eum traderent, nec inueniebant. Nam multi falsum testimonium dicebant aduersus illum: nec erant satis idonea testimonia. Et quidam assurgebant & falsum testimonium ferebant aduersus illum, dicentes, Nos audiuimus eum dicentem, Ego diruam templum hoc manufactũ, & tribus diebus aliud non manufactum extruam. Et ne sic quidem satis idonea erant testimonia illorum.

Exponit paucis quid actum sit in palatio siue consistorio summi pontificis. Summum ius & iustitiam absolutissimam, summa iniuria exquisitissimaq́ iniustitia opprimere conantur. Verum quo magis premitur uirtus, hoc enitescit fortius. Inclarescit ergo in hac actione iniusta, syncerissima Christi innocentia, quæ quidem nostra fit per fidem in Christum. Cætera pete ex Comment. in Matth. 26. Obseruabis autem quod Marcus ait, καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν, & æqualia uel paria (interpres uertit idonea) testimonia non erãt. Ergo non consenserunt: at ex discrepantia testimoniorum solet colligi falsitas & mendacium testium. Inæqualia ergo dixit falsa, & parum idonea iusta & euidentia. Obseruabis item testium impudens mendacium, quod confi- *Testimonia falsa.* ciunt adiectis aliquot uerbis, quibus & uerba & sensum uerborum domini inuertũt. Nihil enim dixerat de templo manufacto, nihil de extructione, sed dixerat, Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. Tanta uero erat domini innocentia, ut nullæ artes, nulla mendacia, nulla deniq́ sacerdotum authoritas & uis, ipsam uel tantillum labefactare posset. Vicit ergo reuera in sacerdotum iudicio, qui uinci uidebatur. Concludens enim Marcus hunc locum, Quanquam multi cõtra dominum proferrent testimonia, nulla tamen uisa sunt satis idonea esse, propter quæ capitalis in ipsum ferretur sententia.

Et surgens summus sacerdos in medium, interrogabat Iesum, dicens, Non respondes quicquam? Quid isti aduersum te testificantur? At ille tacebat, neq́ quicquam respondebat. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dicit illi, Es tu ille Christus, filius illius benedicti? Iesus autem dixit, Ego sum: & uidebitis filium hominis sedentem à dextra potentię, & uenientem cum nubibus cœli. Summus autem sacerdos dilaceratis uestibus suis, dicit, Quid præterea opus habemus testibus? Audistis blasphemiam. Quid uobis uidetur? Illi uero omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperũt quidam inspuere in eum, & obuelare faciem illius, & colaphis eum cædere, & dicere illi, Diuina. Ac ministri alapas illi impingebant.

Damnatur Christus à sacerdotibus. Arte & uersutia elicit pontifex quod regerat in caput saluatoris condemnetq́. Itaq́ Marcus narrat quæ fuerit causa ob quam condemnatus sit: & quid irrogatum condemnato, quantisper propter ueritatis confessionem salutarem affectus sit contumelijs ludibrijsq́. Quæ cum explicata sint Comment. ad Matth. non est quod repetam. Adijcio nunc saltem quæ Paraphrastes in hunc locum dedit. Ea sunt huiusmodi, Nunc consyderandum est quibus modis in talibus consilijs tractetur ueritas euangelica, ubi sacerdos impius pro deo cupiens haberi, non fert prædicari gloriam filij dei: ubi scribæ tacent quod didicerunt ex prophetis: ubi primores populi conspirant cum templi primatibus: ubi adsunt ministri militesq́ conducti & ad omne scelus suapte malitia parati. Iam enim ueluti rite damnatum Iesum, quidã ex illis

cœperunt

cœperunt conspuere: alij uelo obtegere faciem eius, & colaphis impactis dicere illi, Vaticinare quis te percussit, huiusmodi ludibrijs exprobrantes illi, quod se passus esset haberi prophetam &c.

Et cum esset Petrus in atrio infra, uenit una ancillarum summi sacerdotis, cumque uidisset Petrum calefacientem se, intuita illum, dicit, Et tu cum Nazareno Iesu fuisti? At ille negauit dicens, Non noui, neque scio quid dicas. Et exiuit foras in uestibulum, & gallus cecinit. Et ancilla cum uidisset eum, rursum cœpit dicere his qui astabant, Hic ex illis est. At ille rursum negabat. Ac paulò post iterum qui astabant, dicebant Petro, Vere ex illis es. Nam & Galilæus es: & sermo tuus conuenit. At ille cœpit execrari ac deierare, Non noui hominem istum de quo dicitis. Et secundò gallus cecinit. Recordatusque est Petrus uerbi quod dixerat illi Iesus, Priusquam gallus cecinerit bis, abnegabis me ter: cœpitque flere.

Quæ ad expositionem huius loci pertinent, exposui pro mea tenuitate in cap. 26. Matthæi. Nulla autem discrepantia est inter Matth. & Marcum, inter Lucam & Ioan. quod attinet ancillam, locum & modum abnegationis S. Petri. De qua re alij disseruerunt fusissime: sed & attentus Lector facile componet omnes ut optime inter se conueniant. Cæterum Græce multo uiuidius efficax Petri pœnitentia animusque impense saucius exprimitur, quàm assequatur interpres Latinus. Nam legis, καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, & erumpens fleuit: aut prorupit in fletum. Nam ἐπιβάλλειν significat etiam impetum sumere ad aliquid agendum. Marcus ergo hac uoce affectum Petri quasi oculis contemplandum obiecit. Quasi dicat, Petrus expensa indignitate rei commissæ, grauiter indoluit, atque mox in fletum prorupit uberrimum. Sic autem reliquit omnibus peccatoribus iustum uerumque pœnitentiæ exemplum. *Pœnitentia Petri uera.*

Et confestim diluculo consilio inito summi sacerdotes cum senioribus & scribis ac toto consessu, uinctum Iesum abduxerunt, tradiderunt que Pilato. Et interrogauit eum Pilatus, Es tu ille rex Iudæorum? At ille respondēs, dixit illi, Tu dicis. Et accusabāt eum sacerdotes de multis. Pilatus autem rursum interrogauit eum, dicens, Non respondes quicquam? Ecce quàm multa aduersus te testantur. Iesus autem nihil quicquam respōdit amplius: adeò ut admiraretur Pilatus. CAP. XV.

Narrat porrò Marcus quæ gesta sint cum domino coram præside Pilato, cui à Iudæis non nisi capite plectendi offerebantur. Singula copiosius enarrata sunt apud Matth. atque Ioannem. *Acta apud Pilatum.*

Cæterum in festo dimittebat illis unum uinctum, quemcunque postulassent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditionis authoribus fuerat uinctus, qui per seditionem cædem patrauerant. Et cum exclamasset turba, cœpit postulare ut hoc faceret quod semper facere consueuisset. Pilatus autem respondit eis, dicens, Vultis dimittam uobis regem istum Iudæorum? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent illum summi sacerdotes. Summi uero sacerdotes concitauerunt turbam, ut potius Barabbam dimitteret ipsis. Pilatus autem rursum respondens, dixit illis,

Quid igitur uultis faciam ei quem dicitis regem Iudæorum? At illi rursum clamauerunt, Crucifige illum. Pilatus autem dicebat illis, Quidnam mali fecit? At illi uehementius clamauerunt, Crucifige eum. Pilatus uero uolens turbæ satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellatum ad crucifigendum.

Conatus præsidis significatur, quo nitebatur innocentem & nihil mali meritum liberare, sed frustra. Vincebatur enim ab improbitate Iudaica. Deinde nō agebat serio Pilatus tantaq́ꝫ constantia quanta decuisset ac opus fuerat. Copiosiora inuenies apud Matth. & Ioannem.

Milites autem abduxerunt eum intrò in atrium, quod est prætorium, & conuocant totam cohortem induuntq́ꝫ illum purpura, & circumponunt ei quam plexerant spineam coronam, cœperuntq́ꝫ salutare illum, Aue rex Iudæorum. Et uerberabant illius caput arundine, & inspuebant in illum, positisq́ꝫ genibus illum adorabant. Et cum illusissent ei, exuerunt eum purpura, & induerunt illum uestibus proprijs, educuntq́ꝫ eum ut eum crucifigerent. Et coegerunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenensem, uenientem ex agro, patrem Alexandri & Rufi, ut gestaret crucem eius.

Notauit prius quid dominus passus sit à ministris Iudęorum in palatio pontificis, iam docet quid post condemnatum dominum à ministris ethnici præsidis, gētilibus inquam, in prætorio sustinuerit: deniq́ꝫ quomodo ductus sit ad suppliciū crucis. De singulis disputatum est fuse apud Matth. & Ioan.

Et ducunt eum in Golgotha locum, qui est interpretatione Caluariæ locus, dederuntq́ꝫ illi bibere uinum myrrhinum: sed ille non sumpsit. Cumq́ꝫ crucifixissent eum, partiti sunt uestimenta eius, mittentes sortem super illa quis quid tolleret. Erat autem hora tertia cum crucifixerunt eum. Et erat inscriptio caussæ illius inscripta, Rex Iudæorum. Cum eo autem crucifigunt duos latrones, unum à dextra, & alterum à sinistra eius. Et impleta est scriptura quæ dicit, Et cum iniquis deputatus est. Et qui præteribant conuiciabantur illi, mouentes capita sua, ac dicentes, Vah, qui demoliris templum, & in tribus diebus extruis. Serua teipsum & descende de cruce. Similiter & summi sacerdotes illudentes inter sese cum scribis, dicebant, Alios seruauit, seipsum seruare non potest. Christus rex Israelis descendat nunc de cruce, ut uideamus & credamus. Et qui crucifixi fuerant cum illo, probra iaciebant in eum. Cum uero facta esset hora sexta, tenebræ ortæ sunt super totam terram usq́ꝫ ad horam nonam. Et hora nona clamauit Iesus uoce magna, dicens, Eloi, Eloi, lama sabachthani: quod est si interpreteris, Deus meus, deus meus, cur me deseruisti? Quod quidam astantium cum audissent, dicebant, Ecce Heliam uocat. Accurrit autem quidam & impleta spongia aceto, impositaq́ꝫ arundini, potum dabat ei, dicens, Sinite, uideamus an uenturus sit Helias ad deponendum eum. Iesus autem emissa uoce magna, expirauit.

Describit diligenter quid post condemnationem factum sit in loco Caluariæ, quomodo uidelicet Christus inter latrones affixus sit cruci: quid egerit & dixerit in cruce, quæ denique circa ipsum gesta sint, & quomodo expirauerit tandem. Tractata sunt hæc omnia apud Matthæum & Ioannem in Comment. nostris. Ibidem disputatum est & de hora 3. & 6. qua euangelistæ dominum crucifixum dicunt. A nostra interpretatione non multum dissentit S. Augustinus, qui Tract. in Ioan. 117. Quid est, ait, quod Marcus euangelista dicit, Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum, nisi quia hora tertia crucifixus est dominus linguis Iudæorum, hora sexta manibus militum &c. Similia tradit enarrat. in Psal. 63. De tenebris Theophyl. Tenebræ factæ sunt, inquit, non in uno loco, sed super totam terram: & siquidem fuisset tempus eclipsis, potuisset quis dicere, naturale fuisse deliquium, nunc autem decima quarta fuit lunæ, quando iuxta naturam deliquium fieri impossibile est. Libet hic quoque præstantiss. Christi Iesu martyris & presbyteri Antiocheni, Luciani testimonium hac de re inserere ex 9. libro Eccles. hist. cap. 6. Eusebij, neque ingratum fore lectoribus puto si paulò altius repetiuero, Omnipotens deus, inquit, quem non nostris manibus fictum, sed cuius nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos, sapientiam suam misit in hunc mundum, carne uestitam, quæ nos doceret deum, qui cœlum fecisset & terram, non in manufactis, sed in æternis atque inuisibilibus requirendum. Vitæ etiam nobis leges, ac disciplinæ præcepta constituit, seruare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, studere *pietati, puritatem cordis amplecti, patientiam custodire. Inde est quod ipse qui erat immortalis, utpote uerbum & sapientia dei, morti se præbuit, quo nobis in corpore positus patientiæ præberet exemplum. Sed nec nos sua morte decepit, quibus post tertium diem resurrexit, innocens, immaculatus & purus, ad hoc solum mortem suscepit, ut eam uinceret resurgendo. Quæ autem dico, non sunt in obscuro gesta loco, nec testibus indigent. Pars penè mundi iam maior huic ueritati astipulatur, urbes integræ: aut si in his suspectũ aliquid uidetur, contestatur de his etiam agrestis manus, ignara figmenti. Si minus adhuc creditur, adhibebo uobis etiam loci ipsius, in quo res gesta est testimonium. Astipulatur his ipse in Hierosolymis locus, & Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta. Antrum quoque illud quod auulsis inferni ianuis, corpus denuo reddidit animatum, quo purius deinde ferretur ad cœlum. Aut si adhuc uobis minus digna uidentur hæc, quæ terrenam substantiam gerunt, accipite etiam de cœlo fidelem astipulatorem: solem uobis ipsum horum produco testem: qui cum hæc fieri per impios uideret in terris, lumen suum meridie abscondit in cœlo. Requirite in Annalibus uestris, inuenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem. Quod si terræ, si cœlo, si sanguini eorum à quibus ueritatem per tormenta perquiritis, fidem nõ accommodatis, quomodo uerbis meis credetis? Hactenus ille, qui mox post testimonium Christo redditum in carcere propter Christum necatus est.

Acta in loco Caluariæ.

Tenebræ super totam terram.

*Aliàs pati.

Et uelum templi scissum est in duas partes à summo usque ad imum. Cum uidisset autem Centurio qui astabat ex aduerso illi, eum sic emisso clamore expirasse, dixit, Vere homo hic filius erat dei. Erant autem & mulieres è longinquo spectantes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi parui, & Iose mater, & Salome: quæ etiam, cum esset in Galilæa, sequutæ fuerant illum, & ministrauerant ei: aliæque complures, quæ simul ascenderant cum illo Hierosolyma.

Cōsequuta mortem domini. Commemorat iam quædam mortem domini consequuta, quæ & mortis precium commendant morientisq; maiestatem. Mox à morte domini, ait Marcus, uelum templi, quod ea quæ Iudæi (uerbis utor Paraph.) habebant sacratissima à conspectu multitudinis separabat, scissum est à summo usq; ad imum. Cessant umbræ, simul atq; prodit ueritas. Nec erat necesse futurum, ut ullus sacerdos introiret in sancta, semel immolata uictima, quæ sola sufficeret pro expiandis totius mundi peccatis. Ponitur & illud inter miracula, quod magna uoce expirat. Solent enim morientes paulatim deficere, ita ut morti uicini ægre trahant anhelitum, tantum abest ut uocem ullam emittant. Sed & Pilatus miratur, paulò post referente Marco, si iam mortuus esset. Tametsi ergo sit homo uerus qui uere mortuus est, declarat tamen in ultimo uitæ articulo se amplius quiddam esse quàm hominem, deum scilicet uerum, uitæ & mortis dominum, qui cum libet animam suam ponat, quam & cum uult resumat. Sed uide quæ annotauerimus in Matth.

Et cum iam aduesperauisset quoniam erat parasceue, quæ est pridie sabbati, uenit Ioseph, ortus ex (ciuitate) Arimathæa, honestus senator, qui & ipse expectabat regnum dei, & cum audacia ingressus est ad Pilatum, & petijt ab eo corpus Iesu. Pilatus autem admiratus est, si iam mortuus esset: & accersito ad se Centurione, interrogauit illum, an iam dudum mortuus esset. Et re cognita ex Centurione, donauit corpus Iosepho: qui mercatus sindonem, depositum eum, inuoluit sindoni, deposuitq; eum in monumento, quod erat excisum in petra. Et aduoluit lapidem ad ostium monumenti. At Maria Magdalene, & Maria Iose spectabant ubi poneretur.

Sepultura domini. Hæc omnia fuse tractauimus apud Matth. & Ioan. ut non uideatur operæpretium ea non sine nausea lectorum repetere. Quod in fine commemorat Marias diligenter contemplasse ubi reponeretur corpus Iesu mortuum, uiam præstruit ad sequentem historiam resurrectionis. Mox enim ueniunt instructæ unguentis, uncturæ corpus domini, quod tamen resurrexerat, ut sequitur.

CA. XVI. Et cum præterisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, ut uenirent & ungerent eum. Et ualde mane primo sabbatorum ueniunt ad monumentum exorto sole, dicebantq; inter sese, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et cum respexissent, uident lapidem esse reuolutum. Nam erat ualde magnus.

Resurrectio domini uera ex mortuis. Sequenti capite describit ueram ex mortuis ueri corporis resurrectionem domini nostri Iesu Christi: quodq; alij fecerunt fusissime Marcus absoluit breuissimis, quod hæc paucula pro multis uiderentur satisfacere. Piæ mulierculæ ueniunt uncturæ corpus domini, ut fragrans maneat & ne quid fœtidum oriatur ex putredine; ergo unguenta adhibent, quæ uim habent siccandi & humores corporis consumunt, quo uidelicet illud seruent incorruptum. Hoc quia non inueniunt, perspicuum est illud resurrexisse corpus quod computrescere potuerat. Notatur & tempus quando ierint ad sepulchrum, ut ex eodem & tempus resurrectionis æstimaremus. Prima sabbatorum, prima dies est in hebdomada, proxime sequens sabbatum, nimirum illa, quam nos ob resurrectionis memoriam appellamus Dominicam. Sed & aliàs monuimus sabbata appellari totam hebdomadam quæ duobus clauditur sabbatis. Paulò antequam uenissent ad sepulchrum, descenderat angelus

gelus de cœlo, reuoluerat lapidem ab ostio monumenti, ac resurrexerat dominus. Hinc est quod mulieres iam inueniunt reuolutum. Certum est & illud, abijsse milites deseruisseq; sepulchri custodiam. Nam his etiamnum præsentibus non tam libere accessissent mulierculæ.

Et ingressæ in monumentum uiderunt adolescentem sedentem à dextera, amictum stola candida, & expauerũt. At ille dicit eis, Ne expauescatis, Iesum quæritis Nazarenum, qui fuit crucifixus. Surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerant illum. Sed abite, & dicite discipulis eius, & Petro, præcedit uos in Galilæam: illic eum uidebitis, sicut dixit uobis.

Edocentur nunc angelico testimonio uerum domini corpus uere ex mortuis resurrexisse. Cæterum mulierculæ ingressæ sepulchrum nescierunt surrexisse corpus. Apparet autem ipsum monumentum, id est capsam, quæ corpus reciperet conderetq;, uestibulum ac antrum quoddam habuisse, quod sepulchrum inspicere uolenti bus in intima antri parte constituto positoq;, penetrare oportuit. Proinde uestibulum ingressæ, quod lapis ille ingens obstruxerat, uident pone sepulchrum aut corporis reconditorium, in intima antri parte angelum. Amictus hic erat ueste candida: qui color congruit triumphantibus iam nunc reuersis à uictoria. Ac mulieres pro imbecillitate sua expauescunt, re inexpectata perculsæ. Neque rarum est homines ad angelorum conspectum subtrepidauisse. Angelus uero cum felicissimi nuncij adesset præco & testis, benignis uerbis attonitas alloquens consolatur, sicut olim quoq; fecerat cum pastoribus natiuitatem saluatoris eiusdem annunciaret, ac dicit, Ne expauescatis. Omnia enim hic felicia sunt & fausta: nihil est quod terrorem incutiat aut metum. Mox exponit prior animi ipsorum consilium, quod reuelatione dei didicerat, cur scilicet aduenissent, ut Iesum crucifixum ungerent. Verum surrexit, inquit, non est hic &c. Animaduertendum autem diligenter angelorum dei sanctissimorum testimonio atque nuncio potissima redemptionis nostræ capita hominibus esse reuelata atq; annunciata. Incarnatio enim domini annunciatur uirgini per Gabrielem archangelum. Nunc uero resurrectionis ex mortuis testes sunt angeli ministri ueritatis, ut & mortem & resurrectionem domini unà testificentur. Angeli ascendente domino in monte oliuarum apparent ac testificantur dominum Iesum ita & ad eum modum rediturum in iudicium, in quem modum modo discipuli uiderant ascendentem in cœlum. Quod si non grauatim credimus iuratis testibus, quanto magis credi oportet angelis dei & ueritatis ministris? Porrò studiose expressis circumstantijs docet angelus corpus domini uerum & illud ipsum quod in cruce pependerat, non aliud pro ipso, resurrexisse ex mortuis. Id quod operæpretium fuerit paucis annotando colligendoq; obseruare. Principio Iesum, inquit, quæritis Nazarenum, illum nimirum cuius summo stipiti crucis affixum fuerat, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Nam mox sequitur, Qui fuit crucifixus. De corpore ergo uero fit mentio: cum uerum & humanum corpus affixum fuerit cruci. Deinde quod in hac re primum & potissimum est subiungit, Surrexit. Quis obsecro? Iesus Nazarenus surrexit, eo ipso corpore quo fuit crucifixus. Adiungitur & aliud, Non est hic. Cui mox adijcitur & alia probatio, siue demonstratio ocularis, Ecce locus ubi posuerant illum. Est autem uera ueri corporis humani proprietas esse in loco uno certo. Et quia domini corpus quod ex mortuis resurrexerat, non erat amplius hic, ubi fuerat prius, consequens est, uerum corpus resurrexisse, ac illud ipsum quod positũ fuerat in sepulchro; deniq; consequẽs est illud ipsum resurgẽdo non amisisse corporis hu

Angelus testificatur de resurrectione domini.

Angeli euangelistæ.

Corpus domini uerum resurrexit ex mortuis.

mani proprietatem &, ut sic dicam, localitatem. Alioqui enim angelus non dixisset uere, Non est hic. Verum de his plura disputaui apud Matth. Comment. lib. 12. Pertinet & illud ad ueritatem corporis Christi confirmandam quod sequitur mox, Præcedit uos in Galilæam. Motus enim ille localis ueritatem corporis ostendit. Illic eũ, inquit, uidebitis, sicut dixit uobis. Illic inquã, in loco utiq; certo, uidebitis eum, non ut spectrum, sed ut uerum hominem. Hoc ipsum prædixit uobis. Nequit autem is qui ueritas est mentiri. Vere ergo resurrexit. Vbi autem prædixit se resurrecturum præcessurumq; discipulos in Galilæam? Dum Matthæo & Marco testibus subiens oliuarum montem diceret, Omnes offendemini in me in hac nocte: quia scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oues. Sed postquam resurrexero præcedam uos in Galilæam. Matth. 26. Marci 14. Cur uero tam significanter & expresse docuerint apostoli resurrexisse uerum domini corpus, & quis inde ad nos fructus redeat, exposui in 12. Comment. ad Matth. libro. Illud rursus non uidetur negligendum, quod angelus tanta mandat diligentia ut mulieres discipulis annuncient resurrexisse dominum. Merebantur enim primæ resurrectionis uitæq; nunciæ esse, quæ moriente domino constanter adfuerant, delatumq; domini corpus in sepulchrum comitatæ fuerant. Præsertim uero iubentur annunciare Petro: id quod ineffabilem dei misericordiam & effectum pœnitentiæ insignem commendat. Negarat Petrus dominum, grauiter deliquerat in dominum: sed nihilominus per immensam dei misericordiam recipitur in numerum filiorum dei. Non enim sine pœnitentia hæserat in commisso facinore, sed amare fleuerat, deserueratq; flagitiosum consortium, per quod illectus & abreptus fuerat in peccatum. Audimus autem nunc huic præ cæteris annunciandam esse resurrectionem uiuificam. Colligimus hinc contra Nouatianos ueteres & nouos ualere apud dominum ueram pœnitentiam. Colligimus resurrectionis Christi participes esse omnes peccatores, qui non impœnitentes hærent in sceleribus.

Mulieres resurrectionis testes.

Nunciatur Petro resurrectio.

Et egressæ cito, fugerunt à monumento. Tenebat autem illas tremor & stupor, neq; quicquam dicebant. Timebant enim.

Humana imbecillitas.

Insigne exemplum exhibetur nobis humanæ imbecillitatis. Gaudium enim insolitum & nouum spectaculum attonitas reddebat. Non expectauerant quod eueniebat. Putarant enim se reperturas corpus domini saucium. Sed & obstupescebant ad angeli conspectum. Terror ingens obstabat quo minus quicquam amplius rogarent ab angelo, nec ullas ederent uoces, sed fuga sibi consulendum putarent. Vbi uero peruentum esset ad discipulos, ibi tandem quæ uiderant & audierant depromunt: sicuti clare indicatur apud Lucam in capite 24. In uisione angelica duntaxat obmutuerunt, non in uniuersum & apud omnes. Acceperant enim pręceptum ab angelo annunciandi discipulis & Petro quod resurrexerit ex mortuis dominus. Infirmitas illa fidelium cõsolatur nos egregie. Discimus enim optimos quosque fluctuare nonnihil, fidemq; sua habere augmenta. Nemo ergo desperet ob imbecillitatem suam. Ac posset quidem dominus uno momento fidei plenitudinem conferre: uerum sinit nos fluctuare, quo inardescamus magis & precibus instemus feruentioribus.

Cum surrexisset autem mane, primo sabbati, apparuit primum Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia. Illa profecta renunciauit his, qui cum illo fuerant, lugentibus ac flentibus. At illi cum audissent eum uiuere, ac uisum esse ab illa, non crediderunt.

Abru-

Abrupturus historiam euangelicam, colligit aliquot argumēta euidentia, quibus probet Iesum Christū uero corpore uere à mortuis resurrexisse. Hæc uero, licet paucula, putauit pio Lectori, nihil aliud quàm ueritatem quærēti, sufficere abunde satis: ut reuera sufficiunt. Primum omnium, inquit, rediuiuum sese exhibuit Mariæ Magdalenæ. Historiam ipsam plenius describit Ioānes apostolus cap. 20. Ait autem Marcus dominum Mane surrexisse, nimirum illucescente iam die tertia. Theophylactus refert ad sequentia, ideo sic distinguit, Cum surrexisset. Hoc loco punctum ponit, deinde subiungit, mane prima sabbati. Huius generis aliquid legas & apud Hieronymum quæstione ad Hedibiam 3. Cæterū prior lectio magis mihi adlubescit. Tu delige quæ uidetur appositissima. Certe nulla est discrepantia in cōsignatione temporis inter Mar. & Matth. Ad descriptionem personæ & beneficij commēdationem illud pertinet quod legitur dominus à Maria eiecisse septem dæmonia. At septenarius numerus uim significat & multitudinem. Dęmon autem author est scelerum & calamitatum. Eiecit ergo ex Maria septem dæmonia dominus, id est, liberauit illam à maximis flagitijs & morbis grauissimis. Statuitur ergo hæc nobis exemplum gratiæ diuinæ atq; potentiæ, pœnitentiæ denicp. Nemo desperet in peccatis aut uitijs animi corporisq;. Potentior est uirtus Christi quàm ulla uis aduersaria. Licet ergo bene sperare de illius gratia. Obedientiæ porrò fideiq; est quod renunciat discipulis resurrexisse dominum. Quod illi lugent, nec credunt uera testificanti, infirmitatis & miseriæ nostræ exemplum est. De qua modo diximus. *Demonstrationes ueræ resurrectionis.*

Post hæc autem duobus ex ipsis ambulātibus apparuit, alia forma, euntibus rus. Et illi abierunt ac renunciauerunt reliquis, nec his crediderunt.

Secundum ponit argumentum & ipsum euidēs. Historia fuse exponitur à beato Luca cap. 24. Dum duo isti in itinere essent ac Emaum proficiscerentur, cōiunxit se ipsis dominus, non iam usitata specie, sed alia forma utens. Non quod corporis substantiam mutaret, & proprietates corporis annihilaret, sed oculi discipulorum tenebantur ut ipsum non agnoscerent. Arbitrabantur enim ipsum esse uiatorem & peregrinum. Vbi uero agnouissent ipsum ex fractione panis, redierunt Hierosolymam; ac discipulis quid uidissent, & certò essent experti, exposuerunt. Sed ne sic quidem inuenerunt fidem apud ipsos ullam. Videbantur ipsis narrare fabulam de spectro aliquo. Nam difficilis creditu est uera corporum resurrectio, quam & Athenień. homines alioqui sapientes, deridebant, Acto. 17.

Postea discumbentibus illis undecim apparuit, & exprobrauit ipsis incredulitatem eorum & cordis duriciam, quod his qui ipsum uidissent resuscitatum, non credidissent.

Tertia hæc est probatio resurrectionis dominicæ. Dubiū uero est an hæc sit peculiaris apparitio, an illa ipsa quæ eadem resurrectionis die sub uesperam est exhibita, cuius meminere Lucas in 24. & Ioan. in cap. 20. Ac uidetur quidem nō esse peculiaris aut diuersa ab hac, præsertim cum res tam probe sibi congruant omnes. Lucas enim, Et ecce, inquit, duo ex illis ibant eodem die in castellum. Eodem inquam die quo resurrexerat, prima scilicet sabbati. Et mox, Et surgentes eadē hora regressi sunt Hierosolymam, & inuenerunt congregatos undecim & eos qui cum illis erant, &c. Item, Dum hæc loquuntur stetit Iesus in medio illorum, & dicit eis, Pax uobis, &c. Ioannes uero, Cum, ait, uespera esset, die illo qui erat unus sabbatorū, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli cōgregati, propter metum Iudæorum, uenit Iesus, stetitq; in medio, & dicit eis, Pax uobis. Hactenus ergo pulchre omnia congruunt. Conueniunt & sequentia egregie. Lucas enim dicit, Expauefacti uero & territi, existima- *Collatio historiæ Mar. 16. Lucæ 24. Ioā. 20.*

bant se spiritum uidere. Et dixit eis, Quid turbati estis, &c. Et mox, Et cũ hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Eadem legas apud Ioannem, sed breuius cõsignata. Rursus Lucas ait dominum discipulis aperuisse mentem ut intelligerent scripturas. Ioannes ait dixisse dominum, Accipite spiritum sanctum. Lucas iterũ, Sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Ioannes uero, Quorumcunq; remiseritis (inquit) peccata, remittũtur. Quibus nunc quoq; accinit Marcus, Et dicebat eis, Ite in mundum uniuersum, &c. Proinde uidetur eadem à tribus exponi historia, licet alius alio copiosius aut breuius rem gestam narret. Restat autem hic scrupulus aliquis. Nam Marcus & Lucas manifeste numerant undecim: at Ioannes postea commemorat Thomam tunc cum illa fierent, de quibus diximus, non adfuisse: cum autem constet Iudam perijsse, quomodo numerãtur undecim absente Thoma? Scripserunt euangelistæ multos à resurrectione domini annos historiam rerum Christi, tum uero ab omnibus pro apostolo habebatur, uti reuera erat, Matthias. Hunc uero tum adfuisse uel ex illo claret, quod Lucas non tantũ apostolos numerat, sed insuper addit, Et eos qui cum illis erãt. Nominatur à Matthæo Iudas proditor in historię contextu, priusquam prodidisset dominum. Quid ergo mirũ si ipsis decem, undecimus apostolus annumeratur Matthias? qui ab ascensione demum domini allectus est in consortium duodecim, ut habetur Acto. cap. 1. Quid quod tũc habebatur pro apostolo, & erat apostolus è numero duodecim, cum historia hęc scribebatur? Sed hæc iudicio pij lectoris expendenda relinquo. Priusquam uero incredulitatem discipulorum accusaret ad uesperam, ea die rediuiuum sese exhibuerat, primum quidem Mariæ Magdalenę, deinde alijs quibusdam mulieribus, hinc Simoni Petro, mox & duobus Emaum proficiscentibus. Atq; hi omnes bona fide cœtui discipulorum exposuerãt, quæ uiderant: cæterum dubitabant hi nihilominus de ueritate resurrectionis. Ad uesperam ergo eius diei adest iam dominus & increpat incredulitatem, imò duriciam cordis ipsorum, quod adhuc diffiderent tam apertis demonstrationibus. Quibus autem uerbis exprobrarit illis incredulitatem, non exprimitur. Leguntur quidem quędam huius generis apud Lucam in 24. cap. unde reliqua quæ non exprimuntur æstimare licet. Discamus dominũ ualde irasci succensereue nostræ incredulitati, qui tam euidẽtia habemus testimonia resurrectionis carnis nostræ, & tamẽ adhuc hęsitamus. Firmiter omnino credendũ est quod tam certis firmisq; cõfirmatum est testimonijs.

Et dicebat eis, Ite in mundum uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur.

Summa historiæ euangelicæ. Hucusq; bona fide & mira breuitate exposuit S. Marcus, quę dominus dixit & fecit ad eum usq; diem quo excitatus ex mortuis, mox assumendus erat in cœlum, id est qua fide & diligentia docuit mundum doctrinam uiamq; ueritatis & salutis, quæ contulerit miseris & indigis beneficia: quid item & quãta tormenta passus sit ut nos à morte & gehennæ tormentis eriperet: quomodo deniq; resurrexerit ex mortuis ut nobis plene uitam restitueret, iam uero ut salutem illam & omnia beneficia sua, non ad paucos, uel ad Iudæos duntaxat, sed ad ecclesiam, id est ad omnes & singulos fideles pertinere doceret, ultimo ultimum domini mandatum, apostolis datum commemorat, institutionem uidelicet siue ordinationem œconomiæ ecclesiasticæ. Præscribit enim modum per quem salus parta & oblata per Christum, omnibus innotescat hominibus, ac quo modo salutis in Christo participes fiant, qui salui esse cupiunt. Frustra enim audiuntur omnia illa quæ de Christi dictis & factis recitata

leguntur, nisi intelligamus illa ad nos pertinere, nobis inquā peccata esse remissa per Christum, nos hæredes regni dei effectos esse per fidem in Christum. Dicit itaq; dominus, Ite in mundum uniuersum, quibus terminos regni sui delineat, nullam gentem excludens. Neq; enim satis illi uidebatur dixisse, Ite in mundum, nisi addidisset, uniuersum: sed & uox Mundus suam habet emphasim, quæ nobis misericordiam dei immensam commendat, quippe quæ mundum totum in malo positum ex tenebris ad lucem uocare dignatur. Prædixerunt autem prophetę etiam Christum per totum terræ orbem regnaturum. Dauid enim inducens patrem loquentem ad filium, ac dicentem, Postula à me, & dabo gentes ut sint hæreditas tua, & terminos terræ ut sint possessio tua. Idem pater apud Isaiam, Dedi te, inquit, in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Ideoq; dominus ascensurus in cœlum ad apostolos dicit, Ac eritis mihi testes non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa Samariaq;, deniq; usq; ad extrema terræ. Testificātur hæc omnia satis clare regnum dei non ad paucos, sed ad omnes homines pertinere. Hæc de terminis regni Christi. *Termini regni Christi.*

Deinde quid euntes faciant exprimit, finem utiq; missionis indicās modumq; exponens, per quem omnibus uult innotescere hominibus, ac per quem fiant participes salutis. Profecti, inquit, in mundum uniuersum, prædicate κηρύξατε. Est autem κηρύσσω proclamo aut pronuncio, ac est præconum proprie, qui publicitus apud populum uiua uoce aliquid promulgant. Ac Paulus 2. Timoth. 1. appellat se præconem euangelij. Euāgelij, ait, positus sum ego κῆρυξ, præco inquam & apostolus, ac doctor gentium. Dicuntur autem præcones à præcinendo, eò quod uoce uiua uel tuba principis uoluntatem annuncient, & quid faciendum sit populo significent. Proinde intelligimus ex hac uoce potestatē & maiestatem gloriamq; omnem uitæ & salutis esse dei solius regis regum, doctorum autem siue præconum ministerium duntaxat. Intelligimus deniq; in annunciatione uerbi non respiciendum ad præconem, sed ad illum potius cuius præco est, ad ipsum uidelicet deum qui præconem misit prædicatum. Ita enim uidemus præcones principum reuerenter excipi à populo, propter principes & quia creduntur afferre principum placita. *Finis apostolicæ legationis docetur.*

Quid uero prædicare aut annunciare iussit hic princeps summus & rex regū terræ? Euangelium. Sed quibus hoc annūciari uoluit? Omni creaturæ. Quæ quidem loquutio excellentiam quandam habet: quasi dicat dominus, Prædicabitis præstantissimum hoc à rege regum nūcium, omnium creaturarum principi, homini, neq; quenquam putabitis indignum hoc præconio, ergo omni, inquit, creaturæ prædicabitis. Nam neminem excludit deus, nullam ætatem, nullum sexum, conditionem nullam: iubet omnibus omnis generis & status hominibus salutiferū proclamare euangeliū. Habes iam modū per quem uult dominus salutem suam mūdo innotescere, per prædicationem uidelicet euāgelij. De qua re pluribus agit Paulus Rom. 10. Cæterum dicat iam aliquis, Quid est euangelium? Sequitur in uerbis domini, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, cōdemnabitur. Proinde euāgelium est sermo siue prædicatio de Christo, nimirum quod credentes in Christū saluantur, id est à peccatis absoluti, & à diabolo morteq; æterna liberati, hæreditatē consequuntur uitæ æternæ: rursus qui non credunt in filium dei, cōdemnantur. De hac re plura legis apud Marcum in cap. 1. apud Lucam item in cap. 24. deniq; Ioan. 3. & Roman. primo capite. Docemur his quoq; fidem esse per quā efficiamur hæredes uitæ æternæ. Ea fides est merum dei donum, quam apostoli non dant, docent autem atq; excitant idq; suo modo. Tractatur id copiosissime in doctrina siue scriptis apostolorum. Summa uero omnium quæ diximus hæc est, Dominum uelle toti mūdo partam per Christum salutem innotescere per prædicationem euangelij, participari autem per fi *Quid doceant apostoli.* *Quid euangelium?* *Fides.*

Bona opera. dem in Christum. Proinde iustificamur nos per Christum in fide. Iustificati autem faciunt opera iustitiæ. Ita cōserta sunt inter sese prædicatio euāgelij, Christi redemptio, fides, & studium iustitiæ siue bonorum operum.

Sacramentorū celebritas. Coniungitur his adhuc aliud in uerbis domini, Et baptizatus fuerit. Quibus licet paucis uerbis ordinatur in ecclesia sacramentorum celebritas, quæ fide præsente admodum utilis est. Ideo enim præmittitur, Qui crediderit, deinde subiungitur, Et baptizatus fuerit. Alioqui non prosunt sacramenta sine fide. Infantes quidem baptizantur in fide ecclesię, quia sunt in fœdere & gratia dei per Christum, quia etiam infantium Christus est, adulti uero baptizantur in fide quam profitentur. Ac reuera *Sacramenta non inutilia fidelibus.* qui intelligunt se iustificari sola dei gratia per Christum in fide, baptismum non spernunt tanquam inutilem, quia certò norunt dominum non inutiliter dixisse, Qui crediderit & baptizatus fuerit. Crediderunt deo Eunuchus & Cornelius centurio ante baptismum acceptum, ac iustificati per gratiam dei in Christo & fide donum acceperant spiritus sancti, adeoq; sic erant sanctificati & adaptati ad regnū dei, ut si tūc excessissent ex hac uita, citra baptismum, hæredes fuissent uitæ æternæ, nihilominus dicebat Eunuchus ad Philippum, Ecce aqua, quid uetat, quo minus baptizer? Et Petrus cum effusum esset dei donum in Cornelium & familiam eius, dicit, Num quis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt sicut nos? Acto. 8. & 10. cap. Idem uidere licet & in exemplo Christi, properantis ad baptismum Ioannis, qui cum dixisset, Mihi opus est ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? Audit, Omitte nunc, sic enim decet nos complere omnem iustitiam. Proinde licet iustificetur sanctificeturq; homo sola gratia dei per fidem, non tamen iccirco inutiliter petuntur & conferuntur sacramenta sanctis.

Quorsum instituta sacramenta cum gratiam non conferant. At dicat aliquis, Cum constet fideles gratia dei per Christū in fide sanctificari uel iustificari, & iustificationem uel sanctificationem non conferri demū exhiberiue per sacramenta, quorsum ergo instituta sunt sacramenta? Huic respondet apostolus Paulus in epistola ad Rom. ca. 4. ubi docet Abrahamū non iustificatū aut sanctificatum esse per circūcisionem, sed iustificatum fuisse fidei beneficio antequā fuisset circuncisus. Cęterum cum hac ratione uideri poterant sacramenta dei euacuata, per occupationem subiungit mox, Et signū accepit circuncisionis, signaculum iustitię fidei quę fuerat in præputio. Sunt itaq; sacramēta sigilla & obsignationes, quod deus inuisibili gratia nos sanctificat si credamus. Nam per fidem efficimur cōsortes iustitiæ atq; donorum dei, ideo significāter dixit apostolus, Signaculum iustitiæ fidei, & nō tantum signaculum fidei, sed iustitiæ fidei, fidei inquā iustificantis, uel quod fides sit iustitia. Ergo iustificationem tribuere sacramentis, est contra finem & iustam sacramētorum institutionem pro ueritate mendaciū asserere. Commendatur autem hic nobis religiosus sacramentorum usus in ecclesia Christi. Vt enim uerbo & uiua prædicatione dominus per ministros dona & beneficia sua ecclesiæ exponit, ita per sacramēta ceu uerba uisibilia eadem oculis nostris subijcit, atq; quodammodo testificans, obsignat.

Baptismus. Cæterum Baptismus non hic primum institutus est, sicut quidā Anabaptistę falsò docent, à Ioanne enim Baptista primum diuinitus est inuentus, nec alio baptismo quàm Ioannis, qui item dei ac Christi erat, ipse dominus Iesus est baptizatus: proinde repetitur hic baptismi institutum, iubeturq; dari omnibus in mundo creaturis, haud dubie infantibus atq; adultis. De Baptismo disputaui apud Matth. in cap. 3. De erroribus Anabaptistarum dictum est aliâs.

Gratia non alligata est sacramentis. Obseruādum est & illud, dici quidem à domino uerbis disertis, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: at non repeti in opposito membro, Qui non crediderit & non baptizatus fuerit, condemnabitur, sed duntaxat, Qui non crediderit (omisso baptismo)

baptismo) condemnabitur. In caussa illud est haud dubie quod salus & gratia dei sacramentis non est alligata. Si enim obstet necessitas quo minus sacramentis participare liceat, contemptus interim ordinationis dei & neglectus sacramentorum temerarius non accedat, moriaturq́ fidelis citra baptismum, credat autem uere in filium dei, nullum uidetur esse uitæ periculum. Rursus autem non poterit inuisibiliter sanctificari (sicut & Augustinus testatur) qui uisibilia sacramenta contemnit. In summa, sicuti uerbo euangelij erudit electos dominus, ita ministerio & usu sacramentorum legitimo exercet electos, repræsentat atq; obsignat sua dona & beneficia. Et hactenus de Oeconomia ecclesiastica.

Porrò signa eos qui crediderint, hæc subsequuntur, Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid letale biberint, neutiquam nocebit eis. Super ægrotos manus imponent, & bene habebunt.

Hæc quidem pertinent ad doctrinam euangelicam commendandã, quæ eleganter enarrans Paraphrastes, Ne uero uestra prædicatio, inquit, fide careat, addetur & miraculorum uis, si modo adsit euãgelica fiducia, & res ipsa miraculum poscat. Præcipua uis euangelicæ gratiæ in animis est, sed tamen ob incredulos & infirmos, hæc quoq; præsto erunt, ubi profectus euangelij requiret miraculũ. Qui in me posuerint fiduciam, eijcient dæmonia non in suo nomine, sed in meo, linguis loquẽtur nouis, serpentes abigent, & si quid letale biberint nõ nocebit illis, ægrotis imponẽt manus, & bene habebunt. Hæc cum in animis fiunt maius præstatur miraculũ, sed occultũ, Auaritia, libido, ambitio, odiũ, ira, liuor, uenena morbiq́ letales sunt animo, hæc abigent in nomine meo, idq́ facient perpetuò. Propter infirmos autem & ad credẽdum difficiles, nonnunquam fient & illa, ut homines crassi uideant in illis esse spiritũ, humanis uiribus potentiorem. Hactenus ille. Proinde declarãt nobis hæc domini uerba quis sit effectus, quæ uis & maiestas uerbi dei & fidei in Christũ, Pellit diabolum, instruit & efficit linguas nouas, eripit ueneno suã uim, tollit omnis generis morbos. Ea si referamus, sicuti licet, ad animos hominum, fiũt sanè quotidie in animis omniũ fidelium. Fide enim per uirtutem Christi eijcitur diabolus & calcatur, qui hactenus infidelem pro sua rexerat libidine, lingua quæ hucusq; assueuerat mẽdacijs, blasphemijs, obscœnitatibus atq; obtrectationibus planè alia iam facta, loquitur ueritatẽ, benedicit deo, casta est, neq; unquam laxatur nisi ad ædificationẽ proximi. Porrò si illa referamus ad corpus, fiunt ea per miraculum cum in doctoribus tum in ipsis discipulis. Fideles enim per uirtutem Christi, cui crediderũt, pepulerunt diabolum ac supplantarunt, linguis peregrinis loquebantur & discipuli domini, & discipulorum domini discipuli, Paulus excussit ex manibus suspensam uiperam in uicinum focum, nec nocuit ipsi uel tantillum letale uirus, sed & uenenata pocula propinata, & cibus ueneno corruptus, & à fidelibus Christi haustus nihil nocuit. Deferebant Hierosolymis ægrotos in plateas ut Petri umbra contingeret calamitosos, & restituti sunt. Acceperunt quidam S. Pauli sudariola, imposuerunt q; ipsa ægrotis, & protinus senserunt morbum esse depulsum. Testantur hoc Acta apostolorum, testatur idem historia ecclesiastica, testantur deniq; præsentia tempora, in quibus per fiduciam nominis Christi permulti admodum affecti & confracti morbis, denuo sanitati iustę restituuntur. Cæterũ adhibentur diuinitus & fiunt signa per homines uirtute Christi, fidei parandæ gratia. Prædicant apostoli Christum esse dominum cœli & terræ, cui subiecta sint omnia, qui uenerit redempturus credẽtes, iam uero ut liquidò appareret omnibus auditoribus prædicationem hanc de Christo non esse uanam, eiecerunt prædica

Signa subsequentia credentes.

Signa fiunt fidei gratia.

tores per inuocationem nominis Christi, diabolos, omnis generis morbos curarunt; ut uel ex opere omnes intelligerent, ueram, certam & indubitatã esse euangelij prædicationem. Sunt itaq; signa hæc ueluti literæ quædam credentiales, ut uocant. Ideo mox sequitur, Confirmauit dominus sermonem prædicatum per signa subsequentia. Vbi tamen non dissimulandum est signa effectum suum habere apud tractabiles & non apud impios contemptores. Hi enim filio dei reclamantes dicebant, Per Beelzebub principem dæmoniorum eijcit dæmonia. Nec semper fiunt signa, sed quoties deo uisum fuerit & necesse uidetur: unde signa facere non in arbitrio hominis, sed in dei uoluntate positum esse constat. Neq; enim fiunt illa uirtute humana, sed per potentiam dei. Ideoq; diserte dixit dominus, Per nomen meum eijcient dæmonia. Verum de his quoq; disputaui apud Matth. in cap. 10.

Itaq; dominus quidem postquam loquutus est eis, receptus est in cœlũ, & consedit à dextera dei.

Ascendit in cœlum dominus. Alterum caput religionis nostræ maximum exponit his Marcus, quò tandẽ absolutis rebus omnibus peruenerit dominus Iesus, Receptus est, inquit, in cœlum. Paucis uerbis exposuit scilicet quod Lucas multis enarrat euangelicę historiæ cap. 24. et Acto. cap. 1. De ascensione domini ad cœlos dixi in 12. lib. Comment. in Matt. & primo in Acta apostolorum. Addit & aliud; Et consedit à dextera dei, id est regnum ingressus omnium quæ in cœlo ac in terra sunt potestatem accepit, ut iam cœlitus regnet in ecclesia sanctorum. Cæterum de Dextera dei, de Sessione Christi filij dei ad dexteram patris, denicq; & de Regno Christi, dixi in 12. Comment. lib. ad Matth. & in Præfatione huius operis. Proinde pauculis his annotatis, ad illa remitto.

Illi uero egressi prædicauerunt ubiq; domino cooperãte, & sermonem confirmante per signa subsequentia.

Apostolorum Christi fides sedula. His commendatur nobis fides exactissima & diligẽtia indefessa apostolorum domini. Egressi sunt, ait Marcus, nimirum sicuti præceperat dominus, Ite in mundum. Et sicut ibidem mandarat, Prædicate euangelium omni creaturę: ita in præsenti dicitur, Prædicauerunt ubiq;. Omnia itaq; ita fecerunt sicuti iniunxerat dominus, relinquentes nobis exemplum, ut & nos omnia nostra, non ad nostrum arbitrium, sed ad uolũtatem & præscriptum dei componamus. Sequitur autem fidelem operam, obedientiam & diligentiam, successus felicissimus. Prædicarũt enim ubiq;, inquit, domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia. Primum ergo gratiam contulit insignem docentibus, deinde uero & auditores rapuit atq; transmutauit.

De interno & externo dei uerbo. Operatur sanè agricola in cultura agri fideliter, sed nihil est qui rigat aut qui plantat, nisi incrementum det deus adeoq; cooperetur. Ita frustra foris prædicat doctor euãgelicus, nisi dominus intus corda rapiat transformetq; auditorum. Neq; ideo frustraneus est labor docentis foris uoce uiua. Nam Paulus, Fides, inquit, ex auditu est, auditus autem per uerbũ dei: rursus non ideo alligata est uiua operatio dei uerbo, ut non possit deus quando, quomodo & quos uult, conuertere. Interim nostrum nõ est contẽpta ordinatione dei legitima, occultos dei modos cõuertendi expectare. Nam propheta clamat, Hodie si uocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Proinde foris sonante uerbo dei per prædicationem humanam, preces perpetuæ extollendæ ad dominũ, ut is cooperetur in cordibus hisq; insculpat spiritus sui impressione, quod iam auribus suauiter intonat. Ideo uero & S. Paulus, Dei, inquit, sumus cooperarij, dei agricolatio, dei ædificatio estis, iuxta gratiam dei quæ data est mihi. 1. Cor. 3. Proinde si quis uellet externum uerbi ministerium & operam hominum aspernari, is nequaquã ocultis spiritus sancti motibus rapietur. Nam dominus apud prophetã,

Ad

Ad hunc, inquit, respiciam qui est humili & fracto spiritu, & ad uerbum meum reuerentia quadam contremiscit. Est itaque hæc ordinatio & œconomia in ecclesia dei per Christum instituta. Deliguntur nimirum ante omnia ministri & doctores, euangelici negotij periti. Deinde mittuntur tales ad homines, ut quæ didicerunt à Christo, alios doceant prædicatione euangelij. Hic ergo prædicatur à ministris euangelium. Sed interea cooperatur dominus & in ministris doctoribus, & in auditoribus. Illis enim confert dotes & facultates docendi, cõfirmat item sermonem prędicatum per signa subsequentia. De quibus dictum est. His uero eandem confert in animis gratiam, ut credant signis & recipiant doctrinam totamque uitam suam ad ipsam componant. Hinc uero nascitur fidelis Christo regi & sacerdoti ecclesia, fidelis omnium credentium cœtus, per totum orbem dispersus quidem corpore, adunatus autem spiritu, illa ipsa est ecclesia, quæ capiti Christo adhæret fide, spe & charitate, laudatque bonitatem eius, donec ad ipsum transferatur in sedes uere beatas. Ecclesiam hanc multo cum labore & mira cum felicitate descripsit Lucas in Actis suis apostolicis, à quo pleniora petere licet.

HAEC autem tradidit hucusque optimæ imò indubitatæ fidei testis diuus Marcus de domino nostro Iesu Christo uero deo & homine, unico rege, sacerdote, & seruatore nostro, quæ scilicet dixerit & fecerit dum dispensationis diuinę negotium ab æterno decretum, absoluit. Nostrum fuerit, implorato dei auxilio, omnem spem nostram in illum figere, qui datus est nobis ad salutem, & qui annunciatur nobis ad lucem uitæ sanctæ & æternæ. Faxit hic rex & pontifex noster, ut in ipso uiuamus æternum. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

IN ACTA APOSTOLORVM HEINRYCHI BVLLINGERI COMMENTARIORVM LIBRI VI. ab authore recogniti ac denuo iam recusi.

ACCESSIT HVIC OPERI SERIES ET DIGESTIO temporum & rerum descriptarum à B. Luca in Actis Apostolorum, eodem authore.

HOC *opere traditur amicè* LECTOR, *quæ fuerit Ecclesiæ sanctæ infantia, qui auctus, quæ Ecclesiæ iustæ facies: quæ doctrina Apostolorum, qui veteris Ecclesiæ ritus, quæ studia, quæ religio, fides doctrinaq; vera vel falsa, vetus vel noua: qui veri vel falsi doctores, qualia vtrorumq; ingenia: qualia sint mundi studia, qualis persequentium animus, successus, qualiáue fata. Sed hæc omnia Elenchus versis aliquot folijs copiosius recensebit.*



IESVS.

Hic est Filius meus dilectus in quo placata est anima mea, ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI EXCVDEBAT CHRISTOPH. FROSCHOVERVS, ANNO M. D. LXXXIIII.



CLARISSIMO SENATVI POPVLOQVE FRANKFVRDIENSI AD MOENVM, HEINRYCHVS BVLLINGERVS, Gratiam & vitæ innocentiam à Domino.



HABVERVNT *hoc sibi familiarißimum Prophetæ & Patres vetusti, vt libros suos non ijs modò inscriberent, quibus cũ conuersabantur, sed ijs quoq; qui facie incogniti proculq; dißiti alias terras inhabitabant: quorum exemplo fretus hosce Commentariorum libros vobis quoq; viri clarißimi fratresq; in Christo venerandi inscribere volui. Non quòd existimem Ecclesiam vestram nostra institutione aut commentatione de vera pietate egere: Habetis enim verbri ministros claros & in doctrina Euangelij laudatos: sed circumferenti oculos, quibus hoc argumenti maximè competeret, vos primum occurrebatis quibus hoc multis nominibus videbatur congruere. Etenim exponit hic liber quomodo Euangelij fulgor in omnes gentes, terras ac populos coruscarit. Et vestra vrbs nobile omnino Germaniæ emporium ea hactenus fuit, è qua omnis generis authores optimi, maximè autẽ vetusti in vniuersam penè Europam prodierunt: quorum opera & religio vera & literæ bonæ melius cœperunt habere. Vt enim aliæ vrbes propter authores & imprimendi, aut si quis malit typis scribendi, peritiam atq; diligentiam celebres sunt: ita vestra in propagandis illis longißimeq; in remotißimas quasq; Europæ oras deportandis multo clarißima est. Noluistis hactenus more quorundam imprudentium suppreßione proscriptioneq; optimorum & librorum & authorum ciuitatis vestræ gloriam libertatemq; obscurare. Quare & insignem pietatem & prudentiam omnibus alijs approbastis ciuitatibus. Siquidem destomachatur & Diuus Hieronymus in eos qui sua quoque ætate pro inepta morositate ob errores quosdam optimos simul & pijßimos aspernabantur authores. Eius enim verba ad Tranquillinum hæc sunt: Ego Origenem & nonnullos Ecclesiasticos scriptores Græcos pariter & Latinos sic legendos arbitror vt bona eorum eligamus vitemusq; contraria, iuxta Apostolum dicentem, Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Cæterum qui vel in amorem eius nimium, vel in odium stomachi sui prauitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto prophetico subiacere, Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum: qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Non enim propter doctrinam eius praua suscipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum prauitatem, si quos Commentarios in scripturas sanctas vtiles ædidit penitus respuendi sunt. Cuius equidem sententiæ & præclarum illum Alexandriæ Dionysium fuisse author est in historia Ecclesiastica Eusebius. Deinde verò cum nouæ Ecclesiæ incrementa, auctus & iustam faciem describat hoc opere Lucas, iterũ non potuit alijs dedicari commodius quã Ecclesiæ Frankfurdianæ, vtpote quæ & ipsa Euangelicam amplexa synceritatem palàm cœpit nomen suum veritati dedere, & ad ritus veteris Ecclesiæ aspirare. Demonstrabitur autem hoc libro vetustißimam veritatem esse, quam hodie temerarij quidam & malè sani homines decennalem fidem nouamq; nuncupant hæresim. Demonstrabitur præterea quanto cum periculo, & quibus cum hostibus, in veræ Ecclesiæ circo pro auita veritate non modo recuperanda, sed & retinenda pugnandum sit, quibus armis vincendum, quid pro nomine Christi patiendum, quomodo item impiorum artibus sit occursandum. Nam mirus est hac in re Lucas. Aiunt poetarum principem Homerum in insigni opere suo describere voluisse boni viri officia & felicis Reipub. faciem: ego verò multò verius dixerim hac historia Lucæ Christiani hominis munia & Ecclesiæ statum absolutißimum absolutißimè esse expressum. Et argumenti nobilitas vtilitasq; permouit vt in elegantißimum amœnißimumq; librum adornarem Commentarios. Accesserunt & fratrum preces, qui subinde cõquerebantur nihil aut certè paucula quæpiam in hunc nobilem nostrisq; temporibus accõmodatißimum extare authorem. Querebar*

ego multa mihi deesse quæ tantam rem tractaturo videbantur necessaria: expectaturum ergo donec alij harum rerum peritiores, quales nostrum seculum habet plurimos, prodirent & felicius hoc opus enarrarent. Sed dum nemo interim prodit, vrgent illi, vt saltem talentum meum mihi à Domino creditum in fœnus exponam, alijs nihilominus liberum manere scribere malint an silere: & hactenus quidem vicerunt. Accessit ad hoc quod vir incomparabilis D. Ioachimus Vadianus communis patriæ nostræ Helvetiæ decus, stipularetur ea se absoluturum, quæ essent geographica, quod & Epitome ædita præstitit. Et de ea quidem silere melius puto quàm parum dicere: quod vel multis nemo facilè expresserit eius operis pretium & vtilitatem amplissimam, eruditionem absolutam, & iudicium emunctissimum. Præterea suppeditata sunt à fratribus nonnullis dictata quædam quæ vir ille ante annos aliquot Christianis quibusdam auditoribus Sangalli dictauit, quibus me haud modice iuuari posse sperabam. Nec fefellit opinio. Eiusmodi enim erant, vt si recognouisset euulgassetque, haudquaquam hoc labore meo fuisset opus. Equidem aliquot iam annis speraueram id ipsum facturum. Nam ante annos aliquot id Mecœnati meo omniumque studiosorum patrono D. Vuolphgango Ionero quondam Capellæ Tigurinorum Abbati, pollicebatur: sed illum ne præstaret, negotia quibus ducitur captiuus obstitere: hunc verò ne extorqueret præmatura mors præripuit. Nuper enim infausto ad Capellas prælio fortiter pugnans occubuit. Si ergo nunc in hoc opere desyderentur plurima, ego vel hoc nomine venia dignus ero, quod in argumento difficili & grauissimo parū habuerim adminiculi, nisi ea quæ iam iam recẽsui dictata. Nihil enim extat in hoc opus quod ego quidem sciam post Erasmi Roterodami Germaniæ decoris diligentissimas & doctissimas lucubrationes, Annotata inquam & Paraphrases. Nam ex vetustis paucissima quædam supersunt. Chrysostomus enim pro more suo declamationibus deditus vel parcius Lucæ verba perstringit, vel recitando transit. At Bedæ Anglosaxonis, viri doctissimi annotamenta, aut si quis malit Scholia dicere, breuiora sunt, quàm quæ simplicioribus satisfacere possint. Quæ verò Iusti Ionæ titulo nuper euulgata circumferuntur, eiusmodi sunt, vt is crassa, quod dici solet, Minerua, vel lineis quibusdam ductis futurum opus adumbrasse videatur. Neque vidi si quid extet præterea. Quid autem vetustos mouerit, quod in hunc Lucæ tam egregium & vtilem librum nihil scripserunt, non satis constat. Forsan rei difficultatem horruerunt: quod si verum est, ego profectò stolidus sum, qui istud ausim, quod tanti viri horruerunt. Cæterùm malui me fratrum gratia in apertum dare periculum, quàm extra periculum tot indies fratrum querelas audire. Si verò isti tam facilè crediderunt argumentum esse, vt nulla copiosiori opus fuerit expositione, iudicabit diligens Lector, quàm verum hoc sit, vbi singula paulò diligentius expenderit. Prima sanè fronte exposita esse videntur, quæ dilucida satis narrantur historia, sed si ad ipsa penetremus mysteria, longe plus in recessu habere dicemus, quàm fronte promittat. Equidẽ vtcunq; res habeat, nihil in hoc neq; laboris neque diligentiæ omisi: quin de candore & fidelitate mihi optimè sum conscius. Legi omnium quos habere potui expositiones, sed & aliorum nonnunquam recensui sententias, veterum tamen maximè: non quòd existimem in literas sacras hominum placita aut explanationes esse inferendas. Ex sacris enim, vel Hilario teste, simplex & genuinus sensus decerpendus idemque ipsis scripturis sacris, hoc est, regula fidei & charitatis, locis similibus aut dissimilibus, circumstantijs & rationibus, sed ex scriptura petitis, confirmandus est. Diuus quidem Hieronymus, cuius maxima interpretandi scripturas gloria est, non modò in Præfatione ad secundum in Micheam Commentariorum librum, sed ad ipsum quoq; Aurelium Augustinum, Ingenue fateor (inquit) me maiorum scripta legere & in Commentarijs secundum omnium consuetudinem varias ponere explanationes, vt è multis sequatur vnusquisq; quod velit. Atqui D. Augustinus Hieronymo respondens, Ego verò fateor charitati tuæ (inquit) solis eis scripturarũ libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc honorem timoremq; deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. At si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum fuisse codicem, vel interpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi sic senserunt, sed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero nõ abhorreat, persuadere potuerunt.

Aliorum enarrationes.

fuerunt. Nec te mi frater sentire aliquid aliter existimo, prorsus inquam te non arbitror sic legi tuos libros velle tanquam prophetarum & Apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant, dubitare nepharium est. Hæc Augustinus. Proinde nos aliorum expositiones tum maxime protulimus cum ipsos scopum attigisse crederemus: deniq; & in hoc protulimus, ne illi qui oraculi loco habent quod Lira, Hugo, Scotus atq; Thomas ille Aquinas prodidere, subinde calumniari possent explanationes illas quas nos conscribimus nuper esse domi nostræ natas. Aliâs quod veteres olim protestarunt, & nos semper in omnibus alijs opusculis nostris testati sumus, idem & in præsentiarum ingerimus hæc iudicanda iuuandi studio esse vulgata. Per me enim pijs Lectoribus expendere licet quidpiam, quid necessarium, quid vtile, quid genuinum, quid ascititium, quid superuacaneum vel affectatum sit. Nolo enim meis scriptis vt Canonicis credi. Nolo sanctis & doctis huius æui hominibus præiudicare. Quod si alteri melius quippiam fuerit reuelatum, non inuidebo. Ego enim hac lege scribo, mihi vt integrum sit curta producere, obscurius dicta illustrare, inuoluta explicare, singulaq; rectius (si necesse sit) instituere. Cur enim mihi iam trigesimum agenti annum non liceat, quod Augustino plus quam sexagenario Retractationes scribenti veterano vtique episcopo licuit? Scio equidem faciendi libros (vt propheta ait) nullum esse finem, & quod poëta dicit:

Scribimus indocti doctiq; poëmata paßim.

Atqui hæc nostra in illum librum, in quem pauca extabant, non ingrata fore credidi, quibus & ad scripturas legendas incitare volui magis quàm humana commentatione à scripturis auocare. Cæterum quum omne incrementum solius Dei sit, hunc oramus vt ipse gloriam verbi sui quam hactenus mille quingentis annis (totidem enim anni hoc XXXIII. *supra millesimum quingentisimum numerantur, ex quo de Zion exiuit Lex, & verbum Domini de Ierusalem) inuitis omnibus aduersarijs potestatibus quàm latißime (vt hoc libro Lucas indicat) prouexit, & victrice virtute protexit, in finem vsq; quàm latißimè propaget, in cordibus hominum confirmet, & ab impiorum manu asserat. Et vos quidem, viri clarißimi fratresq; in Christo venerandi, obtestor per Domini nostri Iesu Christi virtutem & aduentum eius, vt neglectis mundi minis, artibus & promißis, vni Deo per filium eius Iesum in vera fide secundum scripturas sanctas firmiter adhærere pergatis. Paulus ille cælestis sapientiæ præco, Prædicatio mea (inquit) non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in ostentatione spiritus ac potentiæ, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Reiectis itaq; commentis humanis fundamento Christo innitimini, quem nemo purius docere potest scriptura sancta. Multa sanè Christi nomine patienda esse tradit spiritus sanctus, sed qui perseuerauerit in finem vsq;, dicit Dominus, hic saluus erit. Fidunt alij in periculis fœderibus, armis, opibus, per se quidem minimè malis: vos autem Deo fidite, cui qui se verè credit in æternum non peribit. Dominus ille omnipotens, clemens & misericors per Christum Dominum fidem in vobis semper augeat, & quod cœpit confirmet, Amen. Tiguri*

XXV. *Augusti. Anno à Christo nato*

M. D. XXXIII.

COMMENTARIORVM HEINRYCHI BVLLINGERI IN ACTA APOSTOLORVM INDEX.



B

Baptismus

T

V

Vadimo-

FINIS.

DE AVTHORE, INSTITVTO ET RATIONE HVIVS OPERIS, AD LECTOREM

Præfatio.

Commendatio authoris & operis.

CONSTAT *Diuum Lucam professione fuisse medicum, natione Syrum, patria Antiochenum, amœni & tersi ingenij virum, qui à restaurata per Apostolos vera religione, ijs, Paulo in primis adhæsit, quo & præceptore vsus, tandem duos de Euangelica historia libros conscripsit. Alterum quidem de Actis & doctrina Christi in partibus Achaiæ & Bœotiæ, vti ab ijs didicerat, qui cum Christo conuersati fuerunt, ædidit. Alterum verò de Actis ac doctrina Apostolorum Romæ conscripsit, dum in vinculis teneretur Paulus, non audita iam referens, vt superiori, sed visa, idque mira energia, grauitate, & elegantia. Merito itaque maximus honor huic operi semper est habitus. Hieronymus enim, Acta (inquit) Apostolorum nudam quidem videntur sonare historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere, sed si nouerimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cuius laus in Euangelio est, animaduertemus pariter omnia verba illius animæ languentis esse medicinam. Neque verò ab his admodum absunt D. Erasmi verba de hoc opere testantis: Quid quæso hæc historia aliud est, quàm Euangelij pars, eaq; meo iudicio non minima? Siquidem illic describitur granum frumenti solo conditum, hic describitur enatum ac suas paulatim aperiens ac proferens opes. Quod ni per Lucam cognouissemus, quibus modis Christus reliquerit terras, vbi, quo loco, quibus modis aduenerit promissus ille spiritus, quibus initijs cœperit Ecclesia, quibus rebus polluerit, quibus creuerit rationibus, nónne bonam Euangelij partem ignorassemus? Rectè itaque Beda, Hic (inquit) non solùm vsque ad resurrectionem assumptionemq; Domini perduxit narrationem, vt cæteri, verum etiam deinceps quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credidit ad ædificandam fidem legentium seu audientium, ita scripsit, vt solus eius liber fide dignus haberetur in Ecclesia de Apostolorum actibus narrantis, reprobatis omnibus qui non ea fide qua oportuit, facta dictaq; Apostolorum scribere ausi sunt. Sed & Ioannes Chrysostomus mirantibus quî factum sit, vt Lucas historiam Apostolicam non omnem ad finem vsq; sit persequutus, aut singulorum gesta singulis non descripserit libris, pulchre respondet, Hæc quidem sufficiebant his, qui modo animum volunt aduertere.*

Cur non plura scripserit Lucas.

Argumentum libri.

Audiemus enim in breui hac historia totam pietatis summam esse comprehensam. Audiemus quæ fuerit Ecclesiæ infantia, qui auctus, quæ Ecclesiæ iustæ facies, quæ doctrina Apostolorum, qui veteris Ecclesiæ ritus, quæ studia, quæ religio, fides, doctrinaq; vera vel falsa, vetus vel noua, qui veri vel falsi doctores, qualia vtrorumque ingenia, quæ artes, qui mores: item qualia sint mundi studia, quales persequentium animi, successus, qualiáue fata. Breuiter, videbimus miram Ecclesiæ faciem, sed prorsus absolutam, nunc quidem in summa tranquillitate euectam florere, mox inter turbas hæresum & persequentium, in pericula abiectam, mire angi & fluctuare, Deum vbique opitulari, itaque Ecclesiam in ipsa oppressione seipsa subinde speciosiorem emergere. Quicquid enim ad salutiferam cognitionem & ad pietatem excolendam necessarium est, quicquid à primarijs Apostolis, Petro ac Paulo in primis, vel egregiè dictum vel sapienter & piè factum est, id absolute & plene hoc libro traditum est. Totidem autem annorum historiam texit, quot capita habet, octo videlicet & viginti. Si enim Tiberius vigintiquatuor annis regnauit, decimooctauo regni eius passus est Christus, restant igitur anni sex, his adde C. Caligulæ quatuor, Claudij verò quatuordecim, & ex Neronis imperio annos quatuor, & habebis annos vigintiocto. Nam secundo Neronis anno, Paulus Romam vinctus venit & biennium in libera custodia exegit. Hæc verò paucis de authore & opere præsenti delibare volui: nunc quod nostrum institutum attinet, nulla alia

Anni huius historiæ.

De Commentarijs.

caussa Commentarios nostros in libros distinximus, quàm quòd hæc diuisio nonnihil ad perspicuitatem historiæ facere, deinde & studiosorum memoriam videretur adiuuare, qui minimo negotio totam intelligent, ediscentq́, si in certos locos diffusam colligant. Facilius enim & certius cognoscimus, quæ certis designatisq́; in locis, ceu in arctum certumq́; numerum compactá collocataq́; contemplamur, quàm quæ in longum latumque diffusa neque exacte videre neque memoria complecti possumus. Proinde totum opus in sex partiti sumus libros.

Libri primi argumentum.

At primo hoc, quo quinque priora exponimus capita, tractamus discessum Christi, & Ecclesiæ primordia: nempe quomodo Apostoli promissum Patris expectantes, spiritum acceperint, huius auspicijs & robore Ecclesiam congregarint, quid & quomodo Christo testimonium dederint ac veram religionem prædicarint, quomodo Ecclesiam hanc nouam Christi sponsam Christo initiarint, instituerint, duxerint, quibus imbuerint ritibus, quibus denique studijs intenti vicerint tot minas & aduersariorum artes. Hic videre est, qui sint impiorum mores, quæ sutelæ, quæ sanctorum patientia & victoria. Verum satis iam præfati, videamus quæ sit authori in præsentem historiam præfatio.

COMMEN-

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.

SVPERIORE quidem volumine diximus Theophile, de omnibus quæ cœpit Iesus tum facere tum docere, vsq; ad eum diem, quo assumptus est, posteaquam mandata dedisset Apostolis (quos elegerat) per Spiritum sanctum.

HAEC ad ea vsque verba, Congregatis ergo illis in locum vnum, præfationis vice sunt ab authore præfixa. Non enim vulgariter historiam sacram texit Lucas, sed doctissimè, adeò vt optimis quoque prophanæ historiæ scriptoribus possit conferri, licet ipsa dictio non sit vsqueadeò superstitiosè exculta, pura tamen est, grauis ac elegans. Hisce verò posteriorem librum pulcherrimè nectit priori, ceu epilogo & anacephalæosi po tissima primi libri repetens. Duos enim libros (vti diximus) de Euangelica historia conscripsit, qui rectius committerentur, quàm quod vulgari more, Ioannis Euangelio interposito, interrumpuntur. Priorem autem quem de vita Christi conscripsit, partitur hic in Facta & Doctrinam. Per facta autem intelligit beneficia, miracula & gesta historica. At per doctrinam dogmata, decreta, sermones, & disputationes varias cum varijs hàbitas. Proinde non est quod multis hic disputemus faciendum ne prius doctori Ecclesiastico quod docet, an docendum quid facias. Agnoscimus sanè elegantem illum ac piam D. Hieronymi ad Fabiolam sententiam, Prius faciamus & sic doceamus, ne doctrinæ authoritas cassis operibus destruatur. Sed quæque suis in locis si dicantur, quadrant. Vera quidem sunt illa, sed non in loco. Porrò Lucas historicos suos libros eidem dedicauit Theophilo. De quo multi disputant proprium an commune nomen sit, episcopi vel magnatis alicuius, an commune omnium veritatis & Dei studiosorum? Et verisimilius est id quidem epitheton esse pij lectoris: quanquam nó desint qui proprium alicuius viri nomen esse asseuerent, sed parum retulerit quid hic quisq; sequatur. Sanè Theophilus sonat amans Dei, Ein fründ oder liebhaber Gottes. *Stilus & ratio scribendi authoris.* *Theophilus.*

De omnibus.) Hic quærit Ioannes Chrysostomus, cum Ioannes scripserit impossibile esse vt omnia Christi possint scribi, quomodo Lucas dicere potuerit de omnibus? Et respondet, Atqui non dixit omnia, sed de omnibus. Perinde ac si quis dicat summatim & in genere: aut de omnibus loquitur quæ necessaria sunt. Atq; in eandem sententiam exponit etiam Beda. Omnia igitur quæ necessaria sunt, vt de Apostolorum gestis & Christi in primis credantur scianturque literis prodita sunt sacris. Quid ergo ogganniunt pontificij? *Non omnia, sed ea quæ necessaria scripta sunt*

Vsque ad eum diem.) Paulò confusior ordo est in receptis codicibus Latinis: vetus interpres expressius & simplicius vertit, Vsque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. Vnde rectè monet Beda longum texi hyperbaton. Sentit enim Lucas se priori libro complexum quicquid Iesus & dixerit & fecerit egregie, ad eum vsq; diem, quo assumptus est, prius tamen conuocatis Apostolis & cómonitis, vt Hierosolymis expectarét promissum Patris. Proinde crediderim synchesin hác sic explicari posse: Superiori potissima libro queq; & factorũ & dictorum Christi Domini ad eum vsque diem persequutus sum, quo ille in cœlum assumptus est, posteaquam Apostolis (quos elegerat) de Spiritu sancto præcepta dedisset, aut præcepisset. Itaque διὰ πνεύματος ἁγίου positum arbitror pro περὶ πνεύματος ἁγίου. Et Chrysostomus hunc locum exponens, Per Spiritum præcipiens (inquit) hoc est, spiritualia ad illos verba loquutus, nihil autem humanum, rem claram aliquanto obscuriorem reddit. Nam Lucas nihil aliud intellexit, quàm illud ipsum mandatum, quòd paulò post clarius exponet, ne Hierosolymis discedant, sed Spiritum expectent. Hoc inquam mandatum de Spiritu dedit.

Quibus etiam seipsum exhibuerat viuentem, posteaquã supplicio fuisset affectus: idq; compluribus argumentis, dum per dies quadraginta conspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno Dei.

De resurrectione & clarificatione. Ad epilogum superioris libri pertinent & illa argumenta, quibus Dominus veram corporis sui resurrectionem Apostolis comprobauit. De quibus satis Luc.24. Ioan.20.21. & 1. Corinth.15.cap. scriptura testatur. Quod autem nos legimus, quibus seipsum exhibuerat viuentem, id longè viuidius Græce est, παρέστησεν, id est, ob oculos statuerat. Hoc enim emphasim habet. Et quæ nos argumenta, Græci vocant τεκμήρια. Hæc à Rhetoribus ponuntur inter probationes artificiales, de quibus Fabius in 5. Cicero in Partitionibus τεκμήριον vocat propriam rei notam, nos argumentum, quod signum est per quod fides fit rei alioqui dubiæ. Cuius generis videri poterat demonstratio manuum ac pedum, fixura clauorum insignium, contactus quoque lateris, esus item piscis & faui mellei. Huc accedit & temporis circumstantia, dies nempe quadraginta. Quæ omnia tam grandia sunt & certa, vt vecors prorsus fuerit qui de resurrectione corporum dubitarit. Videas hodie inter eos quoque qui in doctorum numero recenseri volunt, nescire plures quale sit corpus clarificatum. Statim enim atq; inuisibilem quampiam rem adeoque & incorpoream demonstrare volunt, corpus Christi clarificatum proferunt, huiusque collatione mendacia sua confirmant. Quasi verò clarificatum corpus, corpus esse desinat, & in spiritum vertatur. Quòd si verum esset, quæ iam esset corporis resurrectio? Secus de hac re iudicauit Scriptura, secus iudicauit Tertullianus, Irenæus atque Augustinus. Corpus ergo clarificatum corruptibile corporis exuit, at non ipsum corpus ac substantiam prorsus abijcit aut in spiritum vertit, sed in melius mutat, manente interim corporis siue carnis substantia. Idem præscribunt & Definitiones Ecclesiasticæ cap. 6. vbi legis, Si resurgere dicitur quod cadit, caro ergo nostra in veritate resurgit, sicut in veritate cadit. Et non secundum Originem immutatio corporum erit, id est, aliud nouum corpus pro carne, sed eadem caro corruptibilis quæ cadit, tam iustorum quam iniustorum, incorruptibilis resurget, quo vel pœnam sufferre possit pro peccatis, vel in gloria æterna manere pro meritis. Sed hæc causa satis diligenter à veteribus aduersus Valentinianus tractata est. Et Augustinus de Agone Christiano cap.24. Nec eos audiamus (inquit) qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, ipse non dixisset post resurrectionem discipulis, Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Sacrilegum est enim credere Dominum nostrum, cum ipse sit veritas, *Vide 1. Cor.15.* in aliquo fuisse mentitum. Hæc in transcursu, propter eos maximè annotamus, qui se vicisse credunt, cum obijciunt, corpus clarificatum in Cœna edi. Non enim nunc dicimus, quòd ita à verbis quoq; consecrationis exciderunt, quæ sunt: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Quis enim vnquam credidit impassibile corpus, quale clarificatum est, posse tradi, hoc est mori? Hæc illorum præclara victoria. Huc tandem delabimur contentionis studio. Simplex alioqui veritas est & exposita mentibus fidelium, at intricata & obscura in animis arroganter pro gloria & vtilitate sua litigantium.

De regno Dei.) Regnum Dei secundum dispensationem vel nostri respectu duplex est, cœleste & terrenum. Disseruit ergo de vita beata, de immortalitate & felicitate perpetua, denique quomodo per prædicationem Euangelicam corda piorum parari possint ad aduentum sancti Spiritus, vt Dei templū fiant. Sic enim & in hisce terris regnat Deus in cordibus fidelium per fidem innocentiam & puritatem. Sic inquam apud Apostolos de regno Dei per quadraginta istos dies continuos disseruit, adeoque & animos eorum ad aduentum Spiritus sancti parauit. Hactenus verò huius libri posterioris præfationem priorisq; anacephalæosin pertingere credimus.

CAPVT I.

Congregatis verò illis in idem loci præcepit eis, ne discederent Hierosolymis, sed vt expectarent promissum Patris, de quo, inquit, audistis ex me: quoniam Ioannes baptizauit quidem aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto post dies hosce non multos.

PER Epanaphoram denuo in manus sumit, quæ strictius in fine superioris libri tradiderat. Iterum enim copiosiusq; exponit præceptum illud de Spiritu sancto, & quomodo cœlos ascenderit Dominus. Igitur posteaquam terras (inquit) deserere & cœlos repetere statuisset Dominus, prius cōuocat discipulos, vtpote charissimis (vt fieri solet) maxima quæque commendaturus ostensurusq; quid posthac faciant. Hic ergo præcipit ne Hierosolyma discedant, sed Patris promissum expectent. Hierosolyma enim Proohetarum vaticinio constituta erat, vt religionis esset caput ac fons, vnde ad omnes alias gentes manaret lex diuina. Consulatur super hac re Isaias in secundo, & Micheas in quarto cap. Porro ipsum Dei donum Spiritum sanctum vocat promissum Patris, & propter prophetiam veterem, quæ est apud Isaiam in 44. apud Ieremiam 31.

Ezech.

Ezech. quoq; 16. item apud Ioelem in 2. & suam ipsis pollicitationem quæ extat Ioannis 14. & 16. Sic enim plurima adducit ceu à pronuntiatis testimonia, vt illorum mentes confirmaret. In primis verò euidens est sanctissimi Baptistæ testimonium. Is iam olim dixerat se aqua tantummodo baptizare, Christum verò Dominum spiritu baptizaturum. Ideo tamen nemo contemnat baptismum Ioannis. Idem enim est cum baptismo Christi & Apostolorũ. Baptizarunt enim Apostoli aqua in nomen Christi. Baptizauit & Ioannes aqua in venturũ. Vana ergo sunt quæ disputãtur à nonnullis de discrimine baptismi Ioannis & Christi. Interim alij rectè distinxerunt inter baptismũ aquæ & ignis. Igne enim solus Christus baptizat. Solus enim confert Spiritum sanctum. Et ignis baptismus aliud nihil est, quàm donum sancti spiritus, quod post aliquot dies copiose super discipulos effudit, dicente Luca, Visæ sunt dissectæ linguæ velut igneæ, seditq; super singulos eorum & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Dicitur autem ignis baptismus ad imitationẽ aquæ baptismi. Et hęc duo elementa instituto Domini pulchre congruũt. Nam vt aqua vel hodie purgamur, ita olim igne lustrabãtur fontes. Et res visibiles significantur per signa visibilia. Habuit ergo Ioannis quoq; baptismus qui aquæ erat suum mysterium, quemadmodum & Apostolorum, vt non sit ideo contemnendus quod aquæ baptismus dicitur. Significat enim eum qui tingitur absolui & ablui à peccatis, sed per Christum. Hic enim solus absoluit. Abluit & minister, sed suo more. Christus est perfectio, is confert Spiritum sanctum, serenat conscientias, & imaginem diei in nobis restituit.

Illi igitur vbi conuenissent, percontabantur illũ, dicentes: Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israel?

Dominus de Spiritu disserit, illi carnem malunt. Stultam enim ingerunt de futuro Israelis carnalis imperio opinionem, quam omnibus eius gentis hominibus imis infixam fuisse pectoribus, & verba matris filiorum Zebedæi, & Cleophæ apud Lucam in 24. cap. testantur. Sperabat enim Iudæorum gens omnem rerum summam ad se fore deuoluendam, figurata Prophetarum oratione aut propria verius oscitantia decepti. Prophetæ enim amplissimis verbis augustum illud Messiæ imperium describentes, imprudentibus occasionem dedere carnalia hæc cogitandi & sperandi. Verum longè aliud fuerat Prophetarum institutum, quod tamen (communi genere dicendi) amplificationibus, hyperochis, allusionibus, alijsq; id genus ornamentis suffigurarunt. Id cum illi non expenderent in fœdum illum errorem deuoluti sunt, in quem & hodie quidam deuoluuntur, qui contendere & litera occidente pugnare malunt, quàm pietatem promouere. Graphicè verò adumbratur vt sese humana mens erga dei præcepta gerat, quid caro nostra in veritatis negotio quærat. Quid verò multis opus? Euangelium animi bona pollicetur, nos opes, voluptates, honores, carnem mallemus. Rectissimè ergo in hunc locum Chrysostomus, Non volebant (inquit) sese conijcere in pericula, sed respirare potius ac refocillari. Idem & hodie in multis videre est, qui olim omni conatu Euangelium cupiebant promotum, non alia causa quàm quod ad rem attentiores pro re sua fore putarent: nunc cum tribulatio pro voluptate irrepit, & carnalia magis abneganda quàm ambigenda esse audiunt, Illud ne præclarum hoc (inquiunt) Euangelium? Speraueram Gygis annulum esse inuentum, at nunc video malorum glomos in medium esse positos. Hi aut non perstant, aut non syncero animo in euangelio agunt, quia non syncera mente veritatem susceperunt. Oculus enim ipsorum prauus est. Est aliud etiam hominum genus minime malitiosum, & tamen affectibus hisce carnalibus deditum, qui mallent impios omnes & verbi dei hostes simul esse profligatos, cæsos, attritos, pietatem contra assertam & in pace ac tranquillitate res fidelium citra crucem florere. Conqueruntur tales de temporum iniuria, sed cum tempore tamen discunt quod per crucem pateat aditus ad vitam. Perstant ergo & subinde ad saniora perueniunt. Quemadmodum & Apostoli sequentibus à vana spe ad meliora transferuntur.

Carnale Israelis regnum.

Dixit autem ad illos: Non est vestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius cõstituit potestate: sed accipietis virtutem, posteaquam Spiritus sanctus aduenerit super vos, & eritis mihi testes, non solùm Hierosolymis, verumetiam in vniuersa Iudæa, Samariaq́;, deniq́; vsq; ad extrema terræ.

Quemadmodum enim vbiq; curiosas & inutiles discipulorum quæstiones, in locum aliquem communem digrediens, salubri quopiam dogmate elusit Dominus: sic hoc quoq; loco carnalem affectum & quæstionem inutilem omniscientia & inculpabili administratione prouidentiaq; Dei retundit. Sic ad matrem filiorum Zebedæi primatum filijs petentem dicit, Nescitis quid petatis: & protinus de suscipienda & ferenda cruce disserit. Ad Cleopham verò querula voce dicentem: Nos spe-

Curiosæ & inutiles quæstiones.

rabamus eum esse illum qui esset redempturus Israel, dixit, O stulti & tardi corde ad credendum omnibus quæ in Prophetis scripta sunt: & protinus ex Prophetis disputat de redemptionis mysterio. Rursus ne Apostoli in Euangelio curiosius rimarëtur articulum extremæ diei, ait istam horam post patrem nemini esse cognitam: deinde ad vigilantiam hortatur & sobrietatem. Ita hic quoq; paucis illorum retrudit quæstionem, & anxios reijcit ad Spiritus sancti institutionem. Longum enim & incommodum fuisset paranti discessum, stultam de carnali restitutione Israelis opinionem conuellere: ergo paucis, Administrationem rerum (inquit) ipsam inquam administrandi occasionem & opportunitatem Deo permittite, vos vestra curate. Ille non deerit promissis, restituet regnum Israeli, sed suo modo, loco, ac tempore. Vos interim expectate Spiritum sanctum, nihil soliciti quomodo Deus fidem suam præstet. Obseruandum verò illud quod in hunc locum annotauit Erasmus, καιρὸς hoc loco plus quiddam esse quàm χρόνος. Hoc enim propriè esse quoties de genere seu modo spacióue temporis agitur, veluti seculum, annus, dies, mensis, hora. Illud autem articulum ipsumq; momentum ac punctum (vt aiunt) in quo res sit agenda. Et sanè duo sunt quæ anxios mirè solicitant torquentq;, quando nam, id est, quo tempore, siue quàm breui cupita res sit restituenda: deinde qua opportunitate, quóue modo aut consilio. De vtroq; non vult suos esse solicitos. Hoc enim omne in manu, hoc est, administratione Dei esse, qui & satis tempestiuè ac opportunè minimoque negotio res quasuis expediat, quas pro gloria nominis sui & Ecclesiæ esse nouit. Id verò nobis quoque dictum putemus, qui de successu rerum & futuris præ modum curiosi & anxij sumus, at de pietate & vitæ sanctimonia nihil soliciti. Age itaque permittamus conditori rerum, tempus quo quæq; agat, & opportunitatem siue medium per quod commodè quæq; agat, nos interim pietati studeamus. Promouebit ille gloriam suam, vindicabit Euangelium, sed & impios verbi hostes profligabit eo tempore modo ac consilio quo illi visum fuerit. Hic quid nostra retulerit quando, aut quomodo id futurum sit? Aduigilemus potius ne & nos simus impij vel hypocritæ, ambulemus in iustitia coram ipso, expectantes in patientia & vera animi constantia Domini redemptionem, qui sperantes in se nunquam deseruit. Id verò in primis venustum est, quod dicit, Accipietis virtutem: id est, robur. Alludit enim ad pusillanimitatem imbecillitatemque illorum. Quasi dicat: Hæc verò quæstio aliunde non proficiscitur, quàm ex imbecilli animo, quod carnalibus imbutum opinionibus, prorsus in diuinis laborat negotijs: dabo itaque Sanctum spiritum vt is vos sanet, instituat, absoluat, roboret. Id vbi factum fuerit, eritis mihi testes, sentietisque quale nam regnum Israelis futurum sit, spirituale nimirum, in quo vos non reges eritis, sed testes redemptionis per crucem meam, quam nō modò Iudæis, sed & omnibus prædicabitis in circumitu gentibus, vsque ad extrema terræ. Sic enim loquutus est Dominus, Dabo te in lucem gentium, vt sis salus vsque ad extrema terræ, Isaiæ 49. Cæterùm Gentibus non prædicarunt Euangelium priusquam Petrus nobili visione vocaretur ad Cornelium. Ibi verò clarius & copiosius disputatur de vocatione Gentium.

Consolatio.

Atq; hæc loquutus, videntibus ijsdem, in altum sublatus est, & nubes sub duxit illum ab oculis eorum.

Καὶ ταῦτα εἰπών, ἀντὶ ταῦτα δὲ εἰπών. Nec plura loquutus, benedixit, id est, valedixit suis, & cœlos ascendit, idq; eis inspicientibus. Nubes autem suscipiebat ipsum. Hoc enim signum erat ipsum in cœlum ferri. Nam nubes cœli symbolum est, dicente Propheta, Qui posuit in nube ascensum suum. Sed & in monte sancto obumbrauit eum nubes lucida. Et Beda interpres, Vbiq; creatura (ait) suo creatori præstat obsequium. Astra indicant nascentem, patientem obnubunt, nubes recipiunt ascendentem, redeuntem ad iudicium concomitabuntur.

Quumq; essent defixis in cœlum oculis, eunte illo, ecce viri duo adstiterunt illis, amicti vestibus albis, qui & dixerūt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

De ascensione Domini.

Maximum est ascensionis Domini mysterium, maxima vis, proinde rem grandem maximis, multis & multò certissimis approbatam oportuit testimonijs. Primo ergo hæc fiunt in conspectu discipulorum, vt & ipsi nil dubitarent, & alijs certiores forent testes. Deinde apparent angeli, quos ob assumptam speciem viros vocat. Cæterùm duo apparent. Nam in ore duorum aut trium stabit omne verbum. Apparent autem albis vestiti. Nam ad sepulchrum quoque dum resurrectionis testes essent, fulgurante veste comparent. Quin & ipsum Dominum Iesum candida veste comptum cernebant discipuli, dum transformaretur in monte sancto. Et candida veste cincti in triumpho equis albis vehebantur victores Romani. Color ergo candidus victoriæ, clarificationi & imperio

consecra-

consecratus est. Iam cum angeli adhibiti fuissent dominicæ conceptioni, natiuitati, passioni, resurrectioniq;, non potuerunt non interesse ascensioni. Sic autem loquuntur illi de ascensione Domini ad discipulos, Viri Galilæi. Discipulos autem è loci vocabulo, veluti dignitate, robore animi ac constantia præminentes compellant. Quid enim alioqui opus erat eos audire cuias erant patriæ, cum id nequaquam ignorarent? Hinc ceu expostulantes socordiamq; apostolis improperantes, non citra Emphasim addunt, Quid statis intuentes in cœlum? Quid apud Græcos viuidius est, τί ἑστήκατε ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν? Porrò quod hic dixit ἐμβλέποντες, id paulo superius dixit ἀτενίζοντες. Est autem ἀτενίζειν fixis & immotis (vt inquit Erasmus) obtueri oculis, amantium more. Iam sequitur assumptionis testimonium, οὗτος ὁ Ἰησοῦς, Hic ille Iesus, nempe qui à vobis in cœlum assumptus est corpore visibili & vero, ad eum prorsus modum redibit, ὃν τρόπον quemadmodum vidistis abeuntem. Id est, in eadem forma carnis (vt Beda ait) atque substantia veniet iudicaturus, in qua venerat iudicandus, cui sanè immortalitatem dedit, naturam non abstulit. In quam sententiam & D. Augustinus (ex quo ille verba sua transcripsit) ad Dardanum de præsentia Dei cap. 2. Memoriter recole (inquit) & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam Christus resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde quam inde venturus est iudicare viuos mortuosque iudicandos: & sic venturus est illa angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbiq; vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit, Quod in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamen sicut ille vbique sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus in homine proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & Homo est, & vtrunque est vnus Christus Iesus, vbiq; per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo est. Hæc Augustinus, quem fortassis Sacramentarium esse conuiciabuntur quidam, quibus placet ibi quoque iuxta humanitatem esse Christum vbi est secundum diuinitatem. Sed nemo est vel modice in sacris versatus literis & harum interpretibus, qui non ad pudendum illum errorem obstupescens vociferetur, Contendendo certe amittitur veritas. Nunc quod attinet mysterium ascensionis Dominicæ, Sept. Tertull. de resurrectione carn. Christus (inquit) sequester Dei atque hominum appellatus, ex vtriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum seruat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum pignus totius summæ, illuc quandoque redigendæ. Securi estote caro & sanguis, vsurpastis & cœlum, & regnum Dei in Christo. Quod si verum est (vt sanè aliter habere non potest) iam peccata hominum expiata sunt, cœlum apertum est, spes immortalitatis confirmata est. Victor quoque Christus ecclesiam suam tueri potest, nec quisquam est qui posthac electos damnare possit. Christus enim victor is est, qui cœlos ascendit, qui ad dexteram patris sedet, & intercedit pro nobis. De qua re copiosius ad Roman. 8. ad Hebr. 5. 7. 8. 10. & Ioan 14. Præterea necessarium erat vt caro Christi auferretur ex hoc mundo, vt tota religio in spiritum dirigeretur, & vt animi fidelium à terrenis ad cœlestia, vbi Christus est, erigerentur. Hactenus verò pertingit Corollarium istud ad superiorem magis historiam pertinens quam ad præsentem: quæ iam sequuntur peculiariter præsentis sunt instituti. Nunc enim audiemus quid actum sit posteaquam terras corpore deseruerat Dominus, & quomodo discipuli se ad donum Spiritus sancti pararint suscipiendum, item quomodo Spiritus sanctus sit missus.

Mysterium ascensionis.

Vide quid in cœlis agat Christus.

Ioan 16.

Coloss. 3.

Tunc reuersi sunt Hierosolymam à monte, qui vocatur Olíueti, qui abest Hierosolymis iter sabbati

Pia mens neque grauatur, neque tardat diuinis obsequi præceptis. Nihil ergo morantur, nihil disputant, sed eò redeunt quo redire & spiritũ præstolari præceperat Dominus. Faciamus nos quoque summo studio, alacritate læta & accurata diligentia quodcunque ille facere præcepit. Porro loci nomen exprimitur, è quo cœlos ascendit, non modo ob historiæ fidem, sed ob mysterij etiam sublimitatem. Siquidem vt humanæ imbecillitatis maximiq; erga nos amoris argumentum æderet, in eodem oliuarum monte cum morte colluctans sanguinem desudat. Iterum ergo cœlos ex eodem migrat, vt certum diuinitatis exhiberet specimen. Etenim hoc ipsum iam olim prædixerat apud Ioan. in sexto fore vt ex ascensione ad cœlos intellecturi essent ipsum esse filium Dei. Hinc in superiori historia legimus, Et adorato eo redierunt Hierosolymam. Præterea indicatur & loci distantia, Iter sabbati. De quo copiosius disputauit. D. Hieronymus quæstio. ad Algasiam 10. Aiunt autem esse spatium bis mille passuum. Eo quod Ioannis duodecimo scribatur Bethania à Hierosolymis abfuisse stadijs

quindecim, quæ tamen in latere montis oliuarum sita sit. At quindecim stadia paulò minus efficere quàm passuum duo millia. Videtur hoc totum ex ijs enatum verbis Moseos, quæ Exod. decimo-sexto in hanc extant sententiam, Maneat vnusquisque apud semetipsum & nullus egrediatur de loco suo die septimo. Diuus Chrysostomus. Mihi videtur hæc (inquit) in sabbato gesta fuisse. Alioqui non ad istum modum indicasset interuallum loci. Quod quam verè dixerit deprehendes si à resurrectionis die quadraginta numeraueris dies. At resurrectionis dies in vigesimum Martij incidit, si modo Tertulliani computatio non fallit, quæ est Christum crucifixum esse Conss. Rubellio Gemino & Rufio Gemino, mense Martio, temporibus paschæ, die VIII. Calend. April. quæ apud nos est Martij vigesimaquinta. Sed hæc obiter.

Et cum introissent, ascenderunt in cœnaculum, in quo habitare solebant, Petrus inquam & Iacobus, & Ioannes, & Andreas, Philippus & Thomas, & Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi frater.

Non huc atque illuc magna quædam iactantes discurrunt, sed sese intra domus penetralia recondunt, donec adsit tempus & occasio benefaciendi. Habuerunt autem certum designatumq; locum, in quo dum Hierosolymis agerent habitabant, cuius hic fit mentio. Nemo enim sanus de honestissimis crediderit viris (quod de balatronibus credimus) omnium perreptasse ædes. ὑπερῷον verò æditior est in ædibus locus, Latini cœnaculum vocant, non equidem locum in quo cœnatur. Festus enim cœnaculum vocat domus superiora ad quæ scalis ascendebatur. Orientalibus vero suus fuit in construendis domibus mos. Germani vocaremus Die loben/Die winden oder den saal. Locum in quam in ædibus patentiorem & aliquanto ampliorem. Sed vide lector quā tenui ædificio, & omni magnificentia carenti contenta fuerit apostolica simplicitas. Nihil tale videas hodie in horum (vt videri volunt) sequacibus, quibus non sufficit vel Priami regia, vel ambitiosa Babyloniorum structura. Nominatim autem recensentur religionis Christianæ proceres, quod multum referat istorum nouisse nomina, qui primarij nobis dati sunt à Deo veræ pietatis antistites. De singulis qui plura velit legat apud D. Hieronymum in eo libello quo numerat scriptores ecclesiasticos, cui studiosus aliquis reliquorum apostolorum, qui nihil scripsere, vitam & interitum adiecit. Hoc annotandum videbatur de tribus postremis.

IACOBVS Alphæi fuit filius, Simonis & Iudæ frater, quem Mar. in 15. paruum cognominat, nimirum ad differentiam maioris, hoc est senioris, qui Hierosolymis occubuit, & frater Ioannis fuit. Minorem vetustas iustum & ipsæ sacræ literæ fratrem Domini appellauere. Hic Hierosolymorum fuit episcopus, cuius acta meminerunt & Paulus in Gal. tandem verò è pinna templi præcipitatus è viuis excessit. Beda hoc loco eos redarguit, qui tertium quendam confinxere Iacobum, quasi is qui Iustus & frater Domini appellatus fuit, alius fuerit à Iacobo Alphæi. Ostendit enim vnum duntaxat fuisse Iacobum, qui & Alphæi, & Iudæ, & Iustus, & frater Domini sit nuncupatus. Mater huius matertera fuit virginis, Maria Cleophe vel à patre, vel familia Cleophe dicta, quæ & Iacobi nonnunquam dicitur, Iacobi inquam mater.

SIMON cognomento Chananæus, idem est qui & Zelotes, ortus è vico Cana, in quo Dominus aquam in vinum conuertit. Et Cana authore Hieronymo interpretatur zelus: hinc nimirum Simon Zelotes, & ob patriam & ob feruentem zelū dictus est. Hic ab antiquis scriptoribus dicitur consobrinus Domini. Egesippus enim tradit Cleopham Simonis ex matre auum, Iosephi nutritij Domini fuisse fratrem.

IVDAS, ob differentiam Iscariotis, Iacobi dictus est, non vtique pater aut filius, sed frater. Hic apud Euangelistas trinominis est. Nam & Lebbęus, & Tathęus cognominatur.

Hi omnes perseuerabāt vnanimiter in deprecatione & obsecratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, cumq; fratribus illius.

Vide sanctissimum optimorum hominum consortium. Vide in his quid possit consummatrix omnium constantia. Vide vt illi sese ad Spiritus sancti aduentum parent. Discamus ergo & nos potissimas in Ecclesia res esse Concordiam, Orationem, & Perseuerantiam, hisce parari corda ad Spiritus sancti maxima dona. Rectissime ergo & elegantissimè Paraphrastes, Nunc vide (inquit) quid hic agatur, Non rixis aut fabulis otiosis teritur tempus, sed erant omnes vnanimiter perseuerantes in sacris precationibus. Non est Ecclesia Christi, vbi non est vnanimitas. Non sunt Deo gratæ preces, vbi non est fraterna concordia. Nec meretur audiri, nisi qui perseueranter orauerit. Idem orat,

Concordia & Constantia.

Euange-

Euangelica cōgregatio. Vbi alius orat opes,alius optat mortem inimici,alius longæuitatem, alius re gnum,alius aliud, ibi non eſt eccleſiaſtica deprecatio.Fratres autem(ne quis forſan miretur)conſan guineos Domini ex more Hebraico dixit.De quo plura D.Hieron.aduerſus Heluidium,

Et in diebus his exurgens Petrus in medio diſcipulorum, dixit(eratq; turba nominum ſimul ferè centum viginti)

Pergit hiſtoria pingere quid à diſceſſu Domini ante aduentum Sancti Spiritus ab Apoſtolis geſtum,& quomodo Matthias in locum Iudæ Iſcariotis electus ſit.Cæterùm non caret myſterio quod dixit,Exurgens Petrus in medio diſcipulorum. Commedatur enim viri humilitas. Non enim ſolus apud ſe arrogantia tumens eccleſiaſticas res pro voluntate diſpoſuit, ſed in medio fratrum egit quæcunque egit. Neque enim conuenit vt eccleſiaſtica munia & quæ totius Eccleſiæ ſunt, paucorum diſpenſentur libidine,ſed æquum eſt vt ea bonorum vnanimi conſenſu & iuxta ſcripturarum adminiſtrentur præſcriptum. Neque verò & illud æquum fuerit ſi quiuis iam ſibi quæque arripiat munia.Nam Apoſtolus,Omnia(inquit)decenter & ſecundum ordinem fiant.Oportuit ergo vnum aliquem certo ordine res neceſſarias agere.Prodit itaque Petrus,qui reliquis hactenus ſemper extiterat & ardentior & in rebus agendis aptior feliciorq;.Chryſoſtomus,Tum temporis(inquit)præfectura non honos erat,ſed cura ſubditorum,&c.Annotandum & hoc ἦν τὲ ὄχλος ὀνομάτων,id eſt, Erat autem turba nominum,nouum eſſe loquendi genus. Turba enim ponitur pro numero, & nominum pro nominatim,Vnd es was die gantz zal namhafftig by hundert vnd zwentzgen. At veritas religionis non conſiſtit in multitudine, opibus, pompa & viribus mundi, ſed in Deo & veritate eius. Vnus Michæas,vnus Helias,vnus Ieremias repugnauit & rpgibus,& poteſtatibus,& ſcerdotibus,& toti plebi. Chriſtus quoque Dominus apud Lucam in 12. Noli (inquit) timere puſille grex, quia complacitum eſt patri veſtro dare vobis regnum ſuum. Vide 1. Corinth. 1. & 2.Capite & 2. Theſſ. ſecundo Capite.

Viri fratres, oportuit impleri ſcripturam hanc, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux his, qui comprehenderunt Ieſum,quia cooptatus erat in numerum noſtrorum, & ſortitus erat partem miniſterij huius.Et is quidem parauit agrum ex mercede iniquitatis,ſuſpenſuſq; crepuit medius,& effuſa ſunt omnia viſcera eius.Et innotuit omnibus habitantibus Hieroſolymis:ita vt appellaretur ager ille lingua illis vernacula Aceldama:hoc eſt,ager ſanguinis.

Status orationis hic eſt.Quandoquidem Iudas officio & numero excidit apoſtolico, neceſſarium eſt vt alius in locum eius ſorrogetur.Illud autem in tota oratione potiſsimum eſt obſeruandum, quod Petrus totum hoc quod agit non humano conſilio agit,ſed diuinæ ſcripturæ impulſu. Quod ſi hoc primarius ille Apoſtolorum fecit,quid nobis faciendum putatis? Ergo quæ ciuilia ſunt,ciuilibus,hoc eſt iuſtis & æquis diſcutiantur legibus:quæ porrò religionis & Dei,ſanctis ſcripturis. Petrus maximam huius orationis partem narratione abſoluit, quam tamen ſcripturis & probabiliorem & gratiorem reddit. Exponit enim quomodo Iudas exciderit: & ne quem offenderet caſus irreparabilis,committigat ſcripturarum lenimine. Sic etenim in fatis fuiſſe.Non equidem quod Iudas diuino conſilio ad proditionem nolens compulſus ſit, ſed quod proditor diuina flagitante iuſtitia merito punitus ſit.Hiſtoriam verò quam hic retexit legere eſt in ſuperiori libro Euangelicæ hiſtoriæ,& apud Matthæum in 27. Ego certe crediderim exitium Iudæ à Luca hic propterea copioſius eſſe expoſitum, quod in ſuperiori libro id tranſiens hunc in locum vſque reſeruarit. Et notius quidem illud eſt, planiuſque quam quod multis ſit exponendum. Sunt tamen quædam non prorſus tranſilienda,nempe,quod hinc claret omnibus æquam fuiſſe apoſtolis poteſtatem,quod dixit,Sortitus erat partem miniſterij huius: ſi enim partem quiſque ſortitus eſt,nemo ſanè totum id eſt rerum ſummam obtinuit. Deinde Merces iniquitatis poſita eſt pro mercede iniqua, ſchemate Hebræo.Significauit autem pretium ſanguinis. Et hoc ſanguinis pretium agro nomen dedit, qui vernacula hoc eſt Hebræa ſiue(quod Hieronymo placet)Syra lingua חקלדמא dicitur. Videtur autem nomen compoſitum eſſe ex חקל,quod ſignificat agrum vel fundum,דם vel דמא, quod eſt ſanguis.Ager enim ex pretio & re geſta nomen ſumpſit,in hoc, ne nephandum facinus vnquam ex hominum excideret memoria, vtque exemplum foret omnibus hominibus quantum nephas flagitium ac piaculum patrent qui pretio accepto vel humanum fundunt ſanguinem, vel veritatem ſanctam produnt. Caueamus ergo nobis non modo à proditionibus, ſed à largitionibus quoque, Exitium Iudæ.

Quid enim non poteſt fallax auri rutilus color? Quò non impellit cupida hominum corda? Munera vel ſapientium excæcant oculos. Ex illis pullulant proditiones,patriæ deſertio, pauperum oppreſsiones,ſimultates,bella,cædes. At innoxium ſanguinem non inultum tranſit Dominus. De qua re copioſius Numeri 35.& Ezech. 22.&c. Iam verò expende mihi quam graphice atrox & terribilis pingatur Iudæ interitus. Iudas ob venditum auro Dominum,obq; innocentem & nuper Domini effuſum cruorem ſuſpenſus crepuit medius. Quod ſiue intelligas de præcipitio, ſiue de ſuſpendio à trabe, parum retulerit. Plerique hactenus credidimus Iudam ſibi laqueo fregiſſe gulam, ſed huic loco magis conſonum eſt, infelicem præcipitio diſsiliiſſe. Hoc etenim Græcanica videntur innuere, quæ ſic habent, καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, id eſt, & pronus ſiue decliuis factus crepuit medius. Et πρηνὴς quidem pronus vel præceps dicitur. Quo verbo ſi geſtum & habitum laqueo præfocati expreſsit, iam ſequentia non quadrabunt, Et crepuit medius. Quam ſententiam Germanice appoſitius reddemus, vnd zerſchmätteret von einanderen. Tale ſupplicij genus irrogauit Amazias filijs Seir, vt legimus 2. Paral. 25. Iudæi enim cœperunt hoſtium decem millia, & adduxerunt ad præruptum cuiuſdam petræ, præcipitaruntque eos de ſummo ad præceps, qui vniuerſi crepuerunt. Quod ſi eodem mortis genere extinctus eſt Iudas, non fefellit diuinatio. Iam & Matthæo clarius ſcripſit Lucas. Matthæus enim dixit, Laqueo ſe ſuſpendit, pro eo quod eſt, ſibijpſi mortem conſciuit, Lucas autem mortis genus pinxit. Et Germani dicimus ei laqueum eſſe paratum, cui ante fores ſubſiſtit præſentaneum exitium. Interim verò non nego Matthæi verbum ἀπήγξατο appoſitius reddi ſtrangulauit. Parum igitur retulerit (quod iam monui) laqueo an præcipitio infelicem abruperit vitam. Certe perijt & quidem miſere. Proinde peribunt omnes quotquot auro vendidêre patriam, aut veritatem prodiderunt, aut inopes oppreſſerunt, aut veritatis ſtudioſos relegarũt in exilium, aut deniq; parricidijs com macularunt omnia. Niſi credamus Deum vel iniuſtum vel impijs eſſe amicum.

Scriptum eſt enim in libro Pſalmorũ: Fiat cõmoratio eius deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: Et epiſcopatum eius accipiat alter.

Hic tandem ſcripturæ verba recenſet, quæ in orationis initio cœperat allegare: ita verò recenſet quaſi in vno loco aut Pſalmo ſcribantur, cum teſtimoniũ ex duobus ſit petitum. Nam prior pars teſtimonij, nempe hæc, Fiat commoratio eius deſerta, & nemo ſit qui eam inhabitet: ſumpta eſt ex Pſalmo 68. & per typum tribuitur Chriſto & genti Iudaicæ, quæ propria perijt perfidia, dicente Domino, Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Porro per Caragogam id quod generale eſt peculiariter Iudæ aptatur, qui & ipſe perfidia ſua excidit ne eſſet Apoſtolus. Sequitur deinde pars altera teſtimonij ſumpta ex Pſalmo centeſimo octauo. Neque verò alia ratione aptatur Iudæ proditori, quam ea qua ſuperius. Nam Dauid ea aliâs aduerſus ingratos vſurpat. Breuiter duo hiſce teſtimonijs voluit probata. Prius, quod Iudas propria eſſet perdendus malitia. Poſterius, quod alius eſſet in locum abdicati reiectiq; ſurrogandus. Quibus iam commode infert.

Oportet igitur vt ex his viris, qui nobiſcum verſati ſunt toto tempore, in quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus exorſus à baptiſmo Ioannis ad eum vſq; diem, quo receptus eſt à nobis: vnus quiſpiam conſtituatur qui ſit vnà nobiſcum teſtis reſurrectionis eius.

De vocatione ad epiſcopatũ.

Quia (inquit) ſcriptura iubet, vt alius in deperditi ſubſtituatur locum, agè diſpiciamus quis huic negotio ſatis idoneus ſit: & obiter exponit quiſnam videatur eſſe idoneus. Is nimirum, qui Dominum Ieſum, hoc eſt, geſta & dogmata eius vniuerſa probe norit, & teſtis iſtorum eſſe poſsit. Vnde nos colligimus eos demum iuſtos eſſe veritatis Euangelicæ & ſanctæ Dei Eccleſiæ teſtes miniſtros ac prædicatores, qui docti in pietate, alios quoque verè docere poſſunt. De qua re plurima Paulus 1. Timoth. tertio, & Titum 1. Superioribus ſęculis inaugurauerunt nobis Suffraganei (quos vocant) indoctiſsimos quoſq; agaſones, nepotes, vapas, ambubaias, qui Euangelicæ doctrinæ nunquam per omnem vitam viderant vel apicem vel præliminarem titulum. Inde verò nobis tot in Eccleſiam errores deriuati ſunt. Cæterum maxima eſt fidei Chriſtianæ authoritas, vtpote quæ nobis à teſtibus eſt expoſita, qui non modo audita, ſed etiam viſa ac expertiſsima retulerunt. Hoc ipſum & Petrus & Ioannes primarij teſtantur apoſtoli. Hic in 1. cap. 1. ille verò in 2. cap. 1. Porro ingredi & egredi more Habraico poſuit pro tota vitæ conuerſatione. Vnde Eraſmus ſenſum probe reddens vertit, Qui nobiſcum verſati ſunt toto tempore, quo Dominus Ieſus perpetuam vitæ conſuetudinem egit nobiſcum. Neque illud nobis hic tranſeundum, quod doctrinam & baptiſmum Ioannis negotio incluſit Euangelico, contra iſtorum placitum qui doctrinam Ioannis ſeparant ab Euangelio. De quo dicemus in

cemus in cap.10.& 19.& resurrectionem posuit pro toto Euangelij negotio,partem potissimam pro ipsa re tota. Incumbit enim Euangelij prædicatio, vt Paulus in 1.ad Corinth.15.ostendit,in resurrectionem tota.

Et statuerunt duos,Ioseph, qui vocatur Barsabas,qui cognominatus est Iustus,& Matthiam.

Non eligunt nisi optimos & sanctissimos viros. Alter enim à vitæ sanctimonia Iustus cognominatus est. Meminerimus Episcopum irreprehensibilem esse debere. Statuerunt autem,hoc est, certos designarunt,designatosq; in Ecclesiæ conspectum statuerunt. Quod vtiq; iccirco tam diligenter & caute gerebatur ne quis ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Hinc Cyprianus martyr Epist.lib.1.Epist.4.Scriptura (ait) instruit & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere,vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta & legitima quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata. De Iosepho autem Barsaba nihil certi produnt sacræ literæ, coniecturas habent veteres, de quibus iam non est dicendi otium.

Et facta precatione,dixerunt:Tu Domine, qui corda nosti omniũ, ostende vtrum elegeris ex his duobus,vt accipiat sortem ministerij huius & Apostolatus,vnde præuaricatus excidit Iudas,vt abiret in locum suum.

Rem grauem & arduam summa cum honestate ac diligentia perficiunt. Primo inquiruntur docti & sancti aliqui,qui rerum Christianarum sint gnari. Deinde compertos Ecclesiæ proponunt, vt irreprehensibiles esse probentur. Nõ autem quiuis per se,licet rerum Christi probe gnarus, officium hoc ambit,solicitat & cupit,sed vocati citra arrogantiam aliorumq; inuidentiam, sententiam Sancti Spiritus vtrinq; ex æquo expectarit,vter tandem ex duobus eligatur. Atq; hic demum preces fiunt. Maxima enim vis est orationis. Nos certe hinc discimus res quasuis in Ecclesia graues, oratione auspicandas ducendasq; esse. Nam citra Domini auxilium & assensum nihil feliciter ceciderit. At is oratione flectitur. Nos equidem ex habitu exteriori iudicamus homines,& fallimur sæpissime. Dominus corda intuetur. Hunc ergo præcantur, vt eum designet quem huic negotio norit esse aptum, è quo Iudas excussus abijt in locum suum,id est,se suisq; moribus dignum. Proditor enim cũ esset, inter honestos,minister tam sancti cœlestisq; ministerij,recenseri non debebat. Siquidem ad coruos ac inferos pertinebat,domicilium omnium eorum qui auro corrupti & iustitiã & veritatẽ produnt:

Et dederunt sortes eorum, & cecidit sors super Matthiam, & cooptatus est ad numerum vndecim Apostolorum.

Non temere sortiuntur,sed super consignatis & viris optimis,præmissa quoque oratione: vnde iam impossibile erat,vt sors aberraret. In quemcunque enim istorum cecidisset, non aberrauerat: interim verò sorte opus erat, quæ certum designaret, quæ & ipsa à Deo agi creditur. Sortiri enim aliud non est quã aliquid sorte decernere vel constituere, veluti cum nos sorte agros & possessiones paternas diuidimus. Neque aliud genus magis à dolo fraudeue alienum est. Hinc ipse Deus iussit terram promissam sorte diuidere, Numeri 33. Quin & Pontifices sorte designabantur ac reges. Nam Saul sorte electus est,voluntate Dei prius consulta, per quam latens Saul populo indicatus est: ad cuius rei imitationem hic quoque Matthias eligitur. De hoc genere dixit Propheta Prou.16. In sinum deijciuntur sortes,at à Deo iudicium earum proficiscitur. De eadem pluribus Fenestella de Magist.Rom.tit.de Proconf.& Cœlius Antiq.lect.lib.12.cap. 18. Lucianus quoque in dialogo qui Erotimus inscribitur. Quod ergo omnibus à constitutione mundi sanctis licuit,idem nobis quoque licet; sortiri. Est sanè & illud sortiendi genus infame & prohibitum in lege. Hoc euentus quærimus de rebus futuris,quales erant Vergilianæ. Harum author extitit Numerius Prænestinus. Illas verò damnat lex Leuit. 19.& Propheta Isaias in 8. Illius studiosi nominantur sortilegi, obseruatio autem sortilegium. De hoc genere plura habet Cicero,in 2. de Diuinatione. Crinitus quoque lib.de Honest.discip.22.cap.3.& Polydorus Vrbinas de inuent.rerum,lib.vlt. Rite ergo peractis omnibus accepta dataque sorte,hac ipsa declarauit Deus Matthiam sibi placere. Hic itaque declaratus Apostolus vndenario numero duodecimus est additus. Porrò certus hic ille ac consecratus numerus testium; expectat nunc sanctum Dei spiritum, quo imbuti Christianam religionem per vniuersum disseminent orbem. Arator Romanæ Ecclesiæ diaconus,qui Acta Apostolorum hexametro carmine reddi-

De sorte.

dit, allegoriam concionat ex duorum electorum nominibus, docens humanam iustitiam esse reiectam, humilitatem vero Euangelicam approbatam. Quod si quis versus requirat hi sunt.

Constituere duos Ioseph cognomine Iustum,
Matthiamq́; Dei paruum, quod nomen aut aiunt,
Hebræo sermone sonat, humilemq́; vocando
Comprobat, O quantum distant humana supernis
Iudicijs, parui merito transcenditur ille
Laude hominum qui iustus erat.

CAPVT II.

ET cum complerentur dies pentecostes, erant omnes vnanimiter in eodem loco: & factus est repente de cœlo sonitus, tanquam impetu venientis flatus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes. Et visæ sunt illis dissectæ linguæ velut igneæ, seditq́; super singulos eorum, ac repleti sunt omnes Spiritu sancto, cœperuntq́; loqui alijs linguis, prout spiritus ille dabat eloqui illis.

De spiritu sancto.



HACTENUS subtexitur ipsa Actuum Apostolorum historia, quæ vt auspicijs Sancti Spiritus gesta, sic ab eodem quoque cœpta est. Nunc enim describit quomodo impletæ sint de Spiritu sancto promissiones cum Christi tum Prophetarum, quomodo spiritus orbi datus sit, qui est veritatis doctor, salutis arrha, pax & animarum gaudium. Cum enim Spiritum sanctum dicimus datum, de donis spiritus loquimur. Deus enim incircumscriptibilis aliâs humanis pectoribus concipi quidem, sed concludi non potest. At dona eius secundum mensuram & beneplacitum eius pectoribus nostris infunduntur. Principio autem videntur paulò copiosius exponendæ esse causæ donati Spiritus sancti. Maximum enim est huius doni mysterium, dispositio mirabilis, & consilium Dei sanctissimum. In præsentiarum duas huius doni causas ostendemus. Prior talis est, Primus homo conditus erat ad imaginem & similitudinem Dei, quæ imago non potuit esse in alia re, quam in spiritu, Deus enim spiritus est, caro non est. Spiritus autem vita, innocentia, ac sanctimonia est. Cum ergo peccasset Adam imago hæc in misero obliterata est, potissimas vero caro obtinuit, adeoque totus homo caro factus est, testante scriptura, Non disceptabit spiritus meus cum homine in æternum, quia caro est. Porrò affectus carnis mors est: in solo ergo spiritu vita est. Proinde si homo vitæ restituendus, & Dei illa in homine per carnem obliterata, reparanda erat imago, hoc non alio pacto fieri potuit, quam restituto nobis spiritu diuino, in quo imago Dei est. Cæterùm in maleuolam (vt ait Propheta) animam spiritus Dei non ingreditur: proinde coinquinatam prius expiari oportuit. Hic igitur considerandum nobis mysterium Christi, per quem omnia expiata & restituta creduntur, Christus ergo moritur, vt peccata mundi expiaret. Resurgit, vt certam nobis spem & immortalitatis, & quod peccatum & mortem vicisset, faceret. Deinde cœlos ascendit, vt omnium se probaret Dominum. Inde verò Spiritum sanctum super omnem carnem mittit, nimirum vt iam per hunc restitueremur innocentiæ ac felicitati pristinæ, repararetur que illa in nobis Dei imago, atque ita æternæ vitæ essemus participes. Hæc ad hunc modum iam olim tradidit & Paulus, maxime in 4. ad Ephes. & 3. ad Col. Cap. Hic verò nolo quisquam cogitet Veteris testamenti sanctos patres ac Prophetas ab hac salute exclusos esse. Nam & ipse Petrus testatur in ipsis habitasse spiritum Christi. Proinde loquimur hæc secundum temporis dispositionem. Finge enim patrem esse qui duos habeat filios, quorum senior moriatur superstite adhuc patre, qui demum & ipse moriens omnem substantiam iuniori hæreditate relinquat. Nam in mortuis duntaxat ratum est testamentum. Iam verò quis tam stupidus, qui credat seniorem, eò quòd parentis mortem non viderit, iunior autem paternis substantijs iam liberalius perfruatur, vel non fuisse hæredem vel filium? Sanè licet morte interceptus sit, & temporum iniuria parentis mortem non luxerit, nihilominus & filius & hæres erat, & parentis facultatibus olim viuebat. Ita nos quoque vnius patris sumus filij. Veteres quidem fratres nostri excesserunt priusquam moreretur Dominus, nihilominus donis benigni patris, vt veri hæredes æternæ vitæ, abundanter potiti sunt. Nos vero qui à Domini nostri morte sumus, nunc quidem bonis cœlestibus abundantius perfruimur. Nam perfecta morte testatoris, testamentum iam valet. Valebat sanè & antea, sed nunc ipsa bona dispensantur, sicut dispensanda fuerant ordinata.

An veteres spiritum sanctum habuerint.

ordinata. Posterior huius doni causa hæc est. Impleta erant tempora, proinde omnes gentes vocandæ in consortium salutis. Hic ergo oportebat ad hoc negotium institui Apostolos varijs donis, ne noua doctrina protinus reijceretur: & proinde non ita accipi debet hoc negotium, quod nunc primum dona fidei, spei & charitatis orbi donata sint, sed quod aucta, quod Apostolis Domini futuris ad omnes gentes nuncijs collata sit linguarum & rerum peritia, fortitudo, magnanimitas agendi ardor & felicitas, item facultas designandi miracula. Id quod effuso Spiritu sancto factum est. Huc enim pertinent præcipue promissiones Christi de Sancto spiritu. Hæc in transcursu, iam redimus ad historiam. Duo notat iuxta morem historicū, quo tempore, quoúe in loco missus fuerit Spiritus sanctus. Porrò tempus multa in se habet mysteria. Equidem non numeramus cum Iudæis ab immolato agno, sed à resurrectione dominica dies quinquaginta. Iudæi autem primitias frugum hac offerebant Domino. Nam ipsa in messem incidebat. Ergo apud nos quoq; cum messis esset multa, operarij autem pauci, emisit Dominus spiritum suum vt hoc instructi discipuli fructum colligerent ex omnibus gentibus, eumq; offerrent Domino. Quinquagesima item die egressionis filiorum Israel ex Ægypto, data est lex Domini, authore Hieronymo ad Fabiolam de Mansio. po. Dei, Mans. 12. Eadem ergo die oportuit conferri Spiritum sanctū, diuinæ legis & expositorem & effectorem 2. Cor. 3. Huic iam facit & locus ipse. Nam vt lex in monte Sinai lata, sic spiritus in monte Zion est donu missus. Sic enim futurum prædixerant Prophetæ, vt lex esset profectura de Zion, & verbū Domini de Ierusalem. Cæterum in monte Sinai audiebatur taratantaræ cantus, tonitrui fragor, cernebantur fulminum flammæ terrificæ, & quicquid humanas potuit concutere mentes: quæ quidem omnia potentiam Dei significabant & vindictam (alij ad legis terrorem nescio quem referunt) illis nimirum paratam, qui legem Dei contemnerent. Itaq; oportebat & hic quædam apparere spectra, sed quæ illis forent minus terrifica. Audimus equidem sonitum tanquam impetu venientis flatus vehementis, sed eo significatur doctrinam Sancti spiritus mira felicitate & successu incredibili per vniuersum orbem fore propagandam, neque quenquam tam fore potentem qui eius impetu resistere posit. Sic enim videmus ventum mira celeritate & nemine obsistente, totum perflare orbem. Apparent & igneæ linguæ, linguarum & eruditionis gratiam, authoritatem & feruorem doctrinæ ecclesiasticæ notantes, vt nunc Apostolicis viris quadrantius conueniat, quod alij tribuerunt Pericli, non verba illos modo sed fulgura tonitruaque tonare. Est & illud maxime obseruandum, quod scribit, Erant omnes vnanimiter in eodem loco. Vbi enim pectus rixis ira & inuidia liuidum est, ibi nullus Spiritui sancto locus residuus est. Siquidem vnitatis & concordiæ author, vnitatem non quamuis nec vulgarem, sed diuinam arctissimamque requirit. Raro autem Deus mysteria sua absque signis & inuolucris proponit. Id enim poscit & maiestas eius & nostra imbecillitas. Maxima enim mysteria sapientissimi quiq; symbolis & inuolucris cōtecta orbi proposuerunt. Deus ergo ipse ipsissima sapientia, sua quidem sub signis proponit, sed ita vt sese rebus nostris maxime accommodet. Humanis enim diuina vestit. Non quod Deus humanis rebus sit circumscriptibilis, sed quod diuina per humana exposita nobis sint magis intelligibilia. Quis enim sanæ mentis dixerit Spiritum sanctum columbam, vel ventum, vel linguam, vel ignem esse? Nihil enim in Deo sensibile: attamen notiora fiunt nobis illa inuisibilia, si exponantur & suffigurentur per hanc visibilia, nec quælibet, sed quæ naturam rerum exponendarum quam proprijssime (quantum quidem humana referre possunt diuina) exprimant. Et sanè sono & linguis ignitis duos voluit Deus nobilissimos perstringere sensus, auditum atque visum. Sonus enim aures ferit. Ignis vero visum afficit. Ita olim in cœna mystica, sensus rebus visibilibus percellere voluit, pane videlicet & vino. Hæc autem non sunt caro & sanguis Christi naturalis, sed magis sacramentalis. Referunt autem nobis verum corpus pro nobis in cruce fractum, & sanguinem verum pro nobis effusum. Iaque voluit hic quoque Dominus signis quibusdam capere sensus nostros & virtutem Sancti spiritus indicare. Nam sicut ventus totam terram perflat, abdita quæq; penetrat, complexionemque homini mutat. Ita spiritus Domini omnia implet, profundissima scrutatur & mentes hominum mutat. Ignis quoque purus est, limpidus, simplex, quædam corpora clarificat, quædam prorsus absumit: ita & Spiritus sanctus. Nec caret mysterio quod in linguarum compareret specie. Nam in Euangelio Marci promiserat Dominus Apostolos breui nouis loquuturos linguis. Hanc promissionem dato Sancto spiritu præstat. Et lingua quidem vt nihil peius, sic melius nihil. Atq; hæ quidem non erant carneæ, sed igneæ: quo notatam credimus simplicitatem & puritatem doctrinæ Apostolicæ, agendi quoq; ardorem. Habebant & gentium Philosophi linguas, sed mendaces, vafras, adulatrices, impuras & frigidissimas, soli Apostolici viri igneas habent. Hæ deniq; fuerunt dissectæ propter donorum diuersitatem. Sed & hæc ipsa signorum expositio mox in ipsis historici verbis sequitur. Cœperuntq; loqui alijs linguis, prout spiritus dabat eloqui illis. Præterea indicat hic locus quam necessaria sit Apostolicis viris linguarum cognitio. Non potuerunt Apostoli ter-

Tempus.

Locus.

Ventus.

Ioan. 3.

Ignis.

De signis & rebus.

De linguis.

rarum esse doctores, nisi linguas prius didicissent. Hinc etiam Aur. Augustinus excellentissimus Ecclesiæ doctor, lib. de Doct. Chri. 2. cap. 11. ac 12. multis demonstrat linguas, Hebræam in primis & Græcam, quibus vtraq; testamenta exarata sunt, cum primis esse necessarias: imò eo loci ostendit varas sacrarum literarum interpretationes versionesq; in alienas linguas opido esse vtiles, eaq; sensum magis adiuuare quam impedire. Nostri vero qui neq; linguarum studiosi sunt, neq; classicorum scriptorum quicquam degustarunt, mox atq; diuersam in verbis magis quam sensu Bibliorum interpretationẽ viderint, fidelissimos protinus interpreres proditionis & hæreseos insimulant, imò & linguarum studium ceu prophanum exibilant, sophisticas autem nenias omnibus commendant: cum interim idem ille August. eodem de Doct. Chri. lib. 31. non humanitatis studia, aut linguas in sacris doceat vitandas, sed sophisticas argutias.

Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione earum, quæ sub cœlo sunt. Is rumor cum increbuisset, conuenit multitudo, & confusa est quod audiret vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, ac mirabãtur, dicentes inter sese: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audimus eos sua quisq; lingua in qua nati sumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, & habitatores Mesopotamiæ, Iudææq; & Cappadociæ, Ponti & Asiæ, Phrygiæ & Pamphiliæ, Aegypti & partium Libyæ, eius quæ est finitima Cyrenæ, & aduenæ Romani, Iudæiq; & proselyti, Cretes & Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica Dei.

De scholis. Sunt qui viros istos putent ob festi celebritatem conuenisse. Quid si credamus Hierosolymis celeberrimam fuisse scholam, in qua lex diuina cum ciuibus Hierosolymitanis tum exteris etiam Iudæis sit publica lectione tradita. Varijs enim calamitatibus factum, vt gens Iudaica in omnem penè terrarum orbem disiecta, Hierosolymam tamen regni & spei suæ metropolim rediret, sed & suos legis cognoscendæ discendæue gratia mitteret: quemadmodũ olim veteres gentilium suos Athenas, nos nostros vel Lutetiam vel Agrippinam Coloniam literarum discendarum gratia mittebamus. Opinionem hanc iuuant quæ, clarius traduntur in huius operis cap. 6. de Libertinorum & Exterorum collegio: item apud Ioan. in 1. & Matth. cap. 15. Vterque enim ita scribit de Pharizeorum (quos miserat Hierosolyma) moribus quasi de nostris hæreticæ prauitatis scripsisset inquisitoribus. Quin & Paulus Apostolus Tarso Ciliciæ oriundus, ciuis Romanus, Hierosolymis ad pedes Gamalileis operam impendit literis sacris. Neque verò hoc nouum cuiquam videatur. Nulla enim gens vnquam tam fuit infelix, vt religionis suæ & tuendæ, & propagandæ gratia non egregia instituerit ac aluerit collegia. Cum olim ipse Deus Israelis instituerer Rempub. primas Leuitico dedit collegio. Hoc enim religioni & doctrinæ consecrarat. Apud Danielem legimus Babyloniorum regẽ suos habuisse Chaldæos, in quorum numero erat & Daniel, Porro apud Mosen legimus Ægyptiorum regem suos quoque coluisse Magos. Romani pontificum & augurum habuere collegia. Non ergo mirum est, si gens Iudaica suos quoq; habuerit legum consultos ac scribas, id est, in sacris eruditos, qui in rebus dubijs certa dederint responsa. Hoc enim & Herodis tempore legimus factitatum. Nam dum hic rogasset quonam loci nasciturus esset Messias? Scribæ ex Prophetarum oraculis locum designarunt Bethlem. Proinde quod Romanis erant Auruspices qui ex libris respodebant Sibyllinis: id Iudæis Scribæ erant, qui respondebant ex libris Prophetarum. Quod si plura huius generis annotare licet, iam secula nostra comprobarunt quanta sit vis collegiorum talium. Videmus enim quò monachorum colluuies & vniuersitatum scholæ Romanam religionem prouexerint. Oportet igitur, & nos si saluam volumus religionem Christianam, studia linguarum, sacrarum & humanarum literarum disciplinas excolere, iuuare, prouehere. Nam licet spiritus promissus sit, qui omnia doceat, attamen strenue laborantibus promissus est. Si enim sapientiam (inquit Solomon) vt aurum quæsieris, inuenies. cui vero pileum hactenus imber compluit aureos? Labore, studio, & indefatigata diligentia paratur aurum. Proinde & sapientia cœlestis non otiando, sed laborando paratur. Habet præterea Dominus media quædam, quibus in cœtu suorum omnia ordine agit. Cæterum hoc loco confertur Apostolorum choro schola Hierosolymitana, ita tamen vt humanis diuina longe præstent, adeoque hæc nihil prorsus ad illum habeat. Hinc toties ingeminatur doctos Hierosolymitanæ academiæ prorsus obstupuisse. Cogitur enim omnis humana sapientia ad diuinam obstupescere, quod in speciem tam minutum synapi granum tantas de se exerit vires. Ad amplificationem huius pertinet quod mira verborum exaggeratione tot linguæ, gentes, ac populi nominatim perstringuntur. In quo hoc

tantum

tantum annotandum videbatur quod Hebræi (authore Erasmo) Proselytos, hoc est גרים eos dixere qui diuersæ factionis nati in ius Mosaicæ legis recepti essent. Hic quoq; disputatum est de linguarum miraculo, an singuli singulariter ac distincte cuiusuis gentis linguam sint loquuti: an verò sua vtentes natiua, quæq; gens suam intellexerit? Et posterius hoc tanquam probabilius factum esse, video placuisse plurimis, nempe quod Apostoli hoc loco non Latine, Græce, vel Arabice loquuti sint, sed Iudaice, hic vero quamuis gentem in hac suam propriam intellexisse. Postea vero factum, vt in alias atq; alias regiones commigrantes, ijs vsi sint linguis, quibus eius regionis homines vtebantur. Arabibus ergo Arabice loquutos, Græcis Græce, &c.

Stupebant autem omnes, ac mirabantur inter se, dicentes: Quid nam vult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant: Musto expleti sunt isti.

Typus est rerum futurarum, semper fore in Ecclesia viros, qui simplici mente nō intellecta quærant, illis autem se manifestaturum Dominum. Rursus alios futuros, qui omnia diuina contemnant, ac conuitijs incessant. Idem enim illi hic quoq; faciunt, qui Apostolos ebrietatis & insaniæ insimulant. Similia multa habes in Euangelio Ioan. cap. 6. 7. 8. 10. 11.

Stans autem Petrus cum vndecim, extulit vocē suam, ac loquutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hierosolymis vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus præcipite verba mea: Non enim sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, quum sit hora diei tertia. Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Iohel: Et erit in nouissimis diebus, dicit Deus, effundā de spiritu meo super omnē carnem. Et prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, iuuenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt, & dabo prodigia in cœlo superne, & signa in terra inferne, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies ille Domini magnus atq; illustris. Et futurū est, vt omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini, seruetur.

Bonus gregis pastor constanti animo prodit, occasionem ex tumultu capiens prædicandi Christi, & expurgandi se suosq; de calumnia, rursus exponendi per propheticum oraculum, factum illud de quo illi mirabantur. Adiungit autem Lucas Petro vndecim, ne quis principatum cogitaret, aliosq; Petro inferiores crederet. Cæterum prima orationis pars agnoscit genus Iudiciale. Nam apologetica est. Posterior didactica siue demonstratiua est. Nam expositione docet Iesum esse Christū. *Oratio Petri.* Iam & breui, sed commodo vtitur exordiolo. Argumentatur item à tempore. Tertia diei est, ergo ebrij non sunt. Quæ argumentatio non valeret, si illi horas more nostro digesßissent. Babylonios enim imitati Iudæi, horas vnà cum oriente sole auspicabantur, adeo vt nunc tertia apud illos nobis vel ad nonam, vel octauam incidat. Cuius quidem rei aperta extant, signa apud Matthæum in 20. cap. Plura apud Gellium & Macrobium de diuisione diei. Inde autem liquet Christum Dominum hora diei nostræ duodecima in crucem suspensum, expirasse tertia. Nam vt sexta illorum nobis duodecima est, sic nona, tertia est. Ergo qui ebrij sunt, ad vesperam ebrij sunt. Nondum autem erat vesper, ergo valebat argumentatio. Locum autem produxit ex 2. Ioelis cap. Quo nos primum discimus Apostolos etsi donati iam essent Spiritu sancto, non fuisse præfractos aut temerarios: sed faciles & graues, qui omnia sua probabant scripturis. Sic enim rebus gestis aptabant veterem scripturam: vt in Mathematicis solet demonstrationi oculari vel practicæ aptari theorica & agendorum regula. Imò libere ausim vetus testamentum vocare theoricam, quod typum & Prophetarum oracula attinet, nouum praticam. In hoc enim re ipsa completur, quod spiritu & typo ibi præfigurabatur. Quod vero Ioel futurū prædixerat, id hic fit. Vsus est autem effundendi verbo ad significandam muneris largitatem. At Prophetare non modo significat res diuinas denuntiare & exponere, sed diuinas quoque res agnoscere. Ita hæc vox apud Ieremiam quoq; vsurpata, dum ipse futurum prædiceret, vt cognitio Dei prorsus esset vulgaris futura. Hic vero Ioelis locus potißimum accommodatus est rebus præsentibus, testimonium præbens rei præsenti, quod multi nunc prophetarent. Et notanter dixit, Effundam de spiritu: & non, Effundam spiritum. Neq; enim diuina à nobis substantia potest circumscriptiue comprehendi, sed conferuntur dona tantum Spiritus sancti secundum mensuram. De quibus 1. Cor. 12. Deinde sufficiente diuisione notat cognitionis plenitudinem, & quod nullum ge-

nus hominum ab hoc munere exemptum sit,quo minus accipiat.Huc enim pertinent visiones,prophetia, & somnia,iuuenes quoque,senes,filij & filiæ.Deus enim olim sese reuelauit vel somnijs, vel visionibus.Sgnificauit ergo plenissimam reuelationem voluntatis Dei. Deinde equidem super seruos,&c.per repetitionem siue Anadiplosin Hebraicam idem repetit, quod antea dixit,quo certiora essent omnia:quasi dicat,Et sane certissimè ista præstabo. Iam ad expositionem superiorum pertinet & hoc quod dixit,Super seruos.Non enim quibusuis,sed seruis Dei confertur spiritus.Porro sequentia, Et dabo prodigia)sunt qui referát ad tempora Christi,propterea quod in morte eius sol obscuratus,& in cruce sanguis eius effusus sit. Sunt alij qui Crasin hic fieri dicant primi & posterioris aduentus,ad posteriorem vero spectare prodigia.Ego vero crediderim omnia prophetæ simplicissima esse.Prophetauit enim de Assyriorum irruptione in Iudæam, de victorij Senacherib & crudelitate eius in populum exercenda increpauit Iudæorum peccata, sed & liberationem ab hoste & eius interitum prædixit,consolans reliquias. Ibi vero occasionem accepit vaticinandi de regno Christi, & missione Spiritus sancti. Hoc absoluto redit ad pœnam,ac dicit,Ceterum priusquam hæc diuina & augusta veniant,oportebit vos purgari & excindi igne & gladio:quæ per amplificationem effert: vt Isaias quoq; in 13.cap.Babylonijs excidium. Iam vero Petrus posteaquam eò per occasionem delatus esset,vt Prophetæ verba de Spiritu sancto adduceret,neq; illud omittere voluit, quod de pœna quoq; impiorum adiunctum fuit,veluti ex obliquo significans, excidiam æquale illis quoq; futurum,si pergant impietate maiores suos sequi.Adiungit,& illam Christianę religionis sententiam primariam,Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Hinc verò occasionem accipit differendi de religione Christiana.Nam inuocandi verbo totum pietatis negotium complexus est.

Viri Israelitę,audite verba hæc: Iesum Nazarenum virum exhibitum à Deo erga vos virtutibus & prodigijs,& signis,quę fecit per illũ Deus in medio vestri,sicut & ipsi scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum,quum accepissetis per manus iniquorũ,crucifixum interemistis, quem Deus suscitauit solutis doloribus mortis,quatenus imposibile erat teneri illum ab ea.Dauid enim dicit de eo:Prouidebã Dominum coram me semper, quoniam à dextris est mihi,ne commouear.Propter hoc lętatum est cor meum,& exultauit lingua mea:insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animã meã in inferno,nec sines vt sanctus tuus videat corruptionẽ.Notas mihi fecisti vias vitę,replebis me iucũditate cũ facie tua.

Prædicatio Christi Apostolica.

Transitionis formula est: nunc enim pergit docere quomodo nomen Domini inuocari possit, nimirum vera in Christum fide,quem probat verum esse Messiam Dei filium, idque resurrectionis, ascensionis & regni potissimum argumento.Docet autem expositione argumentosa, ita contexens Christi historiam, vt nihilominus scripturarum robore contradicentes conuincat,& peccatum Iudæis ob oculos reuocet.Nam Euangelium scelera quoque accusat. Summa vero expositionis hæc est.Deus exhibuit nobis filium,hunc crucifixistis,sed Deus excitauit eum,& dedit ei nomen, quod est supra omne nomen.Tandem vero huius expositionis fructum subiungit, cum rogantibus consilium,respondet,Resipiscite,&c. Virum vocat Dominum per Catachresim, vel propter humanam naturam,vel ex more Hebraico, quibus אִישׁ hominem significat. Quod autem à Deo sit orbi datus,expositionis est. Ad probationem pertinet quod subdit. Prodigia & signa. Nam ista probant Iesum esse à Deo,sicut patet Ioan.3.5.10.cap.Non enim humana virtute,sed diuina sunt patrata. Id quod iterum subiecit,Quæ fecit per eum Deus,id est,ipsa diuina virtus. Rursus ne quis offenderetur cruce & proditione eius, ea quidem diuino tribuit consilio. Oportuit enim diuinæ satisfieri iustitiæ.Denique ne impietas excusationem inueniret,& obijceret,Si hæc consilio Dei gesta sunt,ergo proditor Iudas & parricidæ Iudæi, consilio Dei obsequuti,nihil peccarũt,protinus impios vocat & malitiam omnium nostrorum accusat,qui vel suffragio vel vlla alia re in culpa fuerant quod Iesus esset cruci suffixus.Hinc vero per resurrectionẽ quoq; crucis aufert scandalum,& sic probans Iesum esse Christum.Resurrectione enim vel in primis probatur Christi diuinitas.Quemadmodum videre est ad Roman.1.& Ioan.20.Crediderim ergo Deum hic iterum pro diuina vsurpari natura.Porro dolores mortis scriptura,authore Ioanne Chrysost. vocat pericula mortis. Hoc ipsum ergo videtur hic dixisse Petrus quod in Romanis Paulus, Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi amplius non dominatur. Imposibile enim erat,vt filius Dei computresceret, qui primogenitus ex resurrectione esse debebat.Id quia dubiũ apud istos erat mox loco Prophetæ confirmat,

qui est

qui est in Psal.15. In hunc si plura pararem actum agerem. Ipse enim Petrus testimonium, quantum quidem rei præsenti satis est, adaptat.

Viri fratres, quandoquidem licet libere dicere apud vos de patriarcha Dauid, quod & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Propheta igitur quum esset, & sciret quod iureiurando iurasset sibi Deus, futurum vt de fructu lumbi ipsius, quantum ad carnem, Christus exoriretur, ac sederet super sedem eius, præscius loquutus est de resurrectione Christi, quod nō derelicta sit in inferno anima eius, neque caro eius viderit corruptionem. Hunc Iesum suscitauit Deus, cuius omnes nos sumus testes.

Principio vtitur præmollitione siue exordiolo, auditorum à se indignationem auertens, & opinionem falsam eximens qua hæc tantum de Dauide exponebant. Dicit ergo: Hæc vero de Dauide non tantum sunt intelligenda, sed magis de Christo qui secundum carnem filius Dauidis erat. Probatio. Equidem Dauid mortuus est, & sepulchrum eius apud nos est, quo fit vt proprie hæc illi non possint competere. Quia vero spiritu futura præsciuit, & filij sui regnum perpetuum fore vidit, magna confidentia hæc de resurrectione Christi vaticinatus est, cuius regnum non potuisset dici perpetuum si ipse rex morte esset absumptus. Recte itaq;, Non delegata est ad infernum anima eius, neque corpus eius computruit. Vnde nos conijcimus, veteres non minus agnouisse mortem resurrectionem & regnum Christi quam nos. Porro vt nonnihil de descensu Christi ad inferos dicam, video negotium multis tam fuisse arduum, vt parum eius sint assequuti. D. August. de præsentia Dei ad Dar. cap.2. hunc locum Petri citans, censet animam Christi reuera descendisse ad inferos, sed nihil passam esse. Sunt qui apud inferos animam Christi nonnihil passam esse imprudenter satis asseuerent. Quia enim (inquiunt) peccatum originale non modo corpus occidit, sed & animarum quoq; cruciatum induxit, oportuit quidem corpus Christi mori, sed & animam eius nonnihil cruciari, vt totum viuificaret hominem. At non viderunt miseri, sublata causa morbi, sublatum esse & morbum, & proinde cruciatum quoq; morbi. Peccatum causa est pœnæ mortis ac damnationis. Hoc sublato necessarium est & mortem, & cruciatum pœnæ esse sublatum. Atqui peccatum morte Christi expiatum est, nihil ergo erat à morte dominica, cuius gratia pateretur anima Christi. Errarunt ergo fœdissime qui Christi animam arbitrauere nonnihil esse passam. Quasi vero sanguine suo non omnia expiarit peccata. Nam si aliquid passa est, propter peccatum passa est, ergo nondum expiarat peccatum & proinde inefficax fuerat hostia Christi salutaris. Id qui dicit indignissime blasphemat meritum passionis Domini. Videtur autem longe facilior & certior superesse ratio, qua ex hac difficultate eluctemur, nempe, si scripturarum more per inferos intelligamus mortem ac sepulturam. Sic enim legimus Genes. 44. scriptum, Morietur pater noster & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. Canos autem dixit senile corpus, at inferos sepulturam. Imò si probe expendamus hunc ipsum Dauidis locum quem Petrus citauit, videbimus posteriorem particulam, Nec sines vt sanctus tuus videat corruptionem, adiectam esse per exegesim. Hac enim exponere voluit quid intellexerit per hanc loquutionem, Non derelinques animam meam in inferno, id enim pollere, quasi quis dicat: Non permittes vt corpore extincto sepultoq; simul & vita interierit, cum & ipsa caro resurgere debeat. Nam & שאול non tantum significat tartarum, supplicij locum, sed & sepulchrum ac foueam. Germanus diceret: Du wirst min seel nit lassen in der grüben gestäcken. Ad hanc sententiam facit & illud quod Cyprianus testatur hæc verba Descendit ad inferna, nō haberi in symbolo Romano, ac ne ab Orientis quidem ecclesijs addi. Vnde apparet ab ijs tandem adiectam esse particulam, qui aduersus Valentinianorum hæresim expresse corporis veram mortem exprimere voluerunt. Cumq; non satis clarum videretur, Mortuus & sepultus est, protinus ad euidentiorem rei expositionem adiecerunt, Descendit ad inferna: hoc est, reuera mortuus & sepultus est, atq; ita etiam sepultus vt solent, de quibus dicimus, Descenderunt ad inferos, id est, mortui sunt. Et hæc quidem altera ratio est, qua hic nodus dissolui potest. Superest & altera, vt per inferos intelligamus mortuos, sicuti per superos intelligimus viuos. Deinde vero enallagen capiamus in verbo descendendi, ita vt quod de persona Christi videtur dici, de ipsa re, hoc est, redemptionis vi intelligamus, nempe mortuis quoque profuisse meritum mortis Christi. Nam hoc est descendere Christum ad inferos. Sic etiam indies ad nos descendit Christus, in virtute vtique non in persona. Et quoties obsecro personam Christi pro ipsa ponimus redemptione, iustitia & vita? Hæc descendit (loquimur autem per Ethologiam) ad defunctos patres sanctos. Et hanc sententiam fulciunt duo in priori Epistola Petri testimonia. Prius est, Chri-

De descensu Christi ad inferos.

Ezech. 16.

ſtus in ſpiritu abijt,& ſpiritibus qui erant in carcere prædicauit.En habes Chriſtum abijſſe in ſpiritu.Quis verò Chriſti ſpiritus niſi vis,vita & euidentia meriti Chriſti?Sed abijt(dicis) quod perſonę eſt. Atqui hæc per Ethiologiam dicta eſſe probamus ex poſteriori teſtimonio quod extat in 4. cap. ſic, Nam in hoc mortuis quoq;(εὐαγγελίσθη)prædicatum eſt Euangelium. Ecce quod in 3.cap.ſpiritum dixerat,hic Euangelium vocat,& quod ſuperius extulerat,In quo abijt & prædicauit, hic planius effert,Mortuis nunciatum ſiue prædicatum eſt Euangelium, id eſt, vis redemptionis Chriſti mortuis patribus ſanctis profuit.Ita non neceſſe erit inquirere,An anima Chriſti(quæ tamem in manibus erat patris)ad reſurrectionis vſq; punctum inferos,limbum,ſiue tartarum deſcenderit? quid ibi fecerit?an quicquam ibi paſſa ſit?Superuacaneæ enim quæſtiones ſunt. Illa verò quæ nos propoſuimus, pio Lectori expendenda propoſuimus.In his tamen & ſimilibus vt nihil temere aſſerimus, ita prorſus nihil contendere volumus,& iam ad hiſtoriam noſtram redimus. Hunc Ieſum (inquit)ſuſcitauit Deus:quæ ſanè clauſula huius diſputationis illatio eſt.Hanc denuo firmat teſtium copia, dicens, Cuius nos omnes ſumus teſtes.Nam in 10. refert ſe vnà cum Apoſtolis cæteris à reſurrectione comediſſe cum Domino.

Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſsione Spiritus ſancti accepta à patre effudit hoc,quod nunc vos videtis & auditis.

De regno Chriſti. A reſurrectione tranſit ad aſcenſionem & regnum Chriſti ſempiternum. Nam hiſce iterum oſtendit Ieſum eſſe Chriſtum,ijſdemq; eluit ſcandalum crucis.Dicens autem, Dextera igitur Dei exaltatus,ad ſuperius reſpexit teſtimonium Pſalmi,Quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.Et Dextera abſolute poſita eſt,vt ſiue ad dexteram ſiue per dexteram intelligamus exaltatum. Si per dexteram intellexerimus,iam dextera virtus & robur Dei eſt.Sin ad dexteram,iam Dextera ſedes eſt be-*Dextera Dei.* atitudinis.Sic enim ſcribit Aurelius Auguſtinus de Agone Chriſt.cap.25.Dextera patris eſt beatitudo perpetua,quæ ſanctis datur.Sicut Siniſtra eius rectiſsime dicitur perpetua miſeria,quæ impijs datur.Vt iam non in ipſo Deo,ſed in creaturis hoc modo quo diximus intelligatur dextera & ſiniſtra. Quia corpus Chriſti,hoc eſt Eccleſia,in ipſa dextera,hoc eſt in ipſa beatitudine futurum eſt,ſicut dicit Apoſtolus,Et ſimul nos ſedere fecit in cœleſtibus.Hæc Auguſtinus Nemo auté offendatur quod audit Chriſtum à patre accepiſſe promiſſum.Accipit enim vt homo ſecundum diſpenſationem.Deinde verò Spiritum ſanctum mittit ſicut Deus & homo.Procedit ergo ſpiritus à patre & filio.Et effuſum donum Sancti ſpiritus palàm teſtatur Ieſum eſſe verum Dominum. Pulchrum autem eſt illud quod in orationis fine ad Spiritus ſancti miſsionem redit,à qua orationem cœperat. Priuſquam tamen clauderet,hoc addendum erat.

Non enim Dauid aſcendit in cœlos, ſed dicit ipſe: Dixit Dominus Domino meo,ſede ad dextris mihi, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Non abſolute dicit Prophetam Dauid cœlis excluſum prorſus eſſe damnatum, ſed ne quis locũ Pſal.25.vel nõ ſatis firmum crederet,vel de Dauide dictum intelligeret,præuenit, & oſtendit locum Dauidi non proprie competere.Id autem facit ſubiecto dilucidiore loco ex Pſalm.109.quem & ipſe Chriſtus citauit apud Matthæum in 22. In eo Dominus primo loco pater eſt,ſecundo filius, quem Dauid vocat Dominum ſuum propter aſſumptam ex lumbis ſuis carnẽ. Pater ergo Deus, Domino Ieſu Chriſto nato ex ſemine Dauid,dicit,Sede à dextris meis.Non igitur de Dauide hæc quoq; Pſal. 15.ſed de Domino Ieſu Chriſto intelligenda ſunt,qui aſſequutus ſedem patris ſui Dauid in æternũ regnabit ſuper domum Iuda.

Certo ſciat ergo tota domus Iſrael, quod Dominum & Chriſtum fecerit Deus,hunc Ieſum,quem vos crucifixiſtis.

Tandem vela colligit & infert rei Chriſtianæ ſummam,Chriſtum Ieſum crucifixum verum eſſe Dominum & mundi redemptorem,quod & ipſe Deus fecerit,hoc eſt,declarauerit, quod Chriſtus ſit Dominus & ſaluator.

Hinc verò conijce Chriſtiane Lector,quales fuerint ſanctorum Apoſtolorum prædicationes,nõ vtiq; de reliquijs & cultu ſanctorum,de reſeruatis & ſatisfactionibus,de votis,de monachatu,de primatu Petri,idolis ac miſsis:ſed de peccato,iuſtitia,& vita per Chriſtum reſtituta,in quo omnis ſalus ſit & plenitudo.Protinus autem ſequetur & inſtitutio de vitæ innocentia.

His autem auditis,compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apoſtolos:Quid faciemus viri fratres?

Verbum

Verbum Domini penetrantius est quouis ancipiti gladio, Das gieng jnen durch jr hertz. Nam scelerum & proditionis sibi conscij, maximè eos pudebat flagitij. Verum salutare ad veritatem compungi: exitiale verò induresscere. Vera pœnitētia enascitur ex cognita veritate per Spiritū sanctum, qui & spem inijcit pectoribus, & omnem desperationem excludit. Hinc hoc loco interrogant, Quid faciemus? Cain contrà aiebat, Peccatum meum maius est, quàm quòd veniam consequatur. *Pœnitentia.*

Petrus ait ad illos: Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donū Spiritus sancti. Vobis enim facta est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster.

Consilium ex scripturis capiunt, & fructum prędicati cognitiq; Christi indicant. Non autem iubent pecunias extorqueant, indulgentias redimant, Romam & Compostellam petant, cucullam induant, cereos offerant, aras extruant, idola consecrent, hostias cędant, vota & supplicationes suscipiant: sed vno verbo rem amplissimam suadentes, dicunt: Resipiscite, hoc est, mentem & mores immutate. odite scelera: iustitiam diligite: credite filio Dei: deserite studia viarum vestrarum, ac benefacere discite. Augusta enim poscit Deus, nos stulta quædam perpetuò obtrudimus. De qua re multis apud Ieremiam Dominus in 7.11.15. Isaias quoq; in 1. Quò mihi (inquit) multitudo victimarum vestrarū? Quin potius iudicatis pupillo & viduę, &c. Niniue reuera resipiscebat & salua permāsit. Ierusalē sub Zedechia varijs incumbebat ceremonijs, reuera non resipuit. ergo funditus perijt. Vor Gott hilfft kein zügleu noch verkleiben/man müß rächt from syn. Baptismo autem recipimur in Ecclesiā Dei, & Christo dedicamur. Pręcepit ergo illis vt baptizarentur, hoc est, suasit vt in Ecclesiam Christi transeant, alias religiones deserant, imò sese Christo consecrent Seruatori, in eo enim esse peccatorum remissionem. Non enim elemento aquæ siue signo tribuitur peccatorum remissio, sed gratiæ Dei & toti mysterio Sacramenti, id est, fidei in Christum. Frequentissimū tamen est vt signis tribuatur, quod signati reuera est. Et cum de baptismo loquimur, non de pura modo aqua, sed toto Dei instituto loquimur, Vnde rectè appellatur Lauacrum regenerationis, aqua mundificans, & peccata nostra abluens. Sacramenta enim inuisibilis gratiæ visibilia signa sunt. De qua re aliâs satis disputatum est, & in 8. cap. quædam dicentur. Accipere autem donum Sancti spiritus, nón ita debet intelligi quasi illi citra Spiritus sancti operam soliciti de salute & corde fuerint compuncti, sed augmētum fidei notauit, quod gradibus quibusdā increscit. Addit præterea stimulos, quibus ad iustitiam sectandā incitet, Vobis (inquit) promisit Deus Spiritum suum, & gratiam suam: nec vobis tantùm, sed & filijs vestris pollicitatione sempiterna. Ne ergo indignos vos rebus tam grandibus feceritis. Sunt tamen qui hęc verba, Omnibus qui longe sunt: de gentium vocatione exposuerint. Cæterùm non est verisimile quod Petrus, qui 10. demum cap. didicit, hoc Testamentum non minus ad Gentes quàm Iudæos pertinere: hæc de Gentium dixerit vocatione. Addit præterea, Quoscunq; aduocauerit Dominus, ne electio Dei negaretur, & Iudaico, hoc est, carnali semini, omnis tribueretur gloria. Hæc autē de consilio habuimus Apostolico, quo didicimus quid agere conueniat peccatoribus, & quod longè aliā rationem in pręscribendo pœnitentiæ modo Apostolici sequuti sint, quàm hodie soleat Pontifex Romanus ille, non Simonis Petri, sed Simonis Magi vicarius.

Baptismus.

Non expectata satisfactione absoluit.

Alijsque verbis plurimis testificatus est, & exhortatus est eos, dicens: Seruemini à generatione ista praua.

Summa rerum capita & quantum satis erat pijs mentibus annotarunt historici sacri, non singula verba, sed rerum duntaxat substantiam. Porrò institutioni, consilio, hortationiq; iungit admonitionem, quæ tam necessaria est, quàm semel parta tueri. Nam & Christus apud Matthæū post institutionem copiosissimam, quam per 5.6. & initiū 7. cap. tradiderat, tandem iubet suos sibi à falsis cauere prophetis. Ideo & Petrus ad exemplū præceptoris hortatur candidatos religionis Christianæ, à praua sibi caueant generatione, Vor der bösen verkerten zucht. σκολιὸς enim malignus est, versipellis, importunus ac tortuosus. Hoc verò nomine dignatur blatterones istos Iudęos, quos Paulus alibi vocat canes, inimicos crucis Christi, mendaces, malas bestias ac ventres pigros. Illos ipsos Ioannes Baptista & Christus genimina viperarum vocarunt. Prophetæ quoq; varijs dicterijs notarūt. Cauendum ergo prorsus consortium malum. Parum certè fermenti totam corrumpit massam. Et qui claudo cohabitat (vt prouerbio fertur) & ipse subclaudicare discit. Hic Dominus prohibuit ne sui cum impijs vllum ferirent fœdus. Quod cum Solomon negligeret, tametsi mortalium sapientissimus esset, interijt. Caueamus itaq; ne nimia cum impijs & verbi Dei hostibus familiaritate inita, velut contagio infecti, aut imbecilles aut prorsus morbidi concidamus. *Admonitio.*

Qui ergo libenter acceperunt sermonem eius, baptizati sunt, & accesserunt in die illo animæ circiter ter mille.

Siquidem hilarem (vt ait Apostolus) datorem requirit Deus. Nec tamen tollitur hoc loco disciplina & correctio Christianorum. Iniustis enim lex posita est. Baptizati sunt autem quod nemo fidelium ordinationem Domini quantùmuis humilem contemnit. Quod si quæras, An verò aquæ sit emundatio? Nego. Ergo superflua, dicis. Nego. Nihil enim superflui instituit Dominus. Voluit autem hominem Sacramenro sibi etiam externo astringere. Voluit donum & beneficium inuisibile certa quadam ratione sub sensum reuocare, & per species siue signa visibilia suo modo mysterijs scilicet peculiari & fidelibus noto exhibere. Cæterùm non sequitur, Qui libenter obsequuti sunt verbo, baptizati sunt: ergo paruuli baptizandi non sunt. De adultis enim loquitur historicus, qui vbi baptismo tincti fuerint, & audierint Deum eiam paruulorum, hoc est, seminis sui esse Deum, mox paruulos quoque ad baptismum offerunt. De quo alibi copiosius disputatum est. Obserua autem maximum & felicissimum primæuæ incrementum Ecclesiæ, & quòd sine fructu copioso nunquam prædicatur veritas. Ter mille hominum accedunt. Dominus enim dederat incrementum semini verbi sui, quod ministerio Apostolorum disseminarat vt saluum faceret populum suum.

Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus.

De moribus sanctæ Ecclesiæ. Iam verò collecta per verbum Dei Ecclesia, mores sanctæ Ecclesiæ describit. Rectè autem annotauit Erasmus, quatuor à Luca potissimùm recenseri, Doctrinam, Communionem, Fractionem panis, & Precationes. Primo enim loco posuit Doctrinam, nec quamuis, sed Euangelicam. Proximo mutuam charitatem. Nam κοινωνία vsurpatur hoc loco sicut ad Heb.13. pro rerum diuisione & mutua beneficentia. Sequitur enim protinus, Possessiones & substantias vendebant ac diuidebant, &c. Tertio ponitur symbolum illud sacrum Christianæ conspirationis. Quarto autem loco oratio sancta. In hisce autem rebus sacratissimis ac summis perseuerabant. Non enim subinde nouas cudebant leges, sed in veritate semel tradita & confessa perseuerabant. Constantia enim colophonem imponit rebus *Apostolorum doctrina.* cœptis, quæ sine hac prorsus vanæ sunt. Iam verò, vt de singulis singulariter & paulò copiosius disseramus, non potuit Apostolorum doctrina fuisse alia, quàm Euangelica, quam scilicet acceperant à Domino, & quam Prophetæ veteres literis commiserant sacris, & quam nos profitemur in Symbolo, quod Apostolorum vocant. Sic enim dicit Paulus ad Romanos, Paulus Apostolus segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de filio suo, &c. Quin in hoc ipso Petri sermone ceu paradigmate vidimus qualis fuerit Apostolorum doctrina, ex Scripturis videlicet petita sacris, & viuo Christi Spiritu expositis: nec aliam per integrum hunc librum audiemus. Ipsi quoq; veteres Irenæus & Tertullianus scriptorum Ecclesiasticorum longè vetustissimi non plura capita Christianæ religionis, hoc est, Apostolicæ doctrinæ constituunt, quàm nos numeremus in Symbolo Apostolico. Atque huius quidem rei ex vtroq; clarissima proferam te- *Irenæus.* stimonia. Irenæus ergo aduersus hæreses lib.1.cap.2.& 3 Ecclesia (inquit) per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et in vnum Iesum Christum filium Dei, incarnatum pro nostra salure. Et in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispositiones Dei, & aduentum, & eam quæ est ex Virgine generationem, & passionem, & resurrectionem à mortuis, & in carne in cœlos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri, & de cœlis in gloria Patris aduentum eius, ad recapitulanda vniuersa, & resuscitandam omnem carnem humani generis: vt Christo Iesu Domino nostro, & Deo, & saluatori, & regi, secundum placitum Patris inuisibilis, omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & iudicium iustum in omnibus faciat. Spiritalia quidem nequitiæ & angelos transgressores atque apostatas factos & impios & iniustos, & iniquos & blasphemos homines, in æternum ignem mittat. Iustis autem & æquis & præcepta eius seruantibus, & in dilectione eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circundet. Hanc prædicationem cum acceperit & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit ijs, videlicet quasi vnam animam habens & vnum cor, & consonanter hæc prædicat & docet & tradit, quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; hæ

quæ in

quæ in Hiberis sunt, neq; hæ quæ in Celtis, neq; hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut Sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus & idem est, sic & lumen, prædicatio veritatis, vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valde præualet in sermone, ex hijs qui præsunt Ecclesijs, alia quàm hæc sunt dicet, Nemo enim super magistrum est, neque infirmus in dicendo deminorauit traditionem. Cum enim vna & eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere amplius, neque is qui minus, deminorat. Hæc Sole clariora vetustus ille sanctus Dei martyr & Lugdunensis Episcopus, scripto post se reliquit. Tertullianus verò quem beatus martyr Cyprianus Carthaginensis Episcopus, magistrum vocabat, in Præscriptio. Hæret. Regula (inquit) fidei est, vt iam hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet qua creditur vnum omnino Deum esse, nec alium præter mundi creatorem, qui vniuersa de nihilo produxerit per verbum suum primo omnium emissum: id verbum filius eius appellatum in nomine Dei, varie visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum: postremo delatum ex spiritu Patris Dei & virtute, in virginem MARIAM, carnem factum in vtero eius, & ex ea natum, egisse IESVM CHRISTVM, exinde prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse, sedisse ad dexteram Patris, fixum cruci, tertia die resurrexisse: in cœlos ereptum, sedere ad dexteram Patris, misisse vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad sumendos sanctos, in vitæ æternæ & promissorũ cœlestium fructum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta vtriusq; partis resuscitatione cum carnis restitutione. Hæc regula à CHRISTO vt probabitur instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciũt. Hæc Tertullianus de Doctrina Apostolorum. Vbi verò vlla istorum hic mentio, quæ nobis ceu Apostolica obtrudunt hodie Pontificij?

Germania statim post Christum passum Euangelium recepit.

Tertullianus.

Hæretici.

Cõmunicatio quæ secundum locum obtinet è charitate Christiana est, & officia Christiana instituit, & opera misericordiæ habet. De quibus copiosissimè Dominus apud Matth. in. 5. 7. 25. ca. Item apud Ioan. in 13. Paulus quoq; ad Rom. 12. & 13. Item Ioannes in sua Canonica.

Cõmunicatio.

De fractione verò panis qualis apud illos fuerit, doctissimè exposuit Erasmus in Paraphrasi, dicens: Itaque qui se iunxerant numero discipulorum, perseuerabant in doctrina Apostolorum, atq; in sumendo symbolo fœderis nunquam rumpendi, quam illi communionem vocabant. Id à Domino traditum erat huiusmodi. Frangebatur panis, & ex eo CVIQVE dabatur particula, atq; hoc agentes in memoriam Dominicæ passionis, agebant gratias diuinę benignitati, qui per vnici filij sanguinem ipsos expiasset à peccatis, qui per eiusdem indebitam mortem ipsos coaptasset in hæreditatem vitæ æternæ. Hæc Erasmus. Ex his autem videre est qualia Apostoli sacra mystica instituerint Ecclesiæ, non vtiq; alia quàm quæ in vltima Cœna à sancto præceptore acceperant. Nam & Paulus alibi de hoc sacro, Ego (inquit) accepi à Domino quod & tradidi vobis: ergo quod à Domino acceptum aut traditum non est, à nemine posthac tradi debet. Si enim non licuit Apostolis Spiritu Dei imbutis, aliud tradere, quàm quod Dominus tradiderat, certè ne nobis quidem licebit. Maneamus ergo in primitiua huius sacri institutione, vt in eundem locum conuenientes, & beneficia Dei recolentes cum peccatorum confessione, laude Dei & gratiarum actionę quotquot credimus edamus sacrosanctum illum panem corpus Christi mysticum, bibamusque vinum sanguinis sacrosancti Sacramentum. Hoc enim instituerunt atque celebrarunt Apostoli, Missas Papisticas nescierunt. De qua re satis in Epistolam ad Hebræos. Nolo autem offendaris Lector Christiane, quod audis Lucam maluisse hoc sacrum Christianorum fractionem panis nominare, quàm sacrificium corporis Christi. Noluit enim errori ansam subministrare Spiritus sanctus veritatis doctor. Commemoratio enim est sacrificij semel peracti, non ipsum sacrificium. Commemoratio item ac symbolum corporis veri, non ipsum corpus, nisi quantum attinet vnionem sacramentalem, & mysterium, siue significationem. Sic enim rectè nominamus panem corpus Domini. Quanquam ergo mysterium nostrum non augustiore nomenclatura quàm Fractio panis, dignatus sit, tamen nemo imaginabit, hunc sacrum panem nihil aliud esse quàm panem, quem & domi suæ in prophana mensa comedat. Hic enim noster mysterium habet, & à Christo Domino in priuatos & peculiares vsus est institutus, nempe ad significandas res maximas, ad congregandam vniendamque Ecclesiam, & ad percellendos sensus etiam exteriores sensu cœlestium donorum. Cernit enim visus in symbolis Dominum, fidei repræsentatione, cernit inquam fractionem & mortem eius, cernit effusum sanguinem in vino. Auditus autem lætatur promissionibus & verbis Cœnæ tam amicis. Neque verò & tactus & gustus in hoc sacro gaudij prorsus expertes sunt. Neque verò desunt nobis rationes certæ & præclaræ, ob quas non aliam, quàm panis & vini creaturam ad hanc rem repræsentandam delegerit Dominus. Pane enim pascimur. Vino lætificantur corda nostra. Quia ergo carne Christi

De fractione panis.

Cur maximum Christianorum sacrum vocarit fractionem panis.

ſpiritualiter manducata paſcimur, & ſanguine Chriſti pro nobis effuſo ad verum animi gaudium peruenimus: nihil erat quod huic myſterio perinde reſponderet pane & vino. Præterea conſtat ſanguine Chriſti abolita eſſe omnia veterum ſacrificia: proinde neceſſum erat vt hoc maximum ſacrificium aggrediens prius teſtaretur, ſanguinem ſuum fuſum, & corpus ſuum oblatum, ita ſufficere ad expianda omnia omnium hominum peccata, vt poſthac non foret opus vllum pro peccatis in ſacrificio effundere ſanguinem. Hoc ergo clariſſimis verbis conteſtans, dicit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur. Hoc poculum nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro multitudine effunditur in remiſſionem peccatorum: quæ deinde clarius & euidentius exponit Paulus ad Hebræos 10. Hiſce iam ſigna ſiue ſymbola adiecit, non vtique ſanguinolenta, vt apud veteres Circunciſionis & Paſchæ fuerant, ſed amica & familiaria homini, panem & vinum, quæ ſanguinem non habent, in hoc vt conſummationis eſſent ſecramenta & teſtimonia quòd omnis ſanguis pro peccato ceſſarit, & in Chriſto iam omnis plenitudo ſit. Supereſt & alia (ni fallor) longè amœniſſima & ſacratiſſima veriſſimaq; cauſſa, cur panem ad hanc rem elegerit: hæc, Voluit Dominus totam Eccleſiæ multitudinem in vnum coadunare corpus. Ad quam rem ſignificandam nihil potuit inueniri pane & vino quadrantius. Solebant enim apud veteres maxima quæque fœdera panis & vini confirmari ſymbolo. Teſtes in hac re adduco ipſum Apoſtolum Paulum in 1. ad Cor. cap. 10. Deinde Lo. Cœlium, qui lect. antiqua. lib. 15. cap. 15. Panis (inquit) prægustatus ritus Macedonico ſanctiſſimum erat coeuntium pignus. Et panis illa prægustatio ita gentis condito more, nimirum parabilis victus, frugalitatis inſigne documentum erat. Iam & Eraſmus in ſymbola Pythagoræ ſcribens, Panem (inquit) ne frangito, admonet non dirimendam eſſe amicitiam: propterea quod antiquitus amicitia pane conciliabatur. Vnde & Chriſtus princeps noſter diſtributo pane perpetuam inter ſuos amicitiam conſecrabat. Proinde non conuenire frangi id per quod amici conglutinarentur. Hactenus de fractione panis.

Oratio. Iam & oratio quartum occupat locum, de qua multa & Veterum & noſtrorum preclara extant opuſcula. Paraphraſtes, Addebant (inquit) puras preces, quibus rogabant, vt regnum Domini Ieſu indies latius propagaretur, vt illius gloria per vniuerſum orbem inclareſceret, vt illius voluntati vbique obtemperaretur, vt qui fidem Euangelicam ſemel eſſent profeſſi, ſacra doctrina cœleſtiq; gratia quotidie proficerent ad meliora, atque ita concorditer inter ipſos viuerent, pacem habentes cum fratribus, ignoſcentes iniuriam, ſi quid eſſet per humanam fragilitatem admiſſum: pacem habentes cum Deo, qui ſe miſericordem præbet ijs, qui ſe miſericordes exhibent proximo, vt quotidiano numinis auxilio confirmati, ſubſiſterent aduerſus omnes ſatanæ incurſus, donec poſt longa certamina daretur æternum præmium. Hæ tum erant victimæ Chriſtianorum. Annotauimus & nos quædam de Oratione in 15. cap. ad Roman. Hinc verò liquet quæ ſit VERA, ANTIQVA ET APOSTOLICA ECCLESIA, nimirum ea quæ hiſce eſt moribus, quibus hanc videmus præditam, in qua primas tenet doctrina veritatis, fundata in ſacris literis, ex qua deinde accuſantur ſcelera, in qua & pœnitentia & peccatorum remiſſio prædicatur. Nam vbi hæc non ſunt, ſal videlicet, ignis, & increpatio ſcelerum vehemens, oleum quoque & medela vulnerum leniens, ibi non eſt vera Eccleſia. In hac eſt & baptiſmus & fractio panis, oratio & communio, ſiue charitas. Vbi ergo hæc videris ne dubitaueris veram eſſe Chriſti Eccleſiam. Huic autem ſententiæ ſubſcribit Lactantius lib. Inſtitut. 4. cap. vltimo. Pontifex Romanus ſuam traditionem vocat Apoſtolicam, & ſuũ cœtum ſanctam Eccleſiam. At quàm verum hoc ſit, deprehendes ſi illam præſenti contuleris. Nihil autem iſtorum pure apud eũ inuenias, quæ hic in moribus Apoſtolicæ Eccleſiæ recẽſentur. Nam pro doctrina Apoſtolorum colit traditiones humanas. Pro pœnitentia & peccatorum remiſſione per Chriſtum, indulgentias vendit pro auro, Baptiſmi verò myſterium crudeliter perſequitur, dum cultores veritatis, ad quam baptiſmus obſtringit, proſcribit. Fractionem panis abrogauit, & loco eius ſacrificos & Miſſas orbi obtrudit. Orationes obſcurauit, & venales proſtituit. Sed & miſericordiam & communionem turbauit. Idola enim ſtatuas & parietes ad luxum veſtiuit, monachorum greges, epiſcoporum ac ſacrificorum turmas, telluris inutile pondus, inſtituit. qui prætextu religionis optima terræ deuorant, diuites quoque & pauperes hæreditate paterna, diuorum cultu, donis, anniuerſarijs, teſtamentis ac votis, fraudant. Videant ergo quid agant, qui Eccleſiæ ſanctum nomen ſubinde iactitant, vt à moribus veræ Eccleſiæ, mores diſſimilimos habent.

Quæ vera Ecclesia.

Obortus eſt autem omni animæ timor, multaq; prodigia & ſigna per Apoſtolos ædebantur.

Anima ponitur pro homine, cui vel impio oboritur ſtupor, vel propter miraculorum admirationem, vel propter conſtantiam piorum, felicitatem atq; ſucceſſum rerum.

Omnes

Omnes autem qui credebant, erant coniuncti, & habebant omnia communia. Poſſeſsionesq; & ſubſtantias vendebāt, ac diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat.

Græcè legitur ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quod ad verbum ſonat, erant in vel ad vnum, magisque pertinet ad animorum coniunctionem quàm localem & corpoream. Mox enim ſequetur Apoſtolos per ſingulas domos fregiſſe panem. Non ergo ſemper vno in loco coaliti viuebant, ſed certis tantùm horis in cœtum conueniebant, hoc diſſoluto quiſq; ad ſe redibat. Itaq; coniunctio illa animorum erat, ex qua enaſcebatur beneficentia & rerum communicatio ſiue diuiſio. Sequitur enim, Et habebant omnia communia: nimirum iuxta tritum prouerbium, Amicorum omnia communia. Sunt qui hæc ad cōmunionem Platonicam trahunt, qua & proprietatem (vt vocant) negant, nec quenquā ſaluari poſſe credunt, qui propria poſſideat. Cum tamen id falſiſſimum eſſe hic ipſe qui mox ſequitur locus manifeſtiſſimè conuincat. Sic autem ſequitur: Poſſeſſionesq; & ſubſtantias vendebant, ac diuidebant illa omnibus prout cuiq; opus erat. Ex quibus verbis planè liquet, quod communio iſta nihil aliud fuerit quàm voluntaria communicatio ſiue diuiſio. Nam vendebant ait: ergo propria erant quæ vendebant. Quis enim probus aliena vendiderit? Diuidebant præterea, ergo rerum Domini erant, neq; ita communes erant opes, vt quiſq; quod liberet raperet. Nam vnicuique prout opes erat diuidebat venditor, aut cui id credidiſſet. His autem notis nihil poteſt dici clarius. Proinde non traditur hoc exemplo confuſio rerum & Reipub. vel legum de emptione & venditione, de locatione & mutuo neglectus, ſed charitas & miſericordia docetur, nempe vt amicos nobis paremus de iniqua mammona, ne pecunias vel luxu concoquamus, vel ſtulti philoſophi Cratetis more abijciamus, ſed in pauperes diſpenſemus, vt in cœlis copioſum theſaurum inueniamus. De hac re pluribus in cap. 4. Alij dixerūt, hoc loco non ſtatui nobis legem, ſed magnum recenſeri perfectionis exemplum, quod qui imitetur, idem cum his ſanctiſſimis Dei viris accepturus ſit præmium: qui non imitetur (interim neminē fraudet, & auarus non ſit, ſed beneficus in omnes) nihil peccare penitus. *Communio.*

Κτήματα, hoc eſt, poſſeſſiones, propriè vocauit fundos, prata, agros, iugera, & vineta, äcker vnd matten / höff vnd güter. ὑπάρξεις verò, hoc eſt, ſubſtantiam, aurum & argentum, gold / gält vnd kleinot. Nam hac diuiſione comprehenſa eſt omnis hominum facultas.

Et quotidie perdurantes vnanimiter in templo,

Iterum commendatur nobis conſtantia & concordia, quæ duo nobis, ſi florere volumus, in primis ſunt neceſſaria. Perſeuerantia videlicet in bono, & vnanimitas inter noſipſos, & in rebus agendis omnibus. Concordia enim paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. At conſtantia rerum agendarum neruus eſt & anima. Porrò in templo agebant, ne quis conſpirationem putaret, & vt poſteri diſcerent clancularias conuentiones vitandas, at cœtus publicos eſſe laudabiles. *Concordia & conſtantia.*

& frangentes per ſingulas domos panem, inuicem ſumebant cibū cum exultatione & ſimplicitate cordis laudantes Deum.

Hic fractio panis non accipitur pro ſacro ſymbolo vt ſupra, ſed pro hoſpitalitate & liberalitate in eſurientes præſtita. Sic enim legimus apud Iſaiam in capite 58. Frange eſurienti panem tuum. Hoc ipſum poſcunt circumſtantiæ. Sequitur enim, μετελάμβανον τροφῆς, id eſt, ſumebant cibum: ſiue ſumebant inuicem cibum. Quod nolim de opiparis inſtructiſque intelligas conuiuijs, quaſi illi ſe mutuis refocillarint cupedijs, ſed quod tenuiores ditiorum alebantur liberalitate. Nam μεταλαμβάνειν eſt ab alio ſumere, vel participem eſſe. Atque id quidem illi faciebant non coactè aut verſuto animo, quod hic plerunque fieri ſolet, ſed liberè & cum exultatione in vera cordis ſimplicitate, ſic enim præcepit Apoſtolus: Qui impertit in ſimplicitate, & qui miſeretur in hilaritate, Romanos 12. & 2. Corinth. 9. Laudabant vtrinque Deum, ac gratias agebant pro donis eius ac beneficijs. Atque hæc erat verè ſancta Dei Eccleſia. Videtur autem hic locus, de fractione panis in ædibus priuatis veteribus Romanis Epiſcopis anſam dediſſe quod hoſpitibus, epiſcopis & presbyteris Euchariſtiam ſolenniter tranſmiſerunt: id quod de ipſis Irenæus apud Euſebium teſtatur libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ 5. capite 24. Item quod in eadem Roma authore Hieronymo in Apologia pro Lib. Aduerſ. Iouinian. Euchariſtiam quiſque domi ſuæ ſumere potuit. Vnde nimirum apud nos inoleuit, vt infirmis deferatur in ædes panis Euchariſtiæ. Verum audiuimus de hac fractione panis Lucam in præſentiarum nullam mentionem facere. Carent igitur exemplo, qui neceſſitatem in hac re inducunt. Certè ipſe Dominus publicam & feſtiuam inſtituit gratiarum actionem in cœtu ſolenniter celebrandam. Quod ipſum & ex Pauli verbis colligi poteſt, quibus conuiuia publicaſq; Corinthiorum epulas incuſans, dicit, Quum conuenitis in eundem locum, iam nō licet Dominicam cœnam edere, eò quod *Euchariſtia priuatim in ædibus celebrata.*

vnusquisque pergit priuatam cœnam instituere: & hic quidem esurit, ille verò ebrius est. Num sanè domos non habetis ad edendum & bibendum? &c. Ecce Paulus cœnam nostram celebrare iubet in loco aliquo celebri & in cœtu sacro. Deinde hanc separat ab epulis & cœnis prophanis. Nam has in ædibus priuatis exhibere iubet: at cœnam sacrã in cœtu publico celebrare poscit, idq; remotis omnibus alijs mensis, certè vt cum suma fide ad cœleste accumbamus conuiuium. Sed hæc obiter.

Et habentes gratiam apud omnem plebem.

Synecdoche est. Nam non poterant nisi optimis placere. Nam malis nemo bonus citra iustæ laudis periculum placere potest. Quod malis nihil nisi malum probetur.

Dominus autem addebat, qui salui fierent, quotidie congregationi.

Nam sine augmento diuino perit omne semen verbi Domini in cordibus humanis. Neq; quisquam ad Christum peruenerit, nisi cœlestis pater traxerit.

CAPVT III.

SImul autem Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam precationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is quum vidisset Petrũ ac Ioannem ingressuros in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet.

HVIVS Capitis initio describitur occasio alterius istius nobilissimæ per Apostolos orationis, qua habita multorum mentes ad fidem Christi conuersæ sunt. Hæc autem est rei gestę occasio. Petrus & Ioannes vnà in templum ascendunt, humiles & tenues, nullis equis vecti aut satellitio stipati, vt nunc solent qui titulũ mentiuntur Apostolicum. Ascendunt autem ad horam diei nonam, quæ nobis est (iuxta superiorem rationem) tertia post meridiana. Videntur enim sabbatorum dies apud illos more nostro in horas fuisse diuisi, ad quas deinde sacros celebrarint conuentus, in quibus & orauerint & legem Dei audierint. Ascendunt ergo ad templum vt frequenti populo Christum prædicent. Hic verò suppeditat Deus maximam agendi occasionem. Nam claudus quidam pro foribus templi sedens, & miraculo & concioni occasionem dedit. Porrò Epitasis, qua miseriam hominis multis modis videmus intentam, commendat nobis diuinam virtutem, quæ rebus fessis desperatisque subuenit. Putauerim autem speciosam templi portam ab ornatu & ædificio dictam esse, qualis & nobis fuere artificiosis arcubus excisæ, mit schönen portal. Horodes enim non æstimandis sumptibus incredibiq; magnificentia templum spacio octo annorum erexit, additis porticibus vario opere visendis, sed & portis templi magnitudine & artificibus adeò pręstantibus, vt hæc sit vulgo speciosa appellata. Claudus ergo diuina agente prouidentia, eleemosynam à Petro (pro more suo) postulat.

Defixis autem in eum oculis, Petrus cum Ioanne dixit: Aspice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextra, erexit eum.

Petrus non oblitus verbi Domini, quicquid istis feceritis mihi fecistis, ideoq; se à Deo rogari, imò potius commoneri sentiens, in miserum oculos defigit, sentiens instare tempus quo gloria filij propagaretur. Ne ergo quid præstigij admissum videretur, dicit, Intuere nos. Id quum faceret miser aliquid se accepturum sperans, Petrus subdit, Quod tu poscis, id in mea potestate non est. Neque enim aurum, neq; argentum (weder gold noch gält) possideo. Non enim voluit me Dominus dispensatorem esse terreni thesauri, sed cœlestis. Quod ergo habeo, id est, id quod mihi commissum est, tecum participo, ac iubeo te surgere, non meo, sed Christi Iesu nomine & virtute, cuius ego negotium ago. Vnde nos discimus Apostolicam vitam longè lateq; dissidere ab eius qui se Petri mentitur vicarium. Non enim aurum argentúmue possidet Petrus, nedum regna. Hic verò ad miraculum vsq; optimis terræ perfruitur. Neq; verò mendicitas hic probatur, sed hoc potius traditur, quod pius animus thesaurum in hac terra non corradit: id quod & Christus docuit Matth. 6. Quin potius ille nihil se possidere credit, licet possideat multa: id quod in Paulo videre est 1. Corinth. 7. Philippen. 4.

Deinde

Deinde ex hoc loco discimus Iesum esse Dei filium. Nam huius nomine confertur salus, de quo copiosius paulò post.

Protinus autem consolidatæ sunt plantæ illius ac tali. Et exiliens stetit, & ambulabat, intrauitque cum illis in templum, inambulans & saliens ac laudans Deum.

Protinus creatura creatori paret. Surget enim miser à morbo incurabili, iam non aliquantulum sed prorsus curatus. Quæcunque enim Deus facit, bene facit. Sanatus autem Deum laudat, & specimen nobis exhibet gratitudinis: ne quis Deo ingratus suaque sorte non contentus, vel non referat gratias, vel omnipotenti obmurmuret.

Et vidit eum totus populus ambulantem ac laudantem Deum. Agnoueruntque illum, quòd ipse esset is, qui ad eleemosynam sederat ad Speciosam portam templi. Et impleti sunt admiratione & stupore super eo quod contigerat illi. Quum teneret autem qui sanatus fuerat claudus, Petrum & Ioannem cucurrit totus populus ad eos in porticu, quæ appellatur Solomonis, stupefactus.

Faciunt illa ad amplificationem negotij. Quod autem interpres vertit, Quum teneret autem, &c. Significantius erat, Præualente autem (κρατοῦντος δὲ) claudo aduersus Petrum. Notat enim importunas claudi laudes, quas Apostoli non ambiebant. De porticu Iosephus.

Quo viso, Petrus respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate effecerimus vt hic ambularet?

Duo habet hæc oratio. Primum apologeticum est. Nam principio plebis remouet errorem, quo illa miraculi gloriam hominibus tribuebat Apostolis. Docet ergo omnem gloriam esse Christi. Secundum suasorium est. Nam laxis habenis exhortatione effertur, monetque peccatum suum aduersus Deum in proditione Christi commissum agnoscant, pœnitentiam agant, Christum suscipiant, qui sit benedictio orbis. Et hæc altera est oratio Apostolica de religione Christiana, summa cum authoritate dicta. Iam vt de primo primum dicamus, Cum miraculo conspecto plebs (vt fit) Apostolos tantùm miraretur. Nam plures videndi Lazari gratia quàm Christi olim quoque adueniebant, amolitur omnem à se admirationem, & in vnum Christum omnium mentes conuertit. Et quia duo sunt, virtus videlicet & meritum, quibus homines permoti diuis seu magnis aliâs hominibus res diuinas tribuimus, vtraque hic è medio tollit, & cum indignatione quadam dicit, Quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ, quasi propria potentia nostróue merito seu pietate effecerimus vt hic ambularet? Iam per subiectionem intelligendum. Non ita habet. Mox enim subdit, quomodo habeat res, Deus Abraham, &c. At nos hinc colligimus falli istos omni modo qui miraculorum operationem vel meritis, vel virtuti sanctorum tribuunt, aut ex miraculis olim per Deum ministerio sanctorum patratis colligunt, diuos ceu auxiliatores esse inuocandos colendosque. De qua re simile omnino exemplum habebimus in cap. huius libri 10. & 14. Quanquam non crediderim inutile fore, si Augustini quoque super hac re annotarim sententiam, is in libro de Vera religione capite 55. Non sit nobis religio (inquit) humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si pie vixerint, non sic habentur vt tales quærant honores, sed illum à nobis coli volũt quo illuminante lætantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem male vixerint, vbicunque sint non sunt colendi. Et paulò post: Honoramus angelos charitate, non seruitute, nec eis templa construimus. Nolũt enim se sic honorari à nobis. Quia nosipsos cum boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Rectè itaque scribitur hominem ab angelo prohibitum ne se adoraret, sed vnum Deum sub quo ei esset & ille conseruus. Paria penè lib. aduersus Faust. 20. cap. 21. & de Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 10. & in 8. cap. vlt.

Aduersus cultũ diuorum.

Simulachra intelligit.

Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos tradidistis, ac negastis in conspectu Pilati, quum ille iudicasset esse absoluendum. Vos autem sanctum & iustum negastis, & postulastis, vt virum homicidam donaret vobis, authorem verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis; cuius nos testes sumus,

& per fiduciam nominis eius, hunc quem videtis & nostis, consolidauit nomen ipsius, & fides quæ per eum est, dedit ei integritatem istam in conspectu omnium vestrum.

Iam indicat à quo authore miraculum sit profectum, & in quem finem patratum. Non (inquit) prædicamus vobis nouum Deum, sed Deum patrum nostrorum. Prædicamus autem quod hic miserit filium suum quem patribus promisit: quod autem filius Dei sit, præsenti miraculo comprobauit. Vos enim ignominia affecistis sanctum & innoxium, ergo per Deum hunc glorificari oportuit. Id quod hoc miraculo fecit. Interim verò antithesi quadam obiter amplificat peccatum eorũ, & adeò clarè vt nihil possit dici clarius. Dein iterum redit, & ex effectu fidei in Iesum Christum declarat virtutem Christi: quasi dicat, Credidimus nomini filij Dei, id inuocauimus super misero, credidit & ipse, itaque reualuit, Proinde Christus filius Dei est, cuius virtute hic miser sanitati restitutus est. Vnde iam liquido claret cuius sit sanitatis beneficium, non vtiq; hominis per quem agit Deus, sed ipsius Dei qui agit. Vnde iam denuo liquet, quis inuocandus sit, salutandusq; pro valetudine prospera vel conseruanda, vel reparanda. Pertinent ergo miracula omnia ad gloriam Dei propagandam. Hodie contra religionis sanæ sensum peruertuntur à multis, dum ad cultum diuorum & idololatriam confirmandam prædicantur, sed eo modo nihil conducunt ad gloriam Dei promouendam, at marsupium auaris sacrificis probè faciunt.

Scopus miraculorum.

Et nunc fratres scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Deus autem quæ prænuntiauerat per os omnium Prophetarum suorũ, Christum passurum, impleuit sic. Pœniteat vos igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.

Remißio peccatorum.

Quod Petrus audierat aliquando, Tu conuersus confirma fratres tuos: id sanè hoc loco diligenter præstat. Nunc enim occasione accepta eo quòd dixerat istos Christũ negasse & prodidisse, ad pœnitentiam & suscipiendum Christum animat. Neq; verò peccatum istorum quod iamiam seueriter obiurgarat, nunc quidem dissimulat, sed benignitate ad pœnitentiam inuitat. Nam concedentis vox est, Scio quod per ignorantiam fecistis: quasi dicat, Scio inquam quid ad hæc respondeatis, nimirum nesciuisse vos Iesum fuisse eum qui erat Christum. Age verò ita habeat res dummodo sic impleuerit ea Dominus, quæ prędixerat per Prophetas, filium nempe totius orbis fore victimam. Iam verò cessit quidem mors Christi in bonum toti orbi, sed vos peccastis innoxium tradentes. Cæterùm spes est condonationis ac salutis, modo resipiscatis. Iam infert, Pœniteat igitur vos & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. O ergo immensam Dei bonitatem, quæ ne illis quidem negat gratiam qui filium sibi occiderunt. Quis posthac desperauerit? Hinc ergo prædicanda est populis pœnitentia, conuersio & peccatorum remissio: de qua & Ezech. cap. 18.

Vt quum venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini, & miserit eum qui ante prædicatus est vobis, Iesum Christum, quem oportet quidem cœlum accipere vsq; ad tempora restitutionis omnium, quæ loquutus est Deus per os omnium sanctorum suorum à seculo Prophetarum.

Duo hic sunt animaduertenda. Primum, Mancam esse orationem, quæ sic possit sarciri, Vt seruemini quum venerit tempus refrigerij. Secundum, Tempus refrigerij per Synecdocham dici de extremo iudicio, quod salutiferum erit pijs duntaxat. Dicit autem, Nunc quidem prædicatur aduentus eius humilis & gratiosus: tunc verò aderit vltor & iudex. Curate ergo ne vobis appareat vltor. Sic enim à iudicij terrore hortatur ad pœnitentiam: id quod & Prophetæ solent dum expositis, imò ob oculos positis pœnis impios ab impietate reuocant. Rursus ne quis iudicij diem propediem affuturam crederet præoccupat, ac dicit: Priusquam veniat ea dies, oportet Christum in cœlos assumptum cœlitus regnare, hostes suos conficere, & omnia quæ de regno Christi in Gentibus & alijs rebus futuris vsque ad iudicium prædicta sunt, fieri. Paria legere est apud Paulum in 2. ad Thess. capite secundo.

Moses quidem ad patres dixit: Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, mei similem: Audietis eum iuxta omnia quæcunq; loquutus fuerit vobis. Futurum est autem, vt omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminetur è populo.

Diuino munit testimonio quod proposuerat, probans Iesum esse Christum, quem qui non audierint, perdendi sint. Maxima autem erat apud Iudæos Mosis authoritas, quod vel ex 5. Ioan. cap. liquet: ergo vnico eius contentus testimonio, tandem summatim cæteros allegat. Hoc autem sumpsit ex Deut. 18. cap. Annotandum verò quòd Christus propheta dicitur propter officium. Natura enim est filius Dei, secundum carnem natus ex fratribus suis, hoc est, semine Abrahæ, Heb. 2. Idem ipse meditatione similis factus est Mosi. Filium ergo proponit nobis pater in Testamēto nouo, & ait: Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea, ipsum audite. Et Baptista, Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Ioan. 3. 8. 1. Ioan. 5.

Quin & omnes prophetę à Samuele, ac deinceps quotquot loquuti sunt, etiam anunciauerunt dies istos.

Paucis verbis dicit, Omnes Prophetas Mosen (qui, vt Homerus poetarum omnium oceanus, sic ipse omnium Prophetarum fons est) sequi, & similia de Christo scribere. Nam Dauid in Psalmis plurima, Isaias in postremis sui operis capitibus. Ieremias in 23. 31. Dan. in 9. Ezechiel quoq; in locis pluribus de hoc Christi negotio scripserunt. In primis autem Haggeus & Zacharias.

Vos estis filij prophetarum ac testamenti, quod testatus est Deus erga patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ.

A dignitate & vocatione Dei hortatur. Quasi dicat, Si iure gloriamini vos esse Prophetarum filios, age verbis Prophetarum credite. Si testamentum vobiscum pepigit Deus, pactis oro state. Hæc est autem testamenti summa: In semine tuo, id est, Christo (interprete ad Galatas Paulo) saluabuntur omnes Gentes. Ergo si in Christum credideritis, filij testamenti, hæredesq; cœlestium bonorum eritis. Porrò hinc liquet vnicum modò esse Testamentum, vnam vtriusq; populi salutem & Ecclesiam. Ipse verò omnia clarius exponens subdit:

Vobis primum Deus, cùm suscitasset filium suum Iesum, misit eum benedicentem vobis: ita vt vnusquisque vestrum conuerteret se ab iniquitatibus suis.

Suscitandi verbo respexit ad Mosis vaticinium, Prophetam suscitabit vobis Dominus. Hoc autem dicit, Fidem vobis præstitit Deus, ergo vestrum fuerit vt & vos fidem præstetis. Misit ille filium suum: vestrum est, vt saluatorem sese vltro vobis offerentem suscipiatis. Venit enim vt saluet & vt opera diaboli dissoluat. Credite ergo & conuertimini à peccatis vestris. Seruite ei in timore & iustitia, &c. Lucæ 1. Titum 2. Hæc illa altera est Apostolica prædicatio: ad quam si quorundam probes conciones, videbis quid commentitium, & quid in ijs sit verum.

CAPVT IIII.

LOquentibus autem illis ad populum, superuenerunt illis sacerdotes ac magistratus templi, & Sadducæi, moleste ferentes, quòd docerent populum, & annuntiarent in nomine Iesu resurrectionem ex mortuis: & iniecerunt eis manus, posueruntq; eos in custodiam in posterum diem: nam erat iam vespera.

HACTENVS primordia fidei descripsit, quomodo Ecclesia coierit, creuerit & vixerit, item quid docuerint Apostoli, quos Ecclesiæ ritus tradiderint, & quæ sit veritatis potentia: nunc verò describetur quomodo mundus ad veritatem sit animatus, nimirum vti Christus prædixerat Ioan. 15. & 16. Veritas enim, vel iuxta Comici sententiam, odium parit, Obsequium amicos. Describitur ergo hic prima Ecclesiæ ex veritatis prædicatione oborta persequutio. Beati verò qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, horum enim est regnum cœlorum. Illi autem persequutionem in veritatis amantes ab initio mouerunt, qui veritatis patroni ante omnes esse debebant, sacerdotes videlicet & qui antistites veræ religionis videri volunt. Hi inter-turbant res sacras perrumpuntque violentia. Quod enim nos legimus Superuenerunt, Græcè significantius legitur ἐπέστησαν, id est, ingruerunt, Sy habends überfallen/ Sacerdotes inquam, magistratus templi & Sadducęi. Sacerdotes autem dixit quorũ intererat pietatem fouere. Magistratus quoq;

Crux ex veritate nascitur.

Qui perſequutores.

templi, cuius in primis erat verum Domini templum tueri. Admonet enim Eraſmus magiſtratus eſſe ſingularis numeri. Nam Græcè eſt ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, hoc eſt, Dux templi. D. Chryſoſtomus exponit, Dux militum templi. Beda teſtatur ſe in quadam æditione legiſſe, Prætorem templi. Reuera apparet ex 4. Regum 10. cap. cuipiam templi curam tutelamq; fuiſſe commiſſam, qui ſub ſignis ſuis certam haberet militum manum, quæ & templum tueretur & turbas ſi quæ orirentur, diſijceret. Euſmodi verò militum grex à nobis nominatur, Die ſchirmmer. At ipſe imperator, Der Tempeluogt vnd ſchirmmeren hauptmann. Cæterùm cum tales alantur ex ſuperſtitione, minus mirandum eſt, ſi infenſi etiam ſint veritati. Sadducæi autem quales fuerint refert Ioſephus in 18. Antiquitat. cap. 2. Habebant enim & Iudæi ſuos monachos, veſtitu, cultu, & dogmatibus diſſidẽtes. Prorſus enim tunc talis erat ſynagogæ facies, qualis hodie Eccleſiæ eſt, in qua proceres Eccleſiaſtici ſuos habent milites ſuumq; ſatellitium. In hac videas varias monachorum ſectas inuicem hoſtiliter diſſidentes. Videas item illis inter ſe mutuo admodum conuenire, vbi veritas extinguenda ſit, quibus tamẽ per omnem vitam nunquam probe conuenit. Hic verò omnes conſpirant, & auxiliares copias iungunt, atq; in veritatem mouent, timent enim ſuis compendijs aliquid deceſſurum: pro ventre itaque & vana gloria tanquam pro aris & focis decertaturi proſiliunt. In primis autem malè habebat põtificios iſtos, quòd

Docendi functio.

Apoſtoli docerent, & in templo quidem docerent. Nam ſibi ſic vendicarant docendi functionẽ Phariſæi, vt veritas humanis inuentis pontificumq; authoritate oppreſſa emergere non poſſet. Non enim alij quàm coniurati docebant. Illud autem docebant, quod ex auarorum traditione acceperant. Non ſecus atq; raſi noſtri oleoq; delibuti ſolent, qui non ferrent ſi quis fide nondum data prædicare pergeret. Non quòd iuſtam damnemus vocationem, & manuum impoſitionem, quam ſcimus eſſe ſanctam ac neceſſariam: ſed abuſum & vota impia damnamus. Apoſtoli verò miſſi erant. Ideoq; non erat opus vt ab impijs mitterentur, imò impium eſt ſi quis fide impijs data mittatur ab impijs. Dolebat & illud quod reſurrectionem Chriſti prædicarent. Illum enim damnarant, illius gloriam extinctam cupiebant. At reſurrectione aſtruebatur Chriſti victoria, tradebaturq; & animæ immortalitas, & corporum reſurrectio, ſed & vitæ nouitas & reſtitutio morum: quæ omnia offendebant cum homines ſceleribus deuotos, tum Sadducæos in primis reſurrectionem prorſus abnegantes. Ergo inijciunt illis manus, nondum cruore Chriſti tepidas. Nihil enim habet impietas, niſi violentiam quo ſe tueatur. Non cognoſcit verum, non diſcutit cauſſas, ſed inſidias ſtruit, carcerem appellat, certè vt terrore ſupplicij multos ab Euangelio Chriſti abſterreat. Miro quoq; modo accelerat: niſi enim crudelibus auſis obſtitiſſet nox, iam protinus extinxiſſent innoxios. Hinc autem liquet nonam apud iſtos horam nobis fuiſſe tertiam veſpertinam.

Multi verò eorum qui audierant ſermonem, crediderũt, & factus eſt numerus virorum circiter quinq; millia.

Patientia ſanctorum.

Veritas Domini ſemper vincit. Hic enim aliquot millia accedunt, contemptis omnibus magnatum minis. Ergo nihil proficitur tyrannide, ſed quò magis premitur veritas eo magis eniteſcit. Non enim poterant excidere ſancti quoties cogitabant, Si crucifixus reuixit, & claudus reualuit, certè ne mors quidem aut cruciatus corporis perdere poterit: quid igitur timeremus? Id nobis quoque in periculis cogitandum, & ex iſtis diſcenda eſt conſtantia. Apoſtoli verò eam noctem in carcere exegerunt, crucem Domini portantes, & exemplum omnibus pijs præbentes, quod per multas tribulationes oporteat ingredi in regnum Dei. Nec illud myſterio caret, quod primo periculo non eximuntur, ſecundo demum eximuntur. Nam ex poſteriore captiuitate eduxit eos Angelus. Hic nemo educit. Annotandum & hoc, ambiguum eſſe an numerus circiter quinque millium iam veluti de nouo accreuerit, an duo millia prioribus tribus millibus (quorum mentio facta eſt in 2. cap.) addita, tantum conſtituant numerum.

Factum eſt autem poſtero die, vt congregarentur principes eorum, & ſeniores, & ſcribæ Hieroſolymis, & Annas princeps ſacerdotũ, & Caiaphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere pontificio. Et cum ſtatuiſſent eos in medio, interrogabant: Qua virtute, aut quo nomine feciſtis hoc vos? Tunc Petrus repletus Spiritu ſancto, dixit ad eos:

Mira antitheſi opponit paucis crucifixi diſcipulis idiotis, miſeris & coram mundo prorſus deſpectis hominibus, faſtum & ſapientiam mundi, poteſtatem & quicquid in orbe præclarum ac potens eſt. Hinc magno verborum pondere titulos neſcio quid magni ſpirantes recenſet, dicens principes, ſenatores, ſcribæ, ac docti Hieroſolymorum omnes, conuenere, Annas, Caiaphas, Ioannes, Alexan-

Alexander, & quotquot erant de prosapia pontificia, was von priesterlichem stammen was. Hos *Pompa mundi.*
autem omnes viros authoritate,opibus,opinione vulgi & hypocrisi graues,tenues & contempti no stri piscatores Petrus & Ioannes vincunt atq; cõfundunt. Nam stultitia infirmitasq; Dei sapientior ac fortior est sapientia mundi. Neq; est sapientia, fortitudo aut consilium vllum contra Dominum. Ad fastum ac terrorem pertinet & illud quod vinctos in medium statuunt,ipsoq; agendi habitu territant,ac velut è tripode dicunt:An vos soli sapitis? An verò tam celebrem conuentum primorum in religione virorum contemnitis? Fastum enim, multitudinem assectarum & diuturna tempora, mores auitos,vestes deniq;, supercilium,ac titulos admiratur mundus. Sed Apostoli Spiritu sancto repleti,fastum,id est,huius mundi stultitiam contemnunt,constantes permanent,& spiritu Dei docti,vultu alacri & intrepido,cordate respondent.

Principes populi & seniores Israel,si nos hodie examinamur de eo,quod benefecerimus homini infirmo, qua ratione iste saluus factus sit: notum sit omnibus vobis,& toti plebi Israel,quòd per nomen Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis,per hunc iste adstat coram omnibus vobis sanus.

Nihil adulatur Petrus,sed magistratum interim non fraudat honore iusto.Et paucis quidem ijs, *Prudentia in*
que simplicibus & perspicacissimis ad obiecta respondet. Veritas enim simplex est & perspicua,mor *dictis.*
bidus sermo pharmaca & fucos poscit. Interrogant illi non vt discerent,sed vt imprudentes caperēt in verbis,vel bene facta & diuina virtute patrata ceu magica calumniarentur. Cordate ergo nec minus prudenter respondet Petrus, & docet claudum Christi virtute esse sanatum, qui vnica orbis salus sit.Et hic orationis status est. Initio autem oblique ferit illorum conscientias,cum dicit,Examinamur de eo quòd homini benefecerimus. Quasi dicat, Magistratus non debebat terrori esse bene merentibus,sed male agentibus,adeò vt hactenus cõsueuerint examinari facinorosi,nunc eò res redijt,vt innoxij,imò benefici examinemur propter beneficia: vtcunq; verò id habet,quando scire cupitis cuius virtute ille sanatus sit: scitote quòd virtute Iesu Christi, illius inquam (obserua emphasim) quem vos crucifixistis,Deus enim non passus illi illudi,& gloriam eius aboleri,excitauit sepultum,& dedit illi nomen quod est super omne nomen.Id quod nos hac ipsa re præsenti vtiq; restitutione claudi comprobamus.

Hic est lapis ille, qui reiectus est à vobis ædificantibus,qui factus est caput anguli:nec est in alio quoquam salus.Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines,in quo oporteat nos saluos fieri.

Rursus ne quid desiderarent, & verba velut temerarij & male sani hominis contemnerent, ad- *Christus lapis.*
hibet robur scripturæ, quo & mortem & gloriam Christi perstringit. Nam reiectio significat crucem.Reiecerunt autem ædificantes,hoc est,docentes.Siquidem antistites religionis damnarūt Christum,qui Lapis ex visione Danielis & prophetia Isaiæ dicitur,nimirum propter firmitatem,& quod omnes qui ei repugnant,velut molari lapide conteruntur. Angularis verò lapis cognominatur, propterea quòd vtranq; gentem Iudæorum videlicet & gentium in vnam concludit Ecclesiam. Solent enim angulares duas compingere in ædificijs parietes. Licet ergo reiectus sit,tamen denuo exaltatus vtriusque gentis Saluator factus est:vt nunc in hoc vno salus consistat credentium. Nec enim (inquit Petrus) est in alio quoquam salus. Qua exclusiua omnia semel tolluntur, quibus hacteaus salutem tribuimus, Vota monastica,Missæ,Idola, Merita, Indulgentiæ, Diuorum cultus, in quibus omnibus nulla est salus.Sequitur enim apertior sententia,NEC ENIM ALIVD NOMEN EST DATVM INTER HOMINES, IN QVO OPORTEAT NOS SALVOS FIERI.Atqui nomen in hac sententia pro virtute ponitur:vt sit sensus,Deus nullum medium orbi *In quo consistat*
proposuit per quod saluentur homines quàm nomen, vim & meritum Christi. Sed ô Deus bone, *vera salus.*
quàm diu delituit hæc sacrosancta doctrina. Tot enim blasphemijs & erroneis doctrinis obscurata & violata iacuit,vt Christi mysterium paucissimis cognitum fuerit. Nec prętereundum censui quod Beda in hunc locum annotauit,scribens, Si nullo alio,sed in Christo tantùm mundi salus est,ergo & Patres veteris Testamenti eiusdem redemptoris incarnatione & passione saluati sunt,qua nos saluari credimus & speramus.Etsi enim Sacramenta pro temporum ratione discrepent,fides tamen vna eademque concordat. Et Diuus Augustinus de Præsentia Dei ad Dardanum capite decimoseptimo: Antiquis (inquit) iustis aliquid occultum erat,quū tamen & illi eadem fide salui fierent quæ fuerat suo tempore reuelanda. Non enim audemus fideles temporis nostri præferre amicis Dei,per quos nobis ista prophetata sunt,cum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob ita se Deus

esse commendat, vt hoc dicat suum nomen æternum. Et Apostolus, Habentes (inquit) eundem spiritum fidei propter quod scriptum est, Credidi propter quod loquutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur. Nō diceret eundem, nisi & illorum idem ipse esset spiritus fidei. Sicut autem illi quando idem Sacramentum occultum erat credebant Christi incarnationem futuram, sic & nos credimus factam. Et à nobis autem & ab illis futurus expectatur ad iudicium eius aduentus. Non est enim aliud Dei mysterium, nisi Christus in quo oportet viuificari mortuos in Adam. Quia sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur. Hæc Augustinus. Certè hic Petri locus multò est fœcundior, quàm quisquam assequi possit. Quare hunc pio Lectori diligenter pensitandum relinquo.

Videntes autem Petri in dicendo libertatem ac Ioānis, compertoq; quòd homines essent illiterati & idiotæ, admirabantur, & agnoscebant eos, quòd cum Iesu fuissent: hominem autem videntes stantem cum eis, qui sanatus fuerat, nihil poterant contradicere:

Libertas dicendi. Dicendi libertas vel apud Gentes magno in precio fuit. De qua re videre est Erasmi Chiliades. Hinc autem discant episcopi & verbi Dei ministri, ne ipsi quicquam in veritate Dei prædicanda vel metu intermittant, vel fauoris studio prætereant, sed cœlestem veritatem liberè & intrepidè doceant, more tamen Apostolico absq; scurrilitate & procaci maledicentia. Illiterati mittuntur ad prædicandum (vt ait Beda) ne fides credentium, non virtute Dei, sed eloquentia atq; doctrina fieri putaretur: vt Apostolus ait, Non in sapientia verbi, ne euacuetur crux Christi. Idiotæ enim dicebantur, qui propria lingua naturaliq; scientiæ contenti, artes & literarum studia nesciebant. Siquidem Græci ἴδιον proprium vocant. Plura huius generis inuenias in 1. ad Cor. cap. 1. & 2. Neq; tamen mirandum quòd hostes verbi nihil possunt contra Apostolos. Dixerat enim Dominus, Dabo vobis os & sapientiam, cui resistere non poterunt omnes qui aduersantur vobis, Luc. 21.

Iussis autem illis è concilio secedere, conferebant inter sese, dicentes: Quid faciemus hominibus istis? Nam conspicuum signum æditum esse per eos, omnibus habitantibus Hierosolymis manifestum est, nec possumus inficiari.

Simile in omnem modum consilium habemus Ioannis 11. hoc est, consilium amens, temerarium, & prorsus perturbatum. Et sanè talia oportet esse omnia omnium principum consilia, quæ ex humanis oriuntur adfectibus, & contra veritatem instituuntur Euangelicam. Videbant illi quid verum, quid iustum, sed cedere nolebant. Nam suis timebant compendijs. Atqui rarò benè cedunt eiusmodi consilia. Impietas enim tyrannisq; vitrea est, quæ dum ridet coruscatq; frangitur.

Sed ne amplius diuulgetur in populum, minaciter interminemur eis, ne posthac loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et accersitis illis, præceperunt, ne omnino loquerentur, neq; docerent in nomine Iesu.

Temeritas humana. O impudentiam: proscribunt quod erroris conuincere con possunt. O stultitiam & temeritatem postremá, quasi verò veritas & cœlitus regnātis vis à humana possit opprimi proteruia. En mihi stolidos homines, qui mortuum in sepulchro non potuerunt retinere, illi iam rediuiuum & cœlitus regnantem insectari & proscribere tentant. Verùm id nostri quoque solent, qui minis, edictis, idque genus alijs officijs, veritati incommodare quidem tentant, sed parum proficiunt. Hic dicunt, μὴ φθέγγεσθαι, id est, ne hiscatis quidem aut tantillam de Christo vocem emiseritis. Ita & nostri Bullas & Edicta sesquipedalibus verbis conscripta, & omnigenis conuitijs turgentia euomunt. Nolūt enim nomen Christi annuntiari, qui suum nomen quærunt. Et hæc quidem est mundi væsania.

At Petrus & Ioannes respondentes, dixerūt ad eos: An iustum sit in conspectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui.

Sed hæc est Christiana constantia, Deo potius quàm hominibus obedire. Venustum est autem illud quod per concessionem quandam ipsos actores asciscunt iudices. Ipsi (inquiunt) iudicabitis, si modo verum fateri velitis, vos ipsos hoc vestro præcepto de silenda veritate præscripto, toto errare cœlo. Quomodo enim poterimus nos id quod verum & compertum esse nouimus tanquam falsum & dubium transire? Quis obsecro sanæ mentis hoc aut exegerit à quoquā, aut præstiterit etiam si præstari possit? Hic autem videre est quanta sit fidei nostræ certitudo.

At illi

At illi additis minis,dimiserunt eos,nihil inuenientes, qua ratione punirent eos propter populum:quia omnes glorificabant Deum super eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo æditum fuerat signum istud sanations.

Impij vero quasi mare feruens,quod quiescere non potest,minas cumulant. Apostoli contra firma fide minas contemnunt, & in cœpta confessaque veritate pergunt. Atque hic infert Dominus impiorum pectoribus timorem populi, Deus enim medijs quibusdam suos seruat ad gloriam nominis sui:at vbi illi visum fuerit, protinus eos ad se recipit nemine obstante. Plures enim tum erant Christiani cum Petrus cæderetur,quam nunc sint:verum tunc suo defunctus erat officio. Et plebs ipsa quæ raro aliâs sapit,hic sapiebat,spiritu Dei imbuta:quocirca veritati tenaciter hærebat,permota etiam nonnihil insigni miraculo,ad cuius robur id quoque faciebat, quod annorum numerus tantus erat.Si enim natus erat annos quadraginta, & ab vtero matris claudus fuerat, certe quadraginta annis claudus fuerat.

Dominus suos conseruat.

Dimissi autem venerunt ad suos, & annunciauerunt quæcunque sibi principes sacerdotum & seniores dixerant.Qui quum audissent, vnanimiter attollebant vocem ad Deum,dixeruntque:

Hactenus expositum est quid mundus aduersus veritatem moliatur: rursus quanto nixu inter opprimentium turbas enitatur veritas:nunc exponetur quomodo in turbis hisce sese gesserit Ecclesia.Vnde nos quoque discemus quid in tentatione sit agendum. Confugiunt autem ad tutissimum omnium miserorum asylum,deum,hunc indefessis pulsant precibus. Nihil enim tam efficax est,atque oratio Ecclesiæ vnanimis. Cæterum quod Acta apud senatum Ecclesiæ exponunt, argumento est quod & nobis licet toti Ecclesiæ ea exponere quæ commodo aut incommodo esse possunt Ecclesiæ nostræ: vt interim seditionis nemo accusare possit.

Domine tu es Deus,qui fecisti cœlum ac terram, mare, & omnia quæ in eis sunt,qui per os Dauid pueri tui dixisti:Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ,& principes conuenerũt in vnum aduersus Dominum,& aduersus Christum eius. Conuenerunt enim vere aduersus sanctum filium tuum Iesum,quem vnxeras, Herodes simul & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, ad faciendum quæcunque manus tua,& consilium tuum prius decreuerat vt fierent.

Iam ipsam quoque orationem, quam ad Deum habuit Ecclesia,format. Scopus orationis est. Petit Ecclesia vt Deus virtute sua conseruet veritatem,ministros veritatis confirmet, ac Ecclesiam vniuersam protegat. Auspicatur autem à Dei omniptentia quæ rebus conditis patefacta est,& quæ recte expensa fidem in Deum animat.Hoc autem dicit Ecclesia,Potentissimus es ô Domine Deus, & potentiam tuam rebus conditis ita declarasti, vt nulli prorsus dubium sit, quin nemo sit mortalium,qui tibi resistere possit. Adsis ergo nobis ne prorsus pereamus,qui aliâs probe nouimus absque tribulatione regnum filij tui esse non posse.Primus enim ille passus est, nec aliter tamen quam Propheta Dauid prædixerat, neque vero & aliud nos vel hodie perpetimur quam quod idem ille prædixit,fore vt aduersus veritatis Euangelijque negotium optimates quique sint pugnaturi. De loco Psalm.2.non est quod agam pluribus, expositionem subiecit Ecclesia. Et ne quis Deum impotentem esse suspicaretur propter impiorum violentiam,subiungit, quo ea omnia non impiorum artibus,& vi,sed diuino patrata sint consilio.

Oratio Ecclesiæ.

Et nunc Domine aspice in minas eorum: & da seruis tuis, vt cum omni fiducia loquantur sermonem tuum:manum tuam porrigendo in hoc, vt sanatio & signa,& prodigia ædantur per nomem sancti filij tui Iesu.

Hic demum absoluitur oratio:iam enim petunt. Nihil autem pro sua,sed tantum pro Dei gloria petunt.In primis autem vt verbum veritatis fruticescat. Tu(inquiunt) qui iam iam filium excitasti,& ad dexteram tuam exaltasti,istorum quoque minas infringe: & præsta vt & veritas vincat, & serui veritatis tuæ cum dicendi libertate, tum agendi potentia spectabiles efficiantur. Neque frustra orarunt.Sequitur enim:

Et quum orassent illi, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur sermonem Dei cum fiducia.

Dixerat enim Dominus: Quicquid petieritis à patre in nomine meo dabit vobis. Constantior est autem Deus, quam qui mentiri possit, vel Ieremia teste in 32. & 33. Sed & in 15. cap. huius operis audiemus oratione fideli neruum & omne Herodis robur esse fractum: terram quoque in 16. Paulo & Syla in carcerem conclusis, fuisse commotam. Beda, Indicium auditæ precis (inquit) terræ motu percipiunt, quatenus agnoscerent terrena sibi corda esse cessura. Chrysost. Audi Prophetam (ait) A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Et facit Deus etiam per maiorem terrorem & ad fiduciam illos inducens post magnas illas minas, & ad libertatem maiorem exercens. Huc pertinet quod mox sequitur, Repleti sunt Spiritu sancto, id est, Spiritu sancto animati sunt adeo, vt iam loquerentur liberrime verbum Domini.

Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna,

Idem ferè dicit quod superius in cap. 2. dixerat. Porrò de ijs dicitur quod vnum cor & animam vnam habeant quibus inter se optime conuenit. Germani pari vtimur schemate quū dicimus, Es ist ein hertz vnd ein gmût. Vel, Es ist ein lyb vnd zwo seel. Quāuis hoc posterius paulò sit diuersius. Quod autem hæc ad hunc modum de arctissima coniunctione & charitate intelligi debeant, intelligitur ex consequentibus.

nec quisquā aliquid eorum quæ possidebant, suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini Iesu, & gratia magna erat super omnes illos. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut ædium erant, vendentes afferebant præcia eorum quæ vendita fuerant, & ponebant ad pedes Apostolorum. Distribuebatur autem singulis prout cuique opus erat.

Omnia erant communia. Sic inquam coniuncti erant vt amici solent, quibus omnia sunt communia, opes, fortunæ, & quicquid est rerum quæ ad vitæ vsum pertinent. Communio autem hæc (vt in 2. cap. monuimus) non erat talis qualem Catabaptistæ vellent, sed ius & proprietas possessionis manebat in dominio possidentis, cæterum ea quæ possidebat non ita possidebat, vt solent qui proprietatis nomine gaudent, ac velut soli terram inhabitaturi proprietatem rerum sectantur, sed veluti communes omnium opes ceu dispensatores asseruantes, liberaliter impartiebantur. Vnde fiebat vt nullus esset apud eos egens. Iam sequitur declaratio, Locupletes enim vendebant possessiones suas, & pretio iuuabant inopes. Neque vero hic quisquā (quod probe obseruabis) quantum volebat accipiebat, sed vnicuique prout opus erat distribuebatur. De qua distributione plura in 6. sequentur. Diuus Augustinus de moribus Ecclesiæ catholicæ contra Manichæos lib. 1. cap. 35. de hac eadem re docte disputans, Quid (inquit) calumniamini quod fideles & iam baptismate renouati procreare filios & agros ac domos pecuniamque vllum possidere non debeant? Permittit hoc Paulus. Nam quod negari non potest fidelibus scripsit. Post multorum quippe vitiosorum annumerationem qui regnum Dei non possidebunt, Et hæc quidem fuistis (inquit) sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Domini nostri. Ablutos proculdubio & sanctificatos nemo nisi fideles, & eos qui huic mundo renunciauerint intelligere audebit. Sed quoniam ostendit quibus scripserit: videamus vtrum his illa permittat. Ita enim sequitur: Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt: omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis. Et quę sequuntur. Nam reliqua 6. & pleraque 7. cap. prioris ad Corinth. subiungit. Idem in libello de hæresibus ad Quoduultdeum in Apostolicorum titulo eos recenset inter hæreticos, qui illicitum aiebant, vt Christianus proprias possideret facultates. Hos enim Encratitis iungit. Ex istis omnibus autem discimus charitati studere, & communicationis non obliuisci. Hoc certe nemo ierit infitias, nullos apud nos quoque fore egenos, si externarum fortunarum fideles essemus dispensatores, & si quisque suam prouinciam strenue obiret. *Mores nostri seculi.* Quotus enim quisque nostrum esset otiosus? Pauci ergo essent egentes, qui liberalitate nostra ditissime possent nutriri. Nutriuimus olim impensis communibus tot monachorum Chiliades, tot denique impostorum myriades, quid quod omnia templa ad luxum, imò miraculum vsque ornauimus? Ergo si cordi nobis esset pietas, minimo negotio consuli posset egenis. Verum ad idololatriam instruendam omnes eramus promotissimi, nunc

vero

vero pauperum nemo miseretur. Et quod hisce inferitur Apostolos resurrectioni Domini magna virtute dedisse testimonium, virtus eo loci non modo pro miraculorum potentia, sed & pro authoritate & libertate cum agendi, tum dicendi vsurpatur. Resurrectionem quoque hic pro toto Christi negotio posuit, vt in 1 Capite.

Ioses vero, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis: quod est, filius consolationis, Leuites, Cyprius genere, quum haberet agrũ, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ad pedes Apostolorum.

Misericordia. Peculiare boni viri exemplum est, cui mox opponit pessimi Ananiæ paradigma. Et animi constantia liberalitasque priori cognomen indidit lætum. Nam ex ipsa re dictus est Barnabas, quasi tu dicas, Filius refocillationis, id est, vir cõsolationis. Germanus diceret, Ein troſtlicher/redlicher: vel, Troſthart/sicut Rychard/Leonhart/id est, ditissimus & prorsus Leoninus. Hebræi eiusmodi suo more filios dicunt: vt filius perditionis, pro perditissimo. Proinde non abs re credit Beda allegoriam verbis inesse, quoties scriptura sacra nomina rerum vel personarum cum interpretatione ponit. Merito enim filius inquit consolationis vocatur, qui præsentia contemnens spe futurorum consolatur. Nec caret mysterio, quod pecunias ad pedes abijcit Apostolorum. Id vero carmine explicans Arator dixit:

Ponitur ante pedes, non sacris dedita dextris,
Destitui debere probant quod tangere vitant,
Calcandumq́; docent quod subdunt gressibus aurum,
De quo terrenæ veniunt ad pectora curæ.
Consimili iactatur humo.

Ad præsens Barnabæ exemplum plurimum facere videntur, quæ referunt hystoriæ de Paulino episcopo Nolano. Is enim dum Barbari Nolam diruerent, Domine (inquit) non excrutier propter aurum & argentum. *Matth. 6.* Vbi enim omnia mea sint tu scis. Idem ille pro captiuis redimendis omnem censum consumpsit. Authores Ambro. Officio. lib. 3. Cap. 28. Augusti. de Ciuitate Dei lib. 1. Cap. 10. & Paulus Diaconus.

CAPVT V.

VIr autem quidã nomine Ananias cum Saphira vxore sua vendiderat possessionem, & seposuerat de precio, conscia etiam vxore sua, & allatam partem aliquam ad pedes Apostolorum posuit.

HOC ipsum est illud versutissimi hominis Ananiæ paradigma, superiori ex diametro oppositum. *Seuerum exemplum.* Nunquam enim tam felix & purgata fuit Ecclesia, vt in ea non esset hypocritæ & mali. Quãdo & in duodenario electoq; Apostolorum choro inuentus sit proditor. Oportebat autem inter prima Ecclesiæ initia seuerum aliquod ædi facinus, ne lenitas doctrinæ Apostolicæ apud hypocritas & palàm impios prorsus veniret in contemptum. Raro itaq; & horribili exemplo perit Ananias: cuius peccatum graphice primo describitur, secundo interitus. Peccatum autem reuera vnum erat, diffidentiæ quidem, sed auaritia & hypocrisi tectum. Volebat enim ille (nostrorum more) duabus sedere sellis, & illustris haberi in Ecclesia, cuius rei gratia, partem facultatum offerebat: & tutus interim esse, si res sinistrius cederent Apostolicæ: hinc enim alteram facultatum partem condidit, vt tum suppeteret vnde viueret. Typus est omnium hypocritarum & versutorum hominum, qui cum corde sint duplici, nihil synceri agunt. Oculum enim impurum habent, qui gloriam humanam & compendium periturum spectat.

Dixit autem Petrus: Anania, cur impleuit satanas cor tuum, vt mentireris Spiritui sancto, & fraudares de precio agri?

Nihil enim opertum quod non reueletur. Dominus enim reuelat seruis suis hominum malitiam, vt eam accusent, & ad pœnitentiam hortentur. Petrus ergo peccatũ Ananiæ spiritu Dei olfaciens ipsum grauissime accusat. *Hypocrisis ex diabolo.* Et principio quidem ostendit authorem instituti sui non esse spiritum Dei bonum, sed satanam: deinde hoc ipsum hypocrisim & excogitatam referre malitiam, quod tantum scelus ex versutia (vel conscientia teste) faciens, ex spiritu Dei factum videri vellet. Hinc per interrogationem, imo admirationem indignabundam effert orationem, & ait: Cur impleuit satanas cor tuũ, vt mentireris Spiritũ sanctũ? Sic enim habet codex Græc9, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα, τὸ ἅγιον. Cæterũ Latine

dicimus eos religionem mentiri,qui mentiendo,id eſt,ſimulando religioſi videri volunt. Mentiebatur ergo Spiritum ſanctum,quod ſimularet ſe ſpiritu Dei bono facere, quod tamen ſpiritu malo incitante patrabat.Atqui Græcis frequentiſsimum eſt vt accuſatiui ponantur pro datiuis.Rectè igitur legimus,vt mentiereris Spiritui ſancto.Quemadmodum paulò poſt exactiſsime expoſitum legimus, Non mentitus es hominibus,ſed Deo.Sed quod nam illud mendacium? quę illa impoſtura eſt? Fraudare de pretio agri.Simulare inquam quod omnem ſubſtantiam inſumpſeris in egenorum alimoniam,cum interim partem optimam ex diffidentia tibijpſi reſeruaris. Vbi clariſsime vides diffidentiæ iunctam eſſe auaritiam vnà cum hypocriſi: à quibus malis ſi quis ſibi cauerit magnam animi ſerenitatem libertatemq; acquirit.

Nónne prorſus tibi manebat,& venundatus in tua erat poteſtate? Quare póſuiſti in corde tuo rem iſtam? Non es mentitus hominibus ſed Deo.

Verba Græca Hebræam referunt anadiploſin ac epitaſin οὐχὶ μένον σοὶ ἔμενε,id eſt, Nònne manens tibi manebat,hoc eſt,verè ac prorſus tibi,nemine reclamante,manebat? Amplificat enim peccatum miſeri,idque gradibus duobus.Primo,Nemo cogebat vendere.Secundo, Etſi vendideras,nemo cogebat te pretium adferre.Nam ſeruare totum licebat.Ex quibus verbis duo colligimus. Prius vnum atq; idem peccatum gradibus increſcere & ſeipſo ſubinde grauius fieri. Poſterius, communionem primitiuæ Eccleſiæ,neque coactam fuiſſe ; vt ille qui non omnia vendidiſſet & pauperibus dediſſet Chriſtianus non eſſet,neque talemqualẽ hodie ſomniant Anabaptiſtæ Manicheorum ſoboles. Iam per acerbam obiurgationem ſubiungit,Quare poſuiſti in corde tuo rem iſtam? Quod locutionis genus Germani ita efferimus,wie haſt du das nun dörffen in dein hertz nemmen? Quoties monemus rem vel turpiorem,vel ſceleratiorem eſſe, quam quæ in hominis debeat incidere pectus. Iam vero addit pondus,Non es mentitus hominibus,ſed Deo.Deus enim cordium ſcrutator eſt. Hominibus quidem citra negotium imponimus : at Deum ipſum nemo decipere poteſt. Arduum eſt autem illud quod audimus eos qui ſeruis Dei in negotio fidei ac religionis mentiuntur,non hominibus,ſed ipſi Deo mentiri. Eſt & hoc à multis diligenter obſeruatum,quod hic dicitur,Non es mentitus hominibus,ſed Deo. Inde ſic colligunt,Ananias ſpiritui mentitus eſt,& Deo mentitus eſt:ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

Aduerſus Macedonium.

Audiens autẽ Ananias hæc verba,collapſus expirauit.Et ortus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt hæc.Surgentes autem iuuenes amouerunt eum,elatumq́ ſepelierunt.

Deus iuſtus vindex animaduertit in ſcelera impiorum.Corruit ergo Ananias,neque verbis,neque execratione Petri fuſus,ſed propria malitia,per iram Dei,proſtratus,Nihil enim Petrus illi imprecatus erat incommodi,ſed peccatum eis duntaxat protraxerat ac accuſarat. Cæterum huic protenus aderat iuſta Dei vindicta,proinde concidebat rea conſcientia.Neque verò hic quicquam agebatur de iactura pretij,ſed de hypocriſi,auaritia,ac diffidentia. Voluit enim hoc exemplo declarare Dominus quantopere ipſi diſpliceat hypocriſis quorundam hominum , qui ſpecie & fuco Chriſtiani ſunt,at ipſa re impoſtores , ac diuinarum rerum contemptores. Hinc vero omnia tam graphice ſunt depicta vt rem quis agi magis quam exponi putare poſsit.

Hypocriſis punitur.

Interceſsit autem fermẽ horarum trium interuallum, vxor quoq́ ipſius neſciens quod factum fuerat,introiuit.Reſpondit autem ei Petrus: Dic mihi,num tanti agrum vendidiſtis? At illa dixit:Etiam,tanti.Petrus autem ait ad eam:Cur conſpiraſtis inter vos,vt tentaretis ſpiritum Domini? Ecce pedes eorum,qui ſepelierunt virum tuum,ad oſtium adſunt,& efferent te. Cõfeſtim autem concidit ad pedes eius,& expirauit. Ingreſsi autem iuuenes, repererunt illam mortuam,& extulerunt ac ſepelierunt iuxta virum ſuum.

Interitus impiorum.

Simili exemplo extincta eſt & Ananiæ vxor Saphira. Non enim abs re putauit vetuſtas periculoſam eſſe malorum amicitiam.Reperit Deus aliquando nocentes,nec cuiquam parcit impio.At ipſa impietas & hypocriſis ſupra modum impudens eſt,nec minus audax. Cordate enim reſpondet Saphira & ſine fronte mentitur,vſqueadeo,vt vel cordato imponere poſsit. Sed nõ mouetur prudens ſimplicitas impiorum ac hypocritarum grandiloquentia:neque ipſe Deus fucum,ſed veritatem reſpicit.Igitur mendacem & impudentem Saphiram fundit.Iam vero expende an non etiam ipſe Deus vinculis aſtringat arctiſsimis , quos in verbo veritatis & per obiurgationem ligauerint verbi veritatis

ritatis ministri. Hinc itaque conijce quæ sit vis & administratio clauium. De quibus commodius alibi dicetur. Colligimus item ex hoc loco à magistratu iure occidi blasphemos & maleficos homines. Hæc enim puniendi ratio cuius hic meminit scriptura veluti extraordinaria est: licebit ergo ordinaria in sontes animaduertere. Et spiritus Dei non minus agit in Christiano magistratu dum solitis puniendi vtitur instrumentis, quam egit in Petro vtente insolitis, nempe verbis. Occidere est occidere, punire est hoc quod dicitur quocunque fiat modo quocunque instrumento. Sed Apostoli (ais) non sunt vsi instrumentis vulgatis. Nec tu vtere, si verbi tantum vt illi geris officium. Verum vt concedis benefacere qui vocati sunt ad munus medicum, quum sanant ordinarijs medijs, etsi Apostoli curarint morbos extraordinarijs nempe verbis: ita agnoscere quoque cogeris benefacere magistratus quum puniunt blasphemos, aduersantes sanæ doctrinæ, & sceleratos instrumentis suæ vocationis, nempe gladio, sicut Apostoli suis, id est, verbis. Iam vt non peccant magistratus cum suo funguntur officio, ita non peccant ministri verbi, cum illos admonent sui officij. *Magistratus iure occidit blasphemos.*

Et ortus est timor magnus super vniuersam congregationem, & super omnes qui audiebant hæc.

Scopus huius facinoris est, vt timeamus Dominum, & in veritate coram illo ambulemus. Nam etiamsi hypocritæ superbia ad cœlum vsq; (vt ait Sophar) ascenderis, & caput eius nubes attigerit, tandem tamen quasi sterquilinium peribit: & qui viderant eum, dicent, Vbi est? At qui Dominum timuerint, & in veritate permanserint in æternum, non peribunt, Iob 20. Omnes (inquit Lucas) qui audiebant hoc facinus, timebant. Audiamus & nos, ergo timeamus.

Per manus autem Apostolorum ædebantur signa ac prodigia multa in populo. (Et erant vnanimiter omnes in porticu Solomonis. Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus: magis autem accrescebat credentium Domino multitudo virorum simul ac mulierum) ita vt in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, vt venientis Petri vel vmbra obumbraret aliquem illorum. Conueniebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hierosolymā, afferens ægros ac vexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur omnes.

Ordo sermonis est hoc in loco paulò perturbatior: Complanandus ergo siue subintellectis aliquot vocibus, siue interposito paréntheseos signo, quod vt simplicius ita magis genuinū esse videtur. Si vero propterea horreas parenthesim quod Græci eam non habeant, iam necesse est intelligas neminem efferre ad Apostolum ægrotos potuisse nisi credentes, & iccirco scriptum esse, Creuit credentium multitudo, ita vt in plateas exportarent infirmos. Aliâs enim inabsoluta erit oratio. Nihil enim habebit hoc membrum, Ita vt, cui hæreat siue respondeat. Verum per parenthesim (vt dixi), absolueris hæc commodissime. Nunc autem iterum describit miracula Apostolorum diuina virtute facta, cœtus, concordiam, credentium incrementa, ac prophanorum hominum stuporem ac timorem. Congregabantur ad preces & verbi diuini prædicationem non in recessu aut abdito loco, sed in celeberrima Solomonici templi parte, in porticu videlicet. Non enim locus per se, credentes polluit, sed loci superstitio ac abusus. Ingrediebantur illi templum, sed religioni non fidebant, nec sacrificabant. Imo legimus Romæ & Alexandriæ vetera dæmonum delubra per sanum verbi Dei, precum, & sacramentorum vsum in Dei consecrata esse oratoria. Vnde iam non ipsi loco per se quidem quicquam tribuitur sanctimoniæ, quū dicimus sacra templa, & Ecclesiam Dei sacrosanctam, sed propter res sacrosanctas, quas in ipsa peragit Ecclesia sacrosancti nomē indipiscitur. Quis enim impune prophanarit ædem siue palatiū senatoriū? At quis tam væcors, qui credat hoc quicquā præstare cæteris ædificijs? Ergo harum rerū æstimatio ex vsu & abusu, nō ab externa pendet specie. Nemo ergo miretur quod in templo conuenerunt Iudaico. Cæterū in publico isto cœtu primas tenebat vnanimitas ac concordia. Cū enim omnis congregatio ecclesiastica congregatur ad audiendū verbū Dei, ad celebrandam eucharistiam, & ad offerendas puras preces Domino: hæc autem omnia citra charitatis vinculum subsistere nequeant, haud iniuria tam diligenter monetur cœtum istorum prorsus fuisse vnanimem. Hæc item concordia & sanctimoniæ studium authoritatem apud prophanos quoque parauit credentibus. Non enim minis aut tyrannide aut hypocrisi vera paratur authoritas, sed iustitia & charitate: quæ cum inter istos essent præcipua, nihil mirum quod exteri & impuri se non auderent iungere concioni tam sanctæ. Faciebat & ad hanc rem nonnihil seuerum Ananiæ exemplum. Quisque enim verebatur, ne forsan simili interiret supplicio. Porro de miraculis non est

Ingressus in templum.

Authoritas quibus rebus paretur.

Vmbra Petri. quod pluris agam hic, quando iam satis constat, vel ex tertio huius libri capite, quod omnis virtus miraculorum Dei est, non hominis, per quem secundum dispensationem apud nos agit. Per solem administrat orbi cœlestis pater lumen eximium: at quis tam stolidus, vt huius rei gratia censeat solem esse colendum? Vnus enim Deus colendus est, qui omnia operatur in omnibus, cuius tanta est potentia ac gloria, vt eius vmbra efficacior ac robustior sit omni robore humano. Huc enim pertinet quod de Petri vmbra refertur. Non enim credendum est, quod vmbra hominis tam fuerit efficax, sed quod virtus Dei quæ se secundum dispensationem nobis minutis rebus ita insinuat, egregia ista effecerit. Nam & in Euangelio virtuti Dei absolute tribuitur quod fimbriæ vestis Christi videbatur ascriptum. Palàm enim dicit Dominus, Tetigit me aliquis. Nam & ego sensi virtutem ex me exisse. Alij hic de vmbra Petri disputantes mire se torquent, & aiunt illud verbum Domini hic esse completum, quod ad discipulos apud Ioannem dixit, Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora his faciet. Certe nos ex ijs & similibus prodigijs discimus Deum vt omnipotentem, sic mire benignum esse qui & possit & velit omnes & animi & corporis tui morbos curare, modo ipsi fidas, & ipsum inuoces, adores & colas. Huc enim trahunt Apostoli cum doctrina sua tum miraculis. De qua re in 3. cap. dictum est.

Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ est factio Sadducæorum, repleti sunt æmulatione, & iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.

Recte censuit vetustas virtutem comitem habere inuidiam. Videmus enim impijssimos mortalium Pharisæos ac Sadduceos nulla neque sancta constantia neque veritate diuina permoueri, neque prodigijs territari, sed æmulatione adeo superari, vt innoxios iam in publicâ ceu in publico crimine deprehensos ponant custodiam. Atque hæc iam in 3. capite audiuimus esse impiorum arma. Sed ô miseram religionem, quæ non potest aliter defendi, quam pessimorum nebulonum armis, & tyrannorum iniuria atque rapina.

Sed angelus Domini per nocte aperuit ianuas carceris, eductisque illis, dixit: Ite, & stantes loquamini in templo populo omnia verba vitæ huius. Illi vero cum hæc audissent, intrauerunt diluculo in templum ac docebant.

Propheta Prouer. 16. Cor hominis (inquit) deliberat de via sua: Dominus vero promouet gressus suos. Impij ergo constituerant vinculis & carcere prædicationem coercere Euangelicam, sed Dominus longe aliud istituerat: coruumq; deludit hiantem. Nam vt verbum Dei alligari non potest, ita ipse Deus ministros verbi sui non potest non tueri & à periculis eripere. Nemo ergo post hac vincula ac carceres timeat. Si Deo visum sit, eripere poterit: sin minus, attamen saluabit. Impij sane percipiunt veritatē sileamus, atqui Deus, Ite (inquit) & stantes prædicate omnia verba vitæ huius. Euangelium autem est verbum vite, testimonium præbens de Iesu Christo, qui est via, veritas & vita. Iam sancti malunt præcipienti Domino obedire quam minis tyrannorum obsequi.

Adueniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium & vniuersum seniorum ordinem filiorū Israel: miseruntque ad carcerem qui adducerent eos. Cum autem venissent ministri, nec reperissent illos in carcere, reuersi nunciauerunt, dicentes: Carcerem equidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes foris stantes ante ianuas: cum aperuissemus autem, neminem intus reperimus. Vt autē audierunt hos sermones, & sacerdos, & magistratus templi, principesque sacerdotū, ambigebant de illis, quid nam hoc futurum esset. Adueniens autem quidam, nunciauit eis: Ecce, viri quos posueratis in carcere, sunt in templo stantes, ac docentes populum.

Supra modum iucunda est hæc historia, qua ceu in tabula spectandum proponitur quam vana sint hominum aduersus Deum & veritatem eius consilia, quam facete item frustretur ille maximos etiam orbis procerum conatus. Hoc futurum præuidit Propheta, & iccirco cecinit, Vt quid frendunt Gentes? cur vana moliuntur populi? Concursant reges orbis, & principes in vnum coeunt aduersus Dominum & Christum eius. Rumpamus (inquiunt) vincula eorum, & lora eorum à nobis proijciamus. At qui cœlos habitat Dominus ridet ad ludit eos. In ira ac furore suo conturbat eos.

Deus frustrat consilia impiorum.

Quid

Quid autem potuit huic vaticinio quadrantius aptari, quam quod hoc in loco descriptũ audimus? Principes videlicet maxima grauitate considere, consultare, victosq; in medium statuendos vocare: quos interim è vinculis eduxerat Dominus, itaq; principes deluserat, qui tamen mire anguntur vtpote perplexi (hoc enim potest verbum διηπόρουν ambigebant) & inopes consilij, & hoc ipso omnium stolidissimi quod ab incepto non desistebant, qui contra veritatem nihil auspicate ac feliciter incipiebant. Verum hic est omnium contra veritatem occæcatorum mos. Quo enim minus proficiunt, hoc magis sese in procinctum Martis expediunt. Hic quoq; habes quod illis opponas qui captiosa quęstione interrogant, quomodo verum corpus Christi ad discipulos clausis peruenire potuerit ianuis? Nã vt iam non dicam nullibi extare quod per clausas perruperit ianuas hoc tamen vicissim ab illis scire cupio, quomodo carcere clauso Apostoli, qui ad vesperam in illum erant positi, nunc ad auroram potuerint in templo concionari? Quid si responderint, Angelum ianuas aperuisse carceris, & eductos in templum statuisse, quid prohibebit quo minus id quoque Christo exhibitum credam, de quo scriptum est, Et angeli accedebant & ministrabant ei? Quid obsecro nodum quærimus in scirpo? An vero cuiquam suadebit pietas, vt contentionis gratia in dubium vertat rediuiui corporis Christi veritatem, qua labefactata, necessarium est & corporis nostri labefactatam esse resurrectionem? Quasi vero corpus clarificatum exuta carne & in phantasma versum, ita corpus ianuæ transeat, vt solent radij solares vitrum transparere. Sed redimus. *Christi corpus per clausam ianuam.*

Tunc abit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi: Timebant enim populum, ne lapidarentur. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio.

Semper enim suos defendit Deus, vt impij non noceant quando volunt, sed quando ipsi visum fuerit. Interim media quędam ordinat per quę suos seruat. Turpe autem est quod principes plebem plus timent quam Deum, sed impij non credunt Deum, ergo Deum non requirunt, terrenis ac visibilibus tantum mouentur. Sed & ipsa rea conscientia, impietatis sensu transfixa non sinit tantum nocere quantum aliàs cupit impietas. Existit enim è serena conscientia serenitas & confidentia, è nubila vero horror atq; pauor. Nam recte dixit poeta, Timet mali sibi conscia mens.

Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens: Nonne etiã atq; etiam præcipimus vobis, ne doceretis in nomine isto? Et ecce replestis Hierosolymam doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinẽ hominis istius.

Probe refert istorum hominum tumentem grandiloquentiam. Nonne (inquit) præcipiendo præcepimus vobis, id est, acriter, & summa cum seueritate præcepimus vobis vt à prędicandi, id est, tumultuandi functione abstineretis? Tria enim impingunt Apostolis. Primum, quod senatus consultum & scribarum edictum & violarint & contempserint. Secundum, quod prædicatione nominis Christi plebem seduxerint. Tertium, quod tumultum & cędes in senatum deriuare instituerint. Atqui ipsi in sese susceperant omnem Iesu Christi sanguinis vindictam, clamantes, Sanguis eius super nos & super filios nostros: nunc vero id innoxijs impingunt, quod ipsimet fecerunt vere omnium mortalium nocentissimi. Hoc ipsum hodie quoq; obijcere solent pijs omnes veritatis Dei hostes. Cum enim obiurgantur peccata eorum & pœna nunciatur sceleribus debita, protinus clamant. Seditiosum esse, & sanguinis sitientem prædicatorem. Hi videre volunt quod sceleribus suis in sua capita iam olim prouocarint gladium Domini. Non enim is inducit sanguinem innoxium in tyrannos, qui iram ac vindictam Dei tyrannis paratam nuntiat, sed ipsemet tyrannus qui ita agit, vt iustitia Dei in iustitiam impij multam non possit transire. Id cum ita habeat, nec quenquam lateat, nihil ad hanc peculiariter respondet accusationem, sed ad alias duas descendit, in quibus & tertiam videbis inclusam. *Impiorũ grandiloquentia.*

Respondens autem Petrus & Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.

Apologetica est hæc oratio Petri. Primo enim diluit quod obiecerat contemptum senatus consulti, sic autem diluit vt dicat magistratui quidem parendum esse, sed in negotijs ciuilibus & ad vitæ vsum pertinentibus. At in negotijs Dei Deo magis obediendum esse quam hominibus. Caussam autem præsentem esse diuinam, quocirca ipsa religione adactos esse vt diuina plus quam humana spectarint. Inde vero nos discimus quatenus magistratui obediendum & quatenus non sit obediendũ. Obediendum quidem quoties ea præcipit quæ cum religione nostra non pugnant. Nam si impia iubeat, nemo parere debet. De qua re pluribus disputat Paulus ad Rom. 13. *De obedientia*

Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem & seruatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, remissionemq́ peccatorum, ac nos sumus ei testes horum quæ dicimus: insuper autem & Spiritus sanctus, quem dedit Deus obedienbibus ipsi.

Prædicatio Christi. Deinde vero summam prædicationis de Christo exponit, ex qua deinde appareret quod neminem seduxissent, nec in quenquam deriuassent innoxium sanguinem. Pœnitentiam enim (inquit) & remissionem peccatorum prædicamus per Christum, non seditiones. Et nihil prorsus hic de religione Christiana dicit, quod non dixerit in superioribus duabus orationibus. Constans enim & semper sui similis est prædicatio veritatis, nisi fortassis hæc videantur annotanda. 1. Palàm hoc sermone describi sacrosanctæ & ineffabilis Trinitatis perfectionum. Nam patris fit mentio, & filij suscitati à patre, & Spiritus sancti donati obedientibus ipsi. 2. Suscitandi verbo denuo ad vaticinium Mosis Deut. 18. allusum esse, De qua re dictum est in cap. 3. Deinde verò Christum principem ex Michææ quinto cap. & saluatorem ex Isaiæ Prophetia vocatum esse. 4. Clarissime hic repeti quod dixerat in Euangelio Dominus, Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pænitentiam ac remissionem peccatorum in omnes Gentes, initio facto ab Hierosolymis. Euangelium enim partim accusat peccata, suadet vitæ immutationem, & innocentiam docet, partim vero consolatur & remissionem peccatorum pollicetur per Christum. Porrò ipse Dominus in Euangelio Ioan 15. ita de se testaturos prædixerat spiritum & Apostolos, quemadmodum hoc loco eos testari videmus. Sed & illud non caret mysterio, quod dicit spiritum sanctum datum esse obedientibus ipsi. Nam hoc ipso ferit conscientias optimatum, monens repugnantibus & veritati obsistentibus non conferri donum Dei Spiritum sanctũ. Id quod & Propheta præuidens dixit, Nisi credideritis, non intelligetis. Interim autem expende mihi, amice lector, quales fuerint Apostolorum conciones siue orationes de vera religione habitæ, & quantum dissideant à quorundam magno sese venditantium orationibus, quæ non nisi de diuorum cultu, humanis traditionibus & ceremonijs sunt institutæ. Vnicum Christum prædicabant Apostoli, traditiones istorum nesciebant. Omnis ergo perfectio & plenitudo in Christo Iesu constituta est, quæ vt non potest aliunde disci quam ex prophetica & apostolica doctrina, ita non potest vlla alia re hauriri quam fide in Christum vera ac sana.

Hæc autem cum audissent, dissecabantur, & consultabant vt interficerent illos. Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, in precio habitus apud totum populum, iussit vt paulisper secederent foras Apostoli.

Diuersa describuntur hominum ingenia. Diuersimode enim ex verbo veritatis afficimur: quæ quidem diuersitas non oritur ex doctrina veritatis, sed ex animorum inæqualitate. Impij ergo hoc loco nihil aliud quam cædem parant, & sanguinem sitiunt innoxium. In caussa erat animi peruersitas & crudelitas. Gamaliel pro prudentia sua & animi modestia longe aliud decernit. Illi in templo laniandis pecudibus assueti, de sanguine & laniena disserunt. Hic vero scripturis & lege Dei assuetus à crudelitate retrahit, & sapienter consulit. Habet enim Deus ministros suos vel in impiorum medio, quorum opera ad defendendum suos vtitur. *Gamailiel.* Qualem hoc loco videmus fuisse Gamalielem, cuius quidem authoritas magna fuit non tantum apud exteros Iudaicæ religionis cultores, sed apud nostrates quoque. Meminerunt enim eius non citra insignem honoris prærogatiuam Doctores ecclesiastici. Nam ipse Paulus in 22. huius libri capite fatetur se ad pedes huius Gamalilis perdidicisse legem. Hinc D. Hieronymus eius mentionem facit in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. Imò Chrisostomus, & post hunc Beda ex authoritate Clementis Alexandrini aiunt Gamalielem fuisse in fide Apostolorum socium. Minus ergo mirandum est quod tam cordate Apostolorum causam agit. Sequitur enim:

Dixitq́ ad illos: Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens se esse aliquem, cui adhæsit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilũ. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum multum post se, & ipse perijt, & omnes quotquot paruerant ei, depressi sunt.

Suasorij generis oratio est,multum habens eruditionis,prudentiæ & lenitatis. Nam ab exemplorum inductione persuadere conatur,ne in hac caula sint præcipites & temere ferantur in Apostolos. Nihil autem magis mouet cum rudium tum prudentium animos quam inductio exemplorum, potissimum si ea quæ proferuntur nupera sint, qualia erant præsentia. Priusquam verò consilij sui statum aperiret mira prudentia exempla præmittit, vt deinceps maiori securitate summam consilij sui subiungere posset,quam si ab initio protinus nudis proposuisset verbis,ac dixisset, Abstinete ab hominibus istis & finite illos,proculdubio parantem dicere non audiuissent. Nunc itaq; dissimulato hoc animi consilio,primum exordiolo à rei grauitate sumpto attentionem excitat auditorum,dicens,Viri Israelitæ,diligenter quæso expendite quid statuatis de hominibus istis.Deinde vero caussam sic auspicatur,vt aliquousq; nescias in quam partem sit inclinaturus.Protinus enim in medium producit Theodæ exemplum. Porro hic Theodas,quem Græci codices vocant Theudam,multos Iudæorum excitauit,vt arreptis facultatibus suis,se sequerentur. Nam cum Magus esset & impostor egregius,Prophetam se Dei magnum iactabat,prodigiosa etiam pollicitans,se quippe mandaturum vt Iordanis finderetur fluuius,quo facilior esset transitus. Mox itaq; adhæsit illi (vt fit) maxima virorum copia,eorum inquam qui suarum rerum profusi,alienarum vero appetētes, homines erant consceleratι,alieno ære depressi & prorsus conclamati:quos demum Fadus Iudææ præfectus,cohorte equitum immissa,disiecit,& partim quidem cœpit,partim vero trucidauit, duce inter primos sectione capitis mulctato.Meminit huius Iosephus Antiquitatum lib.20.cap.4.Idem in cap.5.libri eiusdem, item lib.18.cap.1.de Iuda Galilæo historiam texens,refert quomodo is ex oppido Gamalas oriundus,& Gaulonites siue Galilæus cognominatus, Saduchum quendam Pharisæum sibi iungens, ingentem inter Iudæos seditionem suscitarit.Negabat enim tributum Cæsari pendendum,& tributum aliud nihil esse dicebat,quam integram seruitutē. Huius ergo rei gratia Cyrenius & Copinius, viri consulares, Roma in Syriam venientes,Iudam quidem extinxerunt,sectatores vero eius oppresserunt,& descriptionem totius prouinciæ instituerunt,cuius & Lucas meminit in priore Euāgelicæ historicæ lib.cap.2.ἀπογραφὴ enim qua voce vtitur hoc loco Lucas & descriptionem & professionem significat,diuerso tamen respectu.Profitentur enim qui dant omnia, sed describunt qui accipiunt & censent.Nam in his & capitum numerus expenditur,& facultates cuiusq; æstimantur.In re militari nomina dare dicuntur milites,dum censentur, siue (vt hodie dicunt) monstrantur. Cæterum hæc Gaulonitica secta supra modum afflixit res Iudaicas.Nam etiamsi Iudas seditionis & praui dogmatis author,extinctus esset,nihilominus serpebat latius malum perniciosum,adeo vt & Christi temporibus verteretur quæstio,An Cæsari iure diuino deberetur census? Denique tiberius Alexander, qui in præfectura Syriæ Cuspio Fado successit,Iacobum atq; Simonem & ipsos Iudæ Galilæi filios,hâc ipsam ob causam,& quod peruersum dogma mordicus tenerent,crucifigi imperauit. Inuenias & hodie eius hæreseos asseclas,qui dicant neq; Decimas,neq; Census,neq; Tributa deberi.Inuenias item alios, qui soluenda esse censeant, sed nullo iure deberi asseuerent, Verum impostores sunt,digni qui & Theodæ & Iudæ & Dosithei & Spartaci luant supplicia. Nos enim didicimus magistratui soluenda esse ea quæ magistratus sunt,Deo item quæ Dei sunt.

Prudens Gamalielis oratio

Theodas.

Iudas.

Et nunc dico vobis,abstinete ab hominibus istis,& finite illos.Quoniam si est ex hominibus consilium aut opus hoc,dissoluetur: Sin ex Deo est,non potestis dissoluere, ne quando & Deo repugnare reperiamini. In huius autem sententiam pedibus itum est à cæteris;

Iam vero totum consilium & exemplorum vim colligit in dilemma validissimum. Hactenus enim ista exempla ita produxit, vt nescieris in quam partem inclinare destinarit: nunc ergo palàm animi sui propositum retegit,& ait: Quocirca cum ita habeant res,viri clarissimi, vt quæq; impietas semetipsam destruat,ego sanè consulo nihil seuerius cum hominibus istis esse tentandum. Atq; hic commodum locum habet dilemma, quod veluti ratio ac causa huius consilij ad hunc modum subiungitur:Aut ex hominibus est quod isti agunt,aut ex Deo.Si ex hominibus est,id est, si ex adfectibus humanis profectum est,iam dubio procul sua sponte dissipabitur.Quorsum ergo nobis opus anxios esse in re non necessaria? Si verò ex Deo est,iam inuiolabile est. Frustraneum ergo foret etiamsi nihil non tentaremus.Quis enim cum superno numine belligerarit? Neque enim prudentiæ,sed stoliditatis,temeritatis,item non roboris est,conari quod perficere non possis. Atq; vtinam hoc consilij amplecterentur nostrorum temporum tyranni, qui ferro & flamma Euangelij segetem deuastare conantur.Pollicentur sibi breui nescio quam lucem orituram.Cæterum hoc ipsum suis quoq; pollicebatur olim & blasphemus ille Porphyrius, iam ante mille ducentos annos infeliciter extinctus. Is

inquam pollicebatur Christianam religionem non amplius duraturam quam per trecentos & sexaginta annos. Post hoc enim fore exterminandam. Sed falsus est, & salua huc vsque per mansit veritas. Quocirca nihil solidi consequentur & nostri quantumuis clamitent nuperam Euangelij fidem ac decennalem (vt aiunt) religionem breui excindendam. Non enim ex humana traditione, sed ex diuinis oraculis didicimus religionem nostram. Vnde iam certa fide cognouimus quod contra hanc ne portæ quidem inferorum præualebunt. Equidem in mundo veritatis nomine afflictionem patimur: sed viuit qui mundum vicit. Porro quod Latinus interpres vertit, In huius autem sententiam pedibus itum est à cæteris, Græcus codex habet ἐπείσθησαν δὲ αὐτῷ, id est, paruerunt siue obtemperarunt illi.

& cum aduocassent Apostolos, cæsis preceperunt, ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos.

Tyrannis. Vel ita paruerunt consilio Gamalielis, non vt in totum abstinerent ab Apostolis, sed iam quidem à cæde sibi temperarent. Vel istud apud illos senatores vsitatum fuit, quod apud quosdam respublicas vsitatum videmus, vt pauci olygarchæ tyrannide sua perrumpant, quantumuis id communibus aduersetur suffragijs. Hi ergo animi sui explentes libidinem innocentes Christi seruos flagris cædunt, deinde ne posthac Christum prædicent percipiunt. Hoc enim solet impietas. Audi ergo quid contrà conetur pietas.

Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quod digni habiti essent, vt pro nomine eius contumelia afficerentur. Et quotidie in templo & in singulis domibus non cessabant docere & annunciare Iesum Christum.

Patientia. Adeo non exanimarunt robusta constantiaq; Apostolorum pectora minæ tyrannorum & dira supplicia, ut magis animarint. Gaudentes enim ibant à conspectu concilij, eo quod digni habiti essent, qui pro nomine Christi contumelia afficerentur. Iam enim salutifera preceptoris in memoriam redibat commonitio, dicentis: Productos in synagogas flagris cædent vos. Beati autem estis, cum in sectati fuerint vos homines propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. In hac ergo spe sancta pergunt annunciare nomen Domini Iesu, nobis in exemplum, nec vnquam cōmitteremus, vt tyrannorum minis & iniurijs fracti veritatem desereremus. Annotandum & illud, Apostolos non modo in templo, sed in singulis domibus ita poscente persequutionis procella, docere, ne quis putaret verbum Domini loco alligatum, sed hinc quisq; colligeret administrationem verbi iuxta Ecclesiæ & temporum rationem prorsus liberam esse.

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER II.

PROEMIVM.

HACTENVS primitiuæ Ecclesiæ ortum, infantiam, & quibus creuerit auctibus, enarrauimus: quæ nunc sequuntur pericularia fermè sunt de certis quibusdam maximisq; ædita viris. Primum enim se offert D. Stephani historia, graphice depingens, quantus ille fuerit in asserenda veritate, & quam constanter occubuerit pro nomine Christi. Sequentur Philippi diaconi gesta: quæ ille magna quidem felicitate in Samaria cœpit, & cum Ærario Candaces reginæ, & in vrbibus maritimis multo felicissime absoluit. Ab his tractabitur admirabilis Pauli ad Apostolatum conuersio. Postremo exponentur multa Petri præclara facinora, & quæ in vrbibus maritimis, & quæ cum Cornelio Centurione, deniq; in vinculis quoq; Herodianis designauit. Quo loco & Iacobi Apostoli interitus, Vocatio item gentium, Antiochenæ Ecclesiæ ortus & incrementa, necnon & totius orbis fames describetur. Hæc enim omnia in vnum librum coniungere placuit, quæ iam pro virili secundum gratiam mihi à Deo datam enarrabo.

CAPVT VI.

IN diebus autem illis crescente numero discipulorum, ortum est murmur Græcorum aduersus Hebreos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ ipsorum.

Duplici

DVPLICI nomine refert creuisse numerum discipulorum. Primo, vt notaret frustraneas esse minas quas aduersum veritatem eiaculantur impij. Nam in illis ipsis (inquit) diebus, quibus & atrocissimè minabantur principes: & Apostoli flagra essent experti, creuit credentium numerus, nouis subinde discipulis ad Ecclesiam proruentibus. Secundo, vt multitudini commode attexeret murmur, quod vt proprium omnibus hominum turbis, ita raro inuenias vel credentium cœtum, in quo omnibus pro voto satisfieri potuerit. Nam φιλαυτία cupiditas & inuidentia, quantumuis bene gesta, vel in suspicionem rapiunt, vel prorsus vitiant. *Murmur.* Neq; vero causa murmuris aliunde nata erat, quam ex istiusmodi affectibus humanis. Ná cum egenis, id quod in 4. audiuimus, de communibus Ecclesiæ bonis, prout cuiq; opus erat, distribueretur victus, suspicabantur quidam hunc indigenis liberalius, suis vero, hoc est, exteris parcius suppeditari. Hinc vero inæqualitatem atque ex fauore manantem accusabant distributionem. Hoc illud murmur, ὁ γογγυσμὸς murmur non simplex, sed omnino virulentum erat, das was der vnwil. Proinde miror quid in re apertissima mouerit quosdam, vt hæc exposuerint de ministerio, id est, officio ac seruitio quodam, quod Apostoli Hebræorum mulierculis delegarint, ad seruiendum sibi in rebus ad vitæ vsum ac necessitatem spectantibus. Verum imposuit istis fortasse ministerij vox & viduarũ significatio. Διακονία enim non semper significat ministerium quo alteri seruimus, sed & beneficium quo afficimur, itaq; suppeditationem, siue subministrationem dicere possumus. Atque ita etiam vertit Latinus interpres in 2. ad Corinth. 9. Περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους, &c. id est, Cæterum de subministratione quidem, quæ fiat in sanctos, &c. Ita iam sensus huius loci hic erit. Murmurabant Græci quod despicerentur, id est, negligerentur (das sy übersehen wurdind) in quotidiano subsidio pauperes eorum, nec haberetur horum tam diligens ratio, atque Hebræorum. Nam viduæ in sacris absolute nonnunquam citra sexus significationem ponuntur pro egenis & calamitosis: vt videre est in Prophetis, qui quoties monent viduis & pupillis esse subueniendum, calamitosos, & humano præsidio destitutos quosque intelligunt. *Viduæ.* Et Dominus in Euangelio dicens: Væ vobis, quia comeditis domos viduarum: non sexum nôtauit tantum, sed miseræ simplicisq; plebeculæ census ac facultates intellexit, quas illi religionis prætextu in sua colligebant ratiocinaria. Et χηρῶ, vnde est χήρα, id est vidua, significat orbo, destituo, & bonis quibusuis priuo. Et viduare priuare est. Viduitas vero calamitas quę bonis priuauit. Hæc ad hunc modum tradunt linguarum magistri. His absolutis explicandus est & ille nodus qui hic de Græcis à quibusdam nectitur, qui nam illi esse potuerint: cum satis constet Græcos, id est, gentes in Ecclesiam Dei hoc tempore nondum fuisse admissas. *Græci.* Atqui non necessarium erat nodum in scirpo quærere. Non enim scripsit Lucas, Ortũ est murmur ἑλλήνων: sed ἑλληνιστῶν, quasi quis dicat factionis Hellinistarum. Intelligit enim Iudæos qui non erant in Iudæa nati, sed apud gentes, ad quas fuerant vel exilio, vel alio casu deportati, iam verò Hierosolymam cõmigrarant, vel certe proselytos. Locus autem hic in speciem sterilis re ipsa mire fœcundus est. Hinc enim discimus res Ecclesiæ nunquam fuisse tam felices & emunctas, vt nihil vitij in ijs repereris. *Morbi Ecclesiæ.* Vbi ergo nunc sunt qui ptotinus atque næuum aliquem in tanta populi multitudine cernunt, mox etiam totam Ecclesiam damnant? Sunt & alia his similia multa quæ hinc colligi possunt.

Cæterum duodecim illi, quum iussissent adesse multitudinem discipulorum, dixerunt; Nõ est placitum, vt nos derelicto sermone Dei, ministremus mensis. Circumspicite ergo fratres, viros ex vobis spectatę probitatis septẽ, plenos Spiritu sancto & sapientia, quibus delegabimus hoc negotij. Nos vero deprecationi & administrando sermoni incumbemus.

Turbæ ac querelæ plebis nulla alia re melius pacantur componunturque, quam si male sarcta melius coniungantur, & inordinata in meliorem redigantur ordinem: aut si rebus olim bene institutis citra socordiam & interruptionem bene vtamur. *Murmuris remedium.* Cum ergo hic nonnihil ordinis desideraretur in dispensandis opibus ecclesiasticis, quod certi nõ essent rebus gerendis pręfecti, Apostoli cõsulunt certos designatosq; dispensationi esse pręficiendos. Id auté non faciunt propria authoritate, sed conuocant totam discipulorum multitudinem, ne sibi Ecclesiæ dictaturam viderentur vendicare. Deinde coram tota Ecclesia initio se excusant, cur non ipsi hoc negotij in sese suscipiant: inde vero viam commonstrát, qua rebus fessis consuli possit. Excusatio hæc est· οὐκ ἀρεστόν, id est, non est eiusmodi vt nobis placere possit, aut quod suscipere conueniat, vt derelicto neglectóue prædicandi munere, ministremus mensis. Posuit autem mensas κατὰ μετωνυμίαν pro rebus ad victum pertinentibus. Porrò ratio per quam rebus præsentibus consuli possit hæc est. Diligenter expendite (inquiunt) vobisum qui nam sint in Ecclesia viri huic negotio accommodi. Sunt autem accommodi qui spectatæ probitatis, sapientiæ, prudentiæue non vulgaris, ac pie religiosi, hoc est pleni Spiritu sancto sunt. *Diaconorum ordinatio.* Depre-

hensi ergo talibus, septem ex illis deligite præcipuos, qui hoc officij, facultatum videlicet Ecclesiasticarum dispensandi, in se suscipiant. Nos interim non indulgebimus otio, sed ea curabimus quæ & utiliora & magis nostri officij erunt. Orabimus enim pro Ecclesiæ salute & felicitate, deinde & administrando sermoni inuigilabimus. Hinc autem videre est quæ sit functio sana, peculiaris & præcipua episcoporum. Non præcipitur vt illi nullam gerat pauperum curam, quorum interim Paulum vidimus gessisse accuratissimam: sed à dispensatione rerum terrenarum (nisi quantum ad vitæ necessitatem attinet) & administrandi officio submouentur. Melioribus consecrantur. Tametsi enim cuipiam videri poterat vtrunq; & prædicandi & dispensandi officium ab eodem citra alterius damnum administrari posse, vanum tamen & contemnendum non est quod dixit Petrus: Non conuenit vt derelicto sermone Dei, ministremus mensis. Putauit enim sapientissimus Apostolus verbum Dei vnà cum hac functione feliciter administrari non posse. Quid nos ergo tam claræ veritati obganniimus? Quin potius audiamus Paulum similia percipientem & dicentem: Incumbe lectioni & doctrinæ, Hæc exerce, in his esto, vt tuus profectus manifestus sit in omnibus. Attende tibijpsi & doctrinę, persiste in his. Id si feceris teipsum seruabis, & eos qui te audierint. Videmus & Prophetam Ieremiá omnibus se vitæ negotijs animum huc illucq; distrahentibus, extricasse, precibus autem pro populo & verbo Domini prædicando, totum dedisse. Certe si rem sanctam (quid enim sanctius quam inopum gerere curam?) propter rem sanctiorem obire noluerunt Apostoli, quid respondebunt qui agriculturæ, piscationi, ludo, venationibus & mercaturis ita inuoluuntur, vt minimum temporis precibus, & sacrarum studio literarum, & prædicandoq; Dei verbo impendant? Nó inepte dicitur à vulgo, Qui duabus simul rebus operá impendit, neutrum absoluit, & vtrunq; tandê deperdit. Consultissimú igitur fuerit, vt quisq; quam norit & ad quá vocatus sit, in hac sese exerceat arte. Iá quod electioné diaconorum attinet, plana sunt omnia, maxime si ij conferantur quæ Apostolus de diaconis scripsit in 1. ad Timoth. 3. cap. Breuiter, diaconos conuenit esse μαρτυρουμένους, id est, boni testimonij, & spectatæ probitatis viros, quibus nulla possit impingi auaritia, impostura aut rapina. Scribit Ælius Lampridius nobilis historicus in vita Alexandri Severi, Christianos hoc moris habuisse, vt si quem ministrum Ecclesiæ ordinare voluissent, eius nomen publice proponerent, si forte in eo esset culpabile quod ab officio indignum repelleret. Conuenit præterea Ecclesiæ ministros plenos esse Spiritu sancto. Nam ex hoc est fides, veritas, misericordia, diligentia, & cura, potissimæ ministrorum dotes. Conuenit & sapientes ac prudentes esse, ne parum exercitati & imperiti rerum, negligant atque deperdant opes ecclesiasticas.

Functio episcoporum.

Electio & probatio veterum qualis.

Et placuit hic sermo coram tota multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide ac Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum proselytum Antiochenum. Hos statuerunt in conspectu Apostolorum, & quum orassent, imposuerunt eis manus.

Sanis obsequi consilijs, non minima est felicitas. Et hominibus spiritu Dei imbutis obsequi, est ipsi Deo obsequi. Nihil autem temere & citra maximam agunt reuerentiam fideles, sed cum timore & inuocatione numinis, cumq; grauitate pręcellenti. Huc enim pertinet manuum impositio, de qua disserui in 6. cap. Pauli ad Hebræos. Cæterum sunt qui dicant ex hoc Nicolao postmodum ortam esse hæresim, quæ ex ipso authore Nicolaitarum appellatur. Quod si verum est, nemo est qui non videat, cœtui bonorum semper immixtos fuisse pessimos quosq;, quorum tamen consortio boni non sint commulcati. De qua re multis egit Aurel. August. in opere quo Petiliani respondit epistolæ.

Eusebius Eccle siast. hist. lib. 3. cap. 29.

Et sermo Dei crescebat, ac multiplicabatur numerus discipulorũ Hierosolymis valde, multaq; turba sacerdotum obediebat fidei.

Iterum monemur creuisse negotium fidei, adeo vt etiam sacerdotes acerrimi veritatis hostes, fidei iugo colla subderent. Nemo ergo propter peccata sua desperet. Si enim sacerdotibus illis locum pœnitentiæ concessit Dominus, quibus damnatio filij Dei fuit gratissima, quis post hac facile desperauerit? Et coniectura est istos integritate Ecclesiæ Apostolicæ permotos credidisse libentius. Sanctimonia ergo ædificatur Ecclesia, non violentia. Quod enim robur humanum erigit, hoc ipsum & robur humanum deijcit. Ex hoc item loco denuo constat, Apostolos non suum, sed Dei sermonem prædicasse. Id quod vehementer pugnat cum illorum impudentia, qui in diuinis humana quærunt, neque hoc contenti, quo ferocius blasphement, hominum traditiones diuinis æquant, atque vtinam non anteferrent etiam.

Porrò Stephanus plenus gratia ac fortitudine, ædebat prodigia & signa magna in populo.

Descripta iam ordinaria vocatione & institutione diaconorum, auspicatur nunc historiam Stephani elegantissimam quidem illam & fructus plenam. Præmittit autem in hac personæ descriptionem. Stephanum fuisse virum veracem, fidelem & firmum, plenum Sancto spiritu, id est, omnibus præclaris & sanctis dotibus ornatum, atque ob hæc plenum gratia, id est, prorsus gratum acceptumq; hominibus pijs. at impijs verendum maximè propter inuictum animi robur. Huc accedebat miraculorum virtus, quæ spectabilem aliàs multò efficiebat illustriorem. *Stephanus.*

Exorti sunt autem quidam è synagoga, quæ appellabatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & Cilicum, & Asianorum, disputantes cum Stephano, nec poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.

Semper enim virtus ad se inuidiam trahit, vt Cæcias nubes. Nec pietatem ferre potest impietas. Coniurant itaque in veritatem collegia Libertinorum, & Cyrenensium, &c. Libertini autem dicuntur Latinis (& Lucas λιβερτίνων dixit) qui iusta seruitute manu missi sunt. Hinc verò colligimus Synagogam fuisse Hierosolymis alteram, quæ aduenis instituta esset, vt Cyrenensibus, Alexandrinis, Cilicibus, & Asianis, quam Libertini, hoc est, manumissi, & è peregrinis hisce regionibus Hierosolymam studendi sacras literas gratia profecti, ingressi sunt. Iam vero & alteram fuisse ingenuorum & indigenarum coniectura est. Lyranus glossam interlinearem citans, Libertinos falso putauit à regione dictos esse, cum id nominis palàm doceat Valla conditionis esse. Videas hodie in nostris illis Academijs, quas Vniuersitates vulgus appellitat, diuersa quoque pro diuersitate & hominum, & regionum constituta esse Collegia. Hoc enim nobilibus, illud pauperibus ac plebeis, istud verò Germanis, hoc autem Gallis siue Scotis esse institutum. Coniunctis ergo viribus Libertini consilio communi feruntur in Stephanum, quem tamen iccirco superare non potuerunt, quod Dominus dixisset: Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes qui aduersantur vobis. Quo autem doctiores & spectabiliores erant aduersarij Stephani, hoc maior & illustrior victoria viri & veritatis. *Collegia Libertinorum.*

Tunc subornarunt viros, qui dicerent: Audiuimus eum dicentem verba contumeliosa in Mosem ac Deum.

Quod veritatis præsidio efficere non possunt impij, hoc tentant offutijs & sycophantijs. Hæc semper fuit eritque (vt illi aiunt) procedendi via aduersus veritatem Euangelicam & ministros eius: vt quorum synceram doctrinam iustis caussis opprimere non possunt, illorum famam liuore denigrent, & quæ sanctè & verè docuerunt mendacijs & futelis adulterent. Sic enim hodie impingitur nobis quoque blasphemia in Deum, diuorum contemptus, sacramentorum proculcatio, bonorum operum proscriptio, Ecclesiæ sanctæ contemptus, & omnium bonarum rerum odium. Sic illi armati coram misera & plus nimio stulta ac credula plebecula in Euangelicos (vt vocant) inuehuntur, inuidiam & nobis, & caussæ iustæ parantes innoxiosq; traducentes. *Falsa testimonia.*

Commoueruntq; plebem & seniores, & scribas, atq; inuadentes corripuerunt eum, & adduxerunt in Concilium, statueruntq; falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba contumeliosa aduersus locum sanctum hunc & legem. Audiuimus enim eum dicentem: Iesus Nazarenus iste demolietur locum hunc, & mutabit instituta quæ tradidit nobis Moses.

Huc enim spectant hominum istorum conatus vt commoueant plebem, vtque sæuiat ignobile vulgus. Cæterùm hoc falsorum testium adminiculo impetrant. Et falsorũ testium impudentia semper perierunt optimi quiq;, sed & ipse saluator Christus sub falsis testibus crucifixus est. Solent autẽ falsi testes, vel prorsus mentiri, & adserere factum esse, quod reuera factum non est: vel nonnihil de suo assuere, vt iam oratio & longè aliud habeat institutum, & multò sit grauior: vel simpliciter dicta peruertere & adulterari. Quæ omnia crediderim in hac Stephani accusatione facta esse. Ille fortassis dixerat Deum non probare ceremonias, sed nec ipsum Mosem lege lata voluisse quod Pharisæi docebant, sed fidem & vitæ innocentiam prædicari cùm à lege, tum à Prophetis, quibus nisi crederent, Iesum Christum, qui legem impleßet, & ceremonialia in melius mutasset susciperent, ac mores mutarẽt, breui excindendos fore propter peccata, nihil obstante vel ipso templo, vel ceremonijs. *Fons accusationis Stephani.*

Hæc enim summa est religionis,& summa eius prædicationis, quam ipse quoque Dominus Hierosolymorum vrbi annuntiarat. Cum itaq; Stephanus magistrum imitans paria inculcaret,illi simpliciter & bene dicta peruerterunt,dum de suo quædam affingunt, & in plerisq; metiuntur impudentissimè. His adde quę Ierem.26.cap.scripta sunt,& lucem clarissimam habebis. Nam vt tūc Ieremiam accusabant propter templi religionem neglectam, ita nunc quoq; Stephanum in ius protrahunt propter templi religionem violatam. Ieremias docuerat, Non proderit templi religio, nō proderunt hostiæ,non ceremoniæ vllæ:peribitis vnà cum superstitione vestra,nisi prorsus conuertamini,& derelictis hisce stultulis,seruiatis Deo in vera fide,iustitia,iudicio,æquitate,veritate,vitæq; sanctimonia. Hæc potissimum legis in cap.7.11.& 15. Hic autem nemo dicebat, Accusat scelera nostra,suadet iustitiam,culpat superstitionem, auaritiam quoque sacerdotum, regis & principum tyrannidem prodit. Horum nihil audiebatur. Sed vnanimi voce clamitant, Reus est mortis homo iste,quoniam aduersus vrbem istam prophetauit. Itaq; templi religionem & vrbis sacræ prætexunt reuerentiam,nequitiam dissimulant. Et quid obsecro vel hodie aliud quàm Ecclesiam, constitutiones sanctorum patrū,auitos mores,sacrum sacerdotalem ordinem,tot annorū tempora,tot regnorum consuetudines, tot monachorum ordines nobis obijciunt pontificij? Quasi verò ista omnia omnipotenti & soli sapienti Deo ac veritati eius perpetuę constantissimæq; præiudicare possent. Cur non potius agnoscunt scelera sua,& aiunt? Blasphemi sumus,sacrilegi,scortatores, impij,qui vniuersam religionis faciem vertimus in forum. Id accusant isti hostes nostri Euangelici,qui pœnitentiam nobis & remissionem peccatorum non nisi per Christum prædicant. Sed hæc hactenus.

Et intuentes eum omnes,qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. Dixit autem princeps Sacerdotum: Num hæc ita se habent?

Relucet in ipso vultu mentis innocentia. Verè enim dicunt vultum animi esse speculum. Nulla enim re quantùmuis præclara permouetur inuidi mens. Pergit ergo sacerdotum princeps,& ait: Num hęc ita se hebent? Non quod cuperet verum experiri,sed quod aliquam saltem iudicij speciem exhiberet, ne vis non ius videretur esse quod cum Stephano agere constituerant. Atque hoc versutæ hypocrisis prauum est ingenium.

CAPVT VI.

At ille ait: Viri fratres & patres, audite. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ,quū esset in Mesopotamia priusquā moraretur in Charran,& dixit ad illum: Exi de terra tua & de cognatione tua,& veni in terram quamcunq; monstrauero tibi. Tunc exit è terra Chaldæorum,& habitauit in Charran. Et inde postquam mortuus est pater eius transtulit illum in terram hanc, in quam nunc vos habitatis. Et non dedit illi hæreditatem in ea, ne vestigium quidem pedis, & repromisit illi eam se daturum possidendam, & semini eius post ipsum,cum non haberet filium. Loquutus est autem Deus sic, quòd futurum esset semen eius inquilinum in terra aliena, quodq; seruituti illud subiecturi essent,& male tractaturi annis quadringētis. Et gentem,cuicunq; seruierint,iudicabo ego,dixit Deus. Et post hæc exibunt,& seruient mihi in loco hoc.



LERIQVE hanc Stephani orationem, quantùmuis longa sit, inabsolutam tamen credunt,quod Iudæorum tumultu & obstrepentium clamoribus impeditus, ordine non potuerit dicere quæ volebat. At ego prorsus absolutam existimo. Maximè quod Catastrophen ad finem adiectam habet. Post longam enim sacrarum rerum expositionem tandem istis finit, Duri ceruice & incircuncisi corde,&c. Iam quod alij hanc orationem obscuram esse queruntur,id ex eo est,quod ad nullum certum relata scopū temere vagari ac defluere videatur. Quod si ita haberet, iam vel hoc ipsum satis magno argumento esset,orationem à Stephano non fuisse absolutam. Cæterùm ad certum est directa scopum, qui etiamsi in ipsius orationis frontispicio claris verbis more oratorio non exprimatur,ex ipsis tamen accusationis capitibus colligi potest. Iudæi impingebant ipsi blasphemiam Dei,eò quòd & legem cōtempsisset,& templi religionem violasset. Hæc

Scopus huius orationis.

accusationis

accusationis summa. Ad illa ergo respondēs, expositione historica, sacris exemplis comprobat, quod fides in Deum & ante legem & in lege, Deo, non ceremoniæ, placuerit: & quod ipse Deus patribus apparuerit, & cum eis commercium habuerit absq; templo: quocirca veram religionem non affixam esse neq; templo neque ceremonijs, sed fidei in Deum. Quod cum ita habeat, iam satis efficaciter liquere, quod neq; in Deum neque in legem eius, neq; in locum sanctum quicquam deliquerit. Hæc omnium summa est. Ex qua etiam nos discere possumus quæ sit vera, antiqua & indubitata fides: nimirum ea, quæ vni Deo per Christum nititur, nullis autem ceremonijs, creaturis, aut vllis commentis fidit humanis. Idem traditur & in 11. ad Hebræos cap. quod eiusdem cum hac oratione argumenti est. Iam verò ipsa scripturæ exempla paucis perstringemus propositoque nostro aptabimus. Exordij locum occupant hæc verba, Viri fratres & patres audite. Quę quidem Paraphrastes sic exposuit, Viri quotquot adestis vel genere fratres, vel ætate atque authoritate patres, qui patienter audistis calumniantes, audite & veritati patrocinantem. Atque sub hæc protinus ipsam auspicatur caussam à nomine Dei, dicens: Deus gloriæ, id est, Deus gloriosus, purus & sanctus, celebris & iustissimus, hoc ipso perstringens aduersarios, qui ipsum blasphemiæ in Deum insimularant. Palàm enim hic fatetur Deum, neq; alium fatetur quàm Deum patrum, neq; sine honorifica nominis appellatione. Deinde verò primarij in vera religione viri Abrahæ, cuius illi se filios esse iactabant, exemplum producit in medium, quomodo is è patrijs euocatus sedibus migrarit in terram peregrinam, atque in hac mira longanimitate, confisus Dei promissionibus expectarit Deum. Quę omnia fusius describuntur Genes. 12. 13. & 15. In hoc autem hæc adduxit Stephanus, vt videas Abrahamum virorum iustissimum Deo placuisse seruisseq; & absque templo & sine ceremonijs. Siquidem obedientia eius, fides, spes, constantia ac patientia, longanimitas & rerum terrenarum contemptus, reuerentia quoq; numinis in eo probatur laudaturq; in scripturis. Veram igitur pietatem in ijs non externis illis quę miratur caro consistere. Hæc autem ad negotium præsens sufficere videntur. Quæ præterea de terra & fide promissionis dicenda erant, absoluimus olim in 11. capite ad Hebræos. Quæ autem de Mesopotamia & Charris annotari poterant, præstitit D. Ioachimus Vadianus celeberrimæ Sangallensis vrbis Cōsul prudentissimus vir, vt imaginibus, pietate & multijuga eruditione clarissimus, ita in rebus ad Cosmographiam spectantibus, nostri æui, omnium etiam doctiorū iudicio, facilè primus. Is enim in gratiam studiosorum, ad importunas postulationes nostras, Epitomen locorum, quorum mentio fit in sacris, potissimum autem noui Testamenti libris, summa eruditione, diligentiaque incredibili conscripsit, è qua tu cætera quoq; quæ huius professionis sunt haurire poteris. Porrò quatenus conueniat Stephano & Mosi in expositione historica de morte patris Abrahæ, ante vel post emigrationem facta, intricatius & prolixius est, quàm conueniat hisce inseri Commentarijs. Certè planiora sunt quæ hic recenset Stephanus. Moses enim Hysterologia vsus esse videtur. Sed copiosissimè de hac re disputarunt pręcipui Ecclesiæ doctores, Hieronymus in Traditione super Genesim, & D. Aurelius Augustinus libro de Ciuitate Dei 16. cap. 15.

Vera & antiqua fides.

Abrahæ pietas.

D. Ioachimus Vadianus.

Et dedit illi testamentum Circuncisionis, atque hic genuit Isaac, & circuncidit eum in die octauo, & Isaac genuit Iacob, & Iacob genuit duodecim Patriarchas.

Circuncisio non est ipsum testamentum, sed Sacramentum testamenti. De quo alibi. Pepigit Dominus sempiternum fœdus cum Abrahamo & posteris eius, Gen. 17. At in hoc nulla mentio templi vel ceremoniarum, sed fidei in Deum ac innocentiæ. Ego (inquit Dominus) sum Deus ille Schadai siue Saturnus, omnium rerum saturitas siue sufficientia. Ambula tu coram me, & esto integer. Proinde in fide & integritate consistit vera pietas. Quòd Circuncisio addita est, in hoc factum est, vt sub hanc religionem obligarentur omnes posteri, nec illi vnquam crederent se alia re quàm fide in Deum saluos futuros. Id quod Paulus ad Romanos 4. doctissimè tractat, è quo loco plurimum & roboris & perspicuitatis huic accedet, si vtrunq; inter se diligenter contuleris. Iam verò ne filij quidem Abrahæ, patres nostri Isaac & Iacob, secus Deum coluisse quàm patris Abrahæ religione, certū est. Hinc Stephanus nihil de ijs quàm circuncisos esse testatur. Per hoc enim constat, quòd Deum patris sui Abrahæ, cultu & religione ita coluerint, vt Circuncisionis significatio præscripsit.

Testamentum.

Et Patriarchæ inuidia moti, Ioseph vendiderunt in Ægyptum. Et erat Deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus afflictionibus eius, & dedit ei gratiam & sapientiam coram Pharaone rege Ægyptiorum. Et constituit eum prefectum super Ægyptum, & super totam domum suam. Venit autem fames in vniuersam terram Ægypti & Chanaan, & afflictio magna, nec in-

uueniebant cibos patres nostri. Cum audisset autem Iacob esse frumenta in Ægypto, misit patres nostros primum. Et cum iterum misisset eos, agnitus est Ioseph à fratribus suis, & innotuit Pharaoni genus Ioseph. Misso autem nuntio Ioseph, accersiuit Iacob patrem suum, omnemq; cognationem suam in animabus septuagintaquinq;. Et descendit Iacob in Ægyptum, defun-ctusq; est ipse & patres nostri,

Copiosius exponitur hæc historia à Mose in 1.lib.cap.37.& ab eo vsque ad 42. Ex quibus tamen omnibus hoc certo constat Iosephum omnis sapientiæ, constantiæ & temperantiæ exemplum, nul- *Stephanus.* lis ceremonijs, nullo in templo, nullisue hostijs demeruisse Deum, sed fide, patientia, castitate, & vitæ integritate. Præclarum enim est quod ad petulcam procacemq; heri sui vxorem, castitatem adolescentis solicitantem, dicebat, Quomodo facerem hoc magnū malum, & peccarem in Deum meum? Proinde verus Dei cultus subsistit in fide, veritate, amoreq; recti & iusti. Cæterùm quod Lucas ex Stephani sententia septuaginta quinque animas numerat, videtur sequutus esse LXX. interpretes, vel quod esset proselytus, vel quod illa versio Ecclesijs esset vulgata. Fortassis numerarunt Græci & nepotes Ioseph. Nam Hebraica veritas numerat animas septuaginta, Gen.46. De Lea nempe 33. de Zilpa 16. de Rahele 14. & de Silha 7. hoc est in summa 70. Quod autem eodem loco numerantur tantùm 66. videtur vitiata esse scriptura. Si enim Iosephū his addas cum filijs duobus, colliges tantùm animas 69. At si Dinam addas, habebis 70. Verùm si in catalogū veniunt & fœminæ, quo loco numerabimus Særah? Aut quid etiam reponemus Er & Onam, qui mortui sunt in terra Chanaan? Et sanè fieri potest, vt librariorum incuria nobis multam in numeris obscuritatem pepererit.

& translati sunt in Sychem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Emor filij Sychem.

Hæc quæ superuacanea videri poterant intertexuit, vt constantiam fidei patrum notaret, qui tametsi ne vestigium quidem pedis in pollicita essent consequuti terra, attamen in ipsa tanquam consequuta sepeliri voluerunt, certi quòd hæreditate obuentura esset posteris. Atque hoc erat sperare in ipso etiam funere. Iterum autē hic nectitur nodus indissolubilis. Stephanus enim velut ad alia properans, historiam nonnihil confundit. Constat enim neq; Abraham, neq; Isaac, neq; Iacob ipsum in Sychem, sed in spelunca agri duplicis, qui est iuxta Hebron, & quem Abraham ab Ephron filio Seor Hethæo quadringentis siclis emerat, sepultum esse, teste scriptura Genes.23. & 49. Sed fieri potuit vt scriptori in mentem venerit ille ager, quem Iacob emit ab Emor patre Sychem, cuius meminit scriptura Gen.33. Et sanè scriptores Ecclesiastici sensum maluerunt referre quàm verba. Neq; verò pietati quicquam decedit, etiamsi in proprijs nominibus personarum & locorum nonnulla inueniatur commutatio aut etiam confusio. Diuus Hieronymus in calce libri de Optimo interpretandi genere ad Pammachium, nodum hunc quidem nectit, sed non soluit, Lectoremq; suspendit. Iacobus Zieglerus Landauus, vir multis animi dotibus præclarus, existimat Abraham emisse hunc agrum prope Sychem sepulchrum sibi suisque, dum inter initia vocationis ad terram appulisset Chanaan, sed postea varijs iactatum casibus, reliquisse agrum emptum, quem deinde post annos plus minus centum & decem Iacob à Mesopotamia reuersus, propter memoriam aui Abrahā recuperarit, vt nunc idem ager bis emptus intelligatur, martyrq; antiquioris meminerit. Sunt alij qui ex authoritate D.Hieronymi asserant non ipsum Iacob, sed filios suos Patriarchas in Sychē esse translatos: sed Iosephus 2.libro Antiquitat.cap.8. in Hebron sepultum fuisse perhibet. Multò ergo verisimiliores sententiæ sunt quas paulò retulimus. Iudicent Lectores.

Cum autem appropinquaret tempus promissionis, de qua iurauerat Deus Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus est in Ægypto, donec exortus est alius rex, qui non nouerat Ioseph. Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos, ne fœtus essent vitales.

Crux. Ista verò nihil peculiariter faciunt ad rem præsentem, sed interponuntur ad integrandam expositionis & historiæ seriem. Nisi forsan crucis & patientiæ locos attingere, & illorum tyrannidem occulta collatione voluit protrahere, quorū libini iam subiectus, mortis expectabant sententiam. Nam sicut olim rex Ægyptius veræ pietati contrarius innoxios opprimebat, ita nunc quoq; proceres populi Iudaici tyrannidem exercebant in innocuos. Cæterùm vt Pharao hac re nihil aliud quàm præ-

properum

properum exitium in suum sibi caput concitauit, ita istos quoq; nihil aliud tyrannide sua effecturos, quàm vt otius in se iram Dei prouocent. Locus è quo hæc mutuauit Stephanus, extat Exod. I.

Eodem tempore natus est Moses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris: Expositum autem illum, sustulit filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi vice filij. Et eruditus est Moses in omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in factis & in dictis.

Exposita religione Patriarcharum, qui ante legem latam vixere, & Deum sine templo & ceremonijs, fide & vitæ puritate coluerunt, transcendit iam ad ipsum legislatorem Mosem, & paucis perstringit, quæ fuerit viri pietas, quæ legis per eum latæ vis, quódue ceremoniarum per ipsum institutarum ingenium. Cæterùm ad authoritatem viri doctrinæq; eius in primis facit, quod diuina prouidentia mirabiliter seruatus est & è Nilo extractus: mirabilius autem institutus, adeoque in omni Ægyptiorum disciplina institutus, vtpote ad gerendas res maximas destinatus. Ergo tum quidem cum iam excessisset ex ephebis potens erat cùm in dictis tum in factis. Meminit enim Eusebius singularis doctrinæ & eruditionis Moseos, libro de Præparatione Euang. 8. cap. 2. Porrò D. Augustinus de Doctrina Christiana libro 2. cap. 40. ex hoc loco multis ostendit, Christianis licere, vt philosophorũ imbuantur doctrinis, ijsq; ad religionem nostram purgatis aptatisq; vtantur. Et post multa, Quid enim aliud (inquit) fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suauissimus & martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerit in omni scientia Ægyptiorum. Hęc Augustinus. Plurima huius generis legere est apud diuum Hieronymum in Epistola ad Magnum vrbis Romæ oratorem. Historia autem quam hic delibat Stephanus, extat apud Mosem Exodi 2.

Pietas Mosis.

Prophana studia.

Vt verò expletum est ei quadraginta annorum tempus, subijt in cor eius, vt inuiseret fratres suos filios Israel. Et cum vidisset quendam iniuria affici, defendit eum, & vltus est vicem eius qui affligebatur, percusso Ægyptio. Existimabat autem intelligere fratres suos, quòd Deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt. Et sequenti die conspectus est illis litigantibus, & redegit eos in concordiam, dicens: Viri, fratres estis, cur vos inuicem læditis? Cæterum is qui iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem ac iudicem super nos? Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium? Fugit autem Moses ad dictum hoc, & factus est aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos.

Historia scribitur Exodi secundo cap. Et Paulus ad Hebræos 11. doc ipsum Mosis factum citans clarius hunc locum explanat, hisce verbis, Per fidem Moses iam grandis renuit vocari filius filię Pharaonis, potius eligens simul malis affici cum populo Dei, quàm temporarijs peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Respectum enim habebat remunerationis. Proinde fide, misericordia & charitate, cuius instinctu & scelerà puniuit, & oppressos subleuare desiderauit, superno numini etiam absque templo & hostijs seruiuit. Quod autem cædem attinet, ne quis ea offenderetur tanquam crudeli facinore, ipse Stephanus præoccupans, dicit: Existimabat autem intelligere fratres suos, quod Deus per manũ ipsius daret salutem illis. Quasi dicat, Quod Moses contra Ægyptium egit, non in hoc egit vt generale exemplum cædendi præscriberet omnibus, sed vt peculiare quiddam populo suo præfiguraret, nempe, se eum esse à Deo designatum, per quem Ægyptij tandem essent perimendi, Israelitæ verò redimẽdi. Prognostica enim ac portenta siue præiudicia non vt exempla proponuntur imitanda, sed vt futura nuntient, authoritatemque ijs concilient per quos agenda sunt.

Homicidium Mosis.

Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus Domini in flammeo incendio rubi, Moses autem vt conspexit, admiratus est visum. Porrò cum accederet vt attenderet, facta est ad eum vox Domini; Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus

Iacob. Tremefactus autem Moses, non audebat attendere. Dixit autem illi Dominus: Solue calceamentum pedum tuorum. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Vidi, vidi inquam, afflictionem populi mei, qui est in Ægypto: & gemitum eorum audiui, & descendi vt eruam eos. Nunc venito, & mittam te in Ægyptum.

Pertinent hæc ad vocationem Mosis, atq; ad ipsam authoritatem & viro & doctrinæ parandam. Apparuit autem ipsi Dominus & conuersatus est cum ipso iterum absque templo & ceremonijs. Vocauit item se Deum Abraham, Isaac & Iacob, hoc ipso veterem comprobans religionem, qua patres sancti citra templum & ceremonias, ipsi seruierunt. Idem afflictionem vidit attriti & omnibus modis afflicti populi Israelitici. Vidit inquam nullis istis ceremonijs demonstrantibus, aut ad miserandum demerentibus: sed ipsa misericordia sponte miserente. Illud quoque in primis obseruandum traditur, quod Moses in colloquium Dei non prius admittitur, quàm soluisset pedum suorum calceamenta. Non iubetur templum extruat, hostias cędat, ceremonias instituat, sed vt calceamenta de pedibus soluat, hoc est, carnalibus exutis affectibus in fide & animi integritate ad Deum accedat. Proinde vera pietas in animi integritate consistit. Porrò alij satis diligenter adnotarunt quod mons Sina sanctus, hoc est, augustus propterea sit appellatus, quod in ea sancta Dei lex sit lata. Quod autem rubus ardet nec tamen flamma consumitur, absoluta perfectio & (vt ita dicam) omnisufficientia Dei significatur, quę non diminuitur quantumuis abunde se nobis impartiat. Significatur & Dei populus, qui in medio afflictionum flammis non perit.

Solue calceamentum.

Hunc Mosem quem negauerunt, dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? hunc, inquam, Deus principem & redemptorem miserat per manum angeli, qui apparuerat illi in rubo. Hic eduxit illos, ædens prodigia & signa in Ægypto, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta. Hic est Moses, qui dixit filijs Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus vester é fratribus vestris, similem mei, illum audietis.

Typi Christi.

Iam verò interserit quædam de Mose quæ per typũ de Christo sunt intelligenda. Sic enim conueniebat, vt etiam Prophetarum typos & testimonia de Christo produceret. Typus est quod Moses Israelitis obmurmurantibus, à Deo datus est in principem & redemptorem. Nam Christus reuera rex & redemptor missus est ad domum Israel, quæ neglecto ipso clamauit, se nescire regem, agnoscere autem Cæsarem. Sed & miracula Mosis designabant verum Messiam maxima quæq; facturum. Id quod Euangelistæ per Christum ostendunt esse completum, in primis verò Ioannes in 6. & 10. cap. De testimonio Mosis Christo præstito, & ex Deut. 18. petito, diximus Act. 5.

Hic est qui fuit in congregatione in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit sermonem viuum vt daret nobis: cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt corde suo in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis deos qui præcedant nos. Mosi enim huic qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid acciderit. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerũt hostiam simulachro, & lætabantur super operibus manuum suarum.

Lex tabularũ.

Hic propius accedit ad propositum, & refert quomodo lex lata sit. Nihil autem adhuc dicit de ceremoniarum lege, sed de Decalogo siue lege tabularum, in qua nihil reperias quod non habuerint prius Patriarchæ vetusti. Tota enim tradit amorem Dei ac proximi, fidem nempe in Deum, & vitæ innocentiam. Rectè ergo vocata est à Stephano verbum vitæ. Virtus enim, vita & perfectio legis est Christus ad iustificationem omni credenti. Priusquam tamen ad ipsos legem detulisset Moses stolidissimi moræque impatientissimi iamiam peccarant, externum peregrinumque cultum excitantes. De quo diximus ad Romanos 1. Historia porrò extat apud Mosem Exodi 32. cap. Cæterùm in hoc iam accusat omnem illum externum cultum, quem Israelitæ subinde comminiscebantur, & magni pendebant, neglecta interim fide & vera animi pietate, quam ipse Deus præscripserat. Ad quam rem vehementius & copiosius exprimendam plurimum faciebat testimonium Amos mutuatum ex cap. 5. quod ad hunc modum subiungit:

Conuertit

Conuertit ſe autem Deus, & tradidit eos, vt colerent militiam cœli: ſicut ſcriptum eſt in libro prophetarum: Num victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſrael? Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſydus Dei veſtri Rempham, figuras quas feciſtis ad adorandum eas. Et transferam vos vltra Babylonem.

Conuerſio Dei non aliter hic vſurpatur, quàm ad Rom. 1. cap. Tradidit eos in reprobũ ſenſum, & . Et per Militiam cœli intellexit ſigna zodiaci, planetas, ſydera & omnis generis ſtellas, quę omnia Achab & Achaz & Manaſſe ſumma coluere reuerentia. Rurſus ne Iudæi obijcerent ſeipſos quoq; improbare idolis exhibitas hoſtias, protinus prophetico præoccupat teſtimonio, hoc ipſo comprobans à Deo cùm aras tum hoſtias vnà cum externo & carnali cultu vniuerſo prorſus eſſe proſcripta, reiecta & damnata. Malle enim illum obedientiam & vitæ pietatem quàm victimas. Ita autem loquitur apud Prophetam Dominus, Odi & proieci feſtiuitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Quòd ſi attuleritis mihi holocauſtomata & munera veſtra, nõ accipiam, & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam. Aufer à me tumultum carminũ tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. Quin potius effice vt reueletur quaſi aqua iudicium, & iuſtitia quaſi torrens fortis. Num victimas & donarium obtuliſtis mihi in deſerto per annos quadraginta, ô domus Iſrael? Et portabatis ſcenam regis veſtri, effigiemq; ſimulachrorum veſtrorum (nempe) ſydus Dei veſtri, quæ vobis effeciſtis. Ego etiam captiuos vos ablegabo vltra Damaſcum, ait Dominus, qui nomen habet Domini exercituum. Hæc iuxta veritatem Hebraicam tranſlata habentur. Lucas autem paulò diuerſius citauit. Græcis enim ſcribens ſententiam Prophetæ recitat fermè ijs verbis, quæ habentur etiamnum in ſacris Græcorum libris: cum tamen veriſimilius ſit martyrem apud Hebręos dicentem, Hebraica veritate fuiſſe vſum. Porrò quod ſenſum attinet, Minatur Amos Iudæis exitium poſtremum, niſi mutent vitæ inſtitutum profligatiſſimum. Dicit autem eos qui calamitatibus in patria non fuerint oppreſſi, longiſſimè abducendos fore in captiuitatem, non vtiq; in Damaſcũ, quæ Iudęis in propinquo erat, ſed vlterius. Quod Stephanus augendi cauſſa dicit, Vltra Babylonem. Id quod euẽtus poſtea comprobauit, quũ abducerentur ad remotiſſima Meſopotamię. Per occupationẽ verò dicit ſacrificia eorum non ereptura ipſos ex impendentibus malis, quippe quę ſint nauſeæ Domino. Neq; enim Deũ curare cultũ externum, ſed animi potius integritatem. Id aũt probat ex anteactis. In deſerto (inquit) non petij mihi offerri ſacrificia, idq; per annos quadraginta. Quinetiã quod pleriq; citra numinis reuerentiã degentes circumtuliſtis tabernaculum meum, perinde ęſtimo ac ſi ſcenam idolorũ circumtuliſſetis. Proinde in captiuitatem deducam vos. In hoc autem teſtimonio regem & Deum illorũ vocat idola, ſicut & Iſaias in 8. dicẽs: Quum eſurierit iraſcetur, & maledicet regi ſuo, & Deo ſuo. Alij putarũt Moloch idolum Ammonitarum intelligendum eſſe. de quo 1. Paralip. 20. Hebræis enim vox eſt מלככם quam Aquila, authore Hieronymo, vertit μολχόμ. Significantius autem verterunt Symachus & Theodotio, Regis veſtri. Lucas Hebraicam vocem reliquit, ſicut & LXX. Item pro כיון LXX. poſuerunt ῥαιφάν, quam vocem & Latina noſtra exemplaria reliquerunt. Habent enim, Et ſydus Dei veſtri Rempham. Aquil. & Symachus Hebræa voce vſi ſunt in ſua interpretatione. Theodotio ἀμαύρωσιν, id eſt, obſcuritatem interpretatus eſt. Hebræorũ quidã exponit pro piſtorio opere, placentis videlicet effigiẽ Dei præferẽtibus, quas immolauerint, ſicut apud Ieremiam in 7. כונים quidam ſtellam ſabbati, hoc eſt, ſydus Saturni, quod etiamnum ſermone Perſarum & Iſmaelitarũ dicatur כיואן. Etymon vocabuli aduſtionem ſignificat, quod magis conuenit Marti quàm Saturno, ſi aliquem ex planetis ſignificat. Alij Luciferum intelligunt. De vtroq; Plin. in 2. cap. 8.

Locus Prophetæ tractatus.

Ierem. 7.

Tabernaculum teſtimonij fuit patribus noſtris in deſerto, ſicut ordinauerat illis, loquens ad Moſen, vt faceret illud ſecundum formam, quam viderat. Quod & induxerunt, qui ſucceſſerunt, patres noſtri, cum Ieſu in poſſeſſionem gentium: quas expulit Deus à facie patrum noſtrorum, vſq; ad dies Dauid, qui inuenit gratiam coram Deo, & petijt vt inueniret tabernaculum Deo Iacob.

Præoccupatio eſt. Ne enim illi dicerent: Quid verò in externum cultum ita debaccharis, nõnne ipſe Deus nobis in deſerto & tabernaculum, & externum inſtituit ſacerdotium? Reſpondet enim: Inſtituit quidem tabernaculum, ſed tabernaculum teſtimonij, & ad formam illius quod in monte viderat deformatum. Nam Dominus non in hoc inſtituerat, vt in ipſo tota pietatis ſumma ſubſiſteret, ſed vt tabernaculum teſtimonij eſſet, teſtimonij inquam quod ipſe futurus eſſet Deus illorum, ipſi vi-

cissim populus, si modo in fide & integritate coram ipso ambularent, Leuit. 26. 2. Cor. 6. Deinde verò cum ipsa scriptura palàm testetur Exod. 25. hoc visibile tabernaculũ ad alterius tabernaculi formam fuisse deformatum in monte, quis tam stupidus vt non videat visibile tabernaculum non aliud esse quàm vmbram verorum bonorum, quæ in cœlis sunt, vbi Christus est, assidens ad dexteram Patris, & semper intercedēs pro nobis? De qua re copiosius ad Heb. 8. ibi enim exponitur hic locus. Rursus, Si summa pietatis in tabernaculo & externo cultu constituta erat, iã religio tabernaculi & institutũ eius nequaquam fuerat mutandũ. Constat autem mutatũ esse. Nam Solomon neglecto tabernaculo, templum ædificauit. Proinde in externis non est sita constans ac certa pietas. Hoc ipsum admonet idem ille Paulus in Heb. cap. 7. Constat & illud ex illa expositione historica, quod vetusti sancti patres omnes, Adam, Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob & Ioseph Deum absque tabernaculo coluerunt: item quod Moses ipse, Aaron, Iosue, Iudices, sancti, denique ipse magnus Dei Propheta Samuel & inclytus Israelitarum rex Dauid Deo gratissimus, Deo placuerunt absq; templo. Nam Solomon primus ædificauit templum. Ex quibus omnibus iam liquebat templi religionem multò esse recentiorem, quàm illi stolidi ceremoniastæ videri volebant.

Solomon autem ædificauit illi domum: sed excelsissimus ille, non in manufactis templis habitat, sicut Propheta dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus: aut quis locus requietionis meæ est? Nónne manus mea fecit hæc omnia?

Templum. Iam & illud ostendit, ne templum quidem ipsum hoc esse quod illi contendebant. Quin ab ipso Solomone non in aliud erat institutum, quàm vt esset domus orationis, quod planissimis verbis expressum est 3. Reg. 8. At illi summam pietatis in religione templi cõsistere docebant, clamantes, Templum Domini, templum Domini. Eum ergo errorem hic refellit Martyr, euidentissimo Isaię testimonio, ex 66. cap. mutuato. Tractat autem eo loci hoc ipsum Isaias quod Ieremias in 7. Docet enim vterq; Deum non morari templũ, hostias, & externa: quin potius contemptis ijs, requirere pietatem, immutationem vitæ. Verba Isaiæ multo clarissima sic habent, Hæc dicit Dominus: Cœlũ sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Vbi stabit igitur domus illa quam ædificabitis mihi, & vbi est locus ille in quo quiescere possim? Quum hęc omnia fecerit manus mea, & inter ea quę facta sunt computētur, ait Dominus. Ad quem autem respiciam? Ad eum qui est humili & fracto spiritu, quiq; contremiscit ad sermonem meum. Porrò qui bouem immolat, quasi qui hominem occidat. Qui mactat pecus, quasi qui canem iugulet. Qui munus offert, quasi suillum sanguinem offerat. Qui autem thuris recordatur, perinde facit ac si scelera collaudet. Hæc omnia isti elegerunt, & anima eorum his vijs & abominationibus delectata est. His iam adde Ieremię verba è 7. ca. super quę D. Hieronymus, Præcepit autem (inquit) & tunc populo Iudæorum, & hodie nobis, qui videmur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore, auratisque laquearibus & vestitis parietibus marmorum crustis, & dicamus: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Illud enim templum Domini est, in quo habitat vera fides, sancta conuersatio, omniumq; virtutum chorus. Hæc Hieronymus, qui paulò post, Quid enim (ait) prodest audacter ingredi limen domus Dei, erecta stare ceruice, & non solùm cor, sed & manus habere pollutos furto, homicidio, adulterio, periurio, sacrilegio, & cultu deorum quos nescias? &c. Errãt ergo turpissimè qui tantas expensas in templorum structuras effundunt, & ex pauperum cruore sudoreq;, luxum augent Ecclesiarum, arbitrantes se gratificare Deo, cum ipsum magis prouocent ad iram. Non autem damnamus verum & frugalem templorum vsum, sanè accommodatissimum prædicationi verbi Dei, orationibus & Sacramentorum dispensationi: sed Iudaicas templorum superstitiones, imò & gentilitias, qua & ornatui fidere cœpimus, & lapides & ligna ornauimus, non modò improbamus, sed execramur etiam. Consulatur Lactant. Institut. lib. 2. cap. 7. & 27. huius libri caput, in quo plura fortassis de templorum religione dicemus. Ex his aũt quæ hactenus proposita sunt, didicimus plurima per exempla cùm piorũ, tum impiorum, auitam & veram religionem non in externis, siue templorum cultu, siue ararum extructione, siue oblationibus alijsq; id genus nugis, sed in pectore, in fide & sanctimonia vitæ consistere. Ita enim coluere Dominum sancti omnes quotquot ante legem & in lege vixerunt. Nam quod paucu-las quasdam attinebat Ceremonias à Mose traditas, ipsæ quidem ad præscriptum tempus, & vt vmbræ essent futurorum bonorum, erant traditæ. Vnde iam constat istos ijs esse abusos fœdissimè, qui ceremonijs fisi, clamarunt, Templum Domini, templum Domini, interim verò fidem & animi pietatem ipsas inquam res neglexerunt, vmbras coluerunt. Atq; hic iam locus & occasio erat vela colligendi, & inuehendi in impios. Sequitur ergo:

Duri

Duri ceruice,& incircuncisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persequuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti illius, cuius vos nunc proditores & occisores fuistis: qui accepistis legem per dispositiones angelorum, nec seruastis.

Quasi dicat, Sed quid hæc frustra infidelibus ingero? videtis in quibus rebus vera consistat pietas, sed videre non vultis. Viderūt olim hoc ipsum & patres vestri (de impijs autem hoc & stultis ceremoniastis intelligit per Synecdocham) sed veritati & sanctis Prophetis restiterunt. Hoc ipsum facitis & vos. Venit enim filius Dei, annuntiauit vobis veritatem, iustitiam & pietatem eo prorsus modo, quo futurum prædixerant Prophetæ, at hunc ferre non potuistis, sed gentibus traditum crudeliter trucidastis. Nunc verò legem, Deum & templum iactatis, cum tamen templi religio vos non sit ereptura ex malis impendentibus. Deum enim contemnitis, & legem eius prorsus conculcatis. Nam perfectionem legis, ipsum Christum Dominum, indies persequimini & blasphematis. Sic autem retorsit in eos accusationis capita, ad quæ hactenus satis doctè, piè, verè & cordate respondit. Hinc autem conijce, annon absoluta sit oratio. Pulchrè enim finis redijt ad principium, caput ad circulum. Quod autē paulò videatur obscurior, breuitas scriptoris in caussa fuit, cui satis erat summa quæq; annotasse responsionis vestigia, quę si quis ardentius sequeretur, & diligētius scrutaretur, citra negotiū totum orationis inueniret contextum. Illud autem in primis venustum & euidens est, quod conceptis & ex scriptura petitis cōuitijs in impios vltima hac Catastrophe inuehitur. Duri ceruices enim & incircuncisos corde & auribus per oppositionem eius loci dixit, qui Deute. 10. sic legitur: Circuncidite preputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius. Vt nunc Stephanus aliud nihil dixerit quàm hoc, Gloriamini vos circuncisos esse. iactatis præterea legem Dei, cuius auditores sitis, ad vos enim missos esse Prophetas, sed si mores vitæ vestræ expendantur, reuera incircuncisi estis, & omnino tales, quales pinxit Isaias 6. Auribus audietis, & non intelligetis, &c. Christus item Matthæi 23. dicens : Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia ædificatis sepulchra Prophetarum, &c. Porrò Christum Iesum propterea vocat Iustum, quod ipse sit iustitia nostra. Ieremiæ 13. & 1. Cor. 1. Et verbū resistendi (ἀντιπίπτειν) miram habet elegantiam. Nondū enim institutis sacrificijs sua spōte sacrificabant. Institutis autem sacrificijs secus agebant quàm instituta erant. Iam verò cum morte Christi antiquata essent, illi mordicus sacrificare pergebant. Tales videas vel hodie multorum impiorum animos esse, vt qui olim pfaffos (quos vocant) confessionem articularem cane peius & angue oderint, Missas quoq;, vota, monachos, indulgentias, atq; totum Romanæ imposturæ forum, contempserint iam ista omnia reuocare, tueri, & proprio (vt aiūt) sanguine asserere velle. Sed verū hic quoque asserere oportuit, quod prouerbio dicitur, Similes habēt labra lactucas. Obserua item amice Lector dicendi libertatem, & seuerius etiam accusandi scelera authoritatem omnibus viris Ecclesiasticis hoc Stephani exemplo suppeditatam esse. Nam malo nodo malus quærendus est cuneus. Habet tamen obiurgatio Ecclesiastica suam modestiam , & plus grauitatis quàm scurrilitatis aut maledicentiæ.

Perfidia.

Peruersi mores impiorum.

Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in eum.

Εἰκὼν, hoc est, effigies & simulachrum proponitur hominum impiorum veritateq; irritatorum. Nam quò fidelius proponitur veritas, hoc impudentius excandescunt impij.

Quum autem esset plenus Spiritu sancto, intentis in cœlum oculis, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.

Rectè dixit Ioannes Apostolus, fortiorem esse qui est in sanctis, quàm qui in mundo. Non enim terruerunt plenum Spiritusancto hominem minæ & insanientium sannæ. In primis autem peculiaris raraque consolatio contingit martyri plus nimio in pericula coniecto. Siquidem cœlesti visione roboratur. Nam cum in media morte & irruentium turba omnem spem in Deum viuum collocaret, & oculos animi in eum intenderet, è quo omnis salus nostra manat, protinus diducit se cœlum, ibiq; maiestas diuinæ gloriæ ipseq; Dei filius, cui iam ferebat testimonium, martyri apparet. Nam etiamsi ista corporaliter gesta videri poterant, ipse tamen fidei sensus flagitat, quod talis omnino fuerit visio, qualem Dominus Isaiæ exhibuit, Isa. 6. Sed & ipse locus in quo agebantur caussæ, nimirum obseptus & conclusus vndiq;, deniq; ipsa fidei virtus, & quod hic nulla est necessitas videndi corpus

Visio Stephanum roborat.

Domini corporaliter,suadent hác non esse rem gestam,sed visionem (vt aiunt) mentalé. Quanquam nón magnopere super hac contenderim. Quod autem videt,hoc præpropere nuntiat. Ecce (inquit) video cœlos apertos,& filium hominis stantem à dextris Dei. Quo dicto & iudicum coarguit iniuriam,& omnes eos consolatur,qui vel in fide decedunt,vel veritatis nomine patiuntur. Hi enim omnes audiunt cœlorum regiam esse apertam, regnare in ea Dominum Iesum, & ita quoque vt nostri meminerit familiariter. Huc enim pertinet quod dicit eum stare à dextris, quem aliàs scriptura refert sedere. Sedendi enim habitus regnantium est:at standi ad occurrendum & auxilia ferenda accinctorum. D. Hieronymus in Epistola (si modo titulus non fallit) qua de ijs disserit,quæ Deo in scripturis tribuuntur, Deus (inquit) stare dicitur, cum nos infirmos,id est,suam creaturam ad pœnitentiam ac conuersionem patienter sustinet. Poterat ergo Stephanus videri sic loquutus coram Iudæis, non tam quod Christo ferret testimonium,ipsumque sentiret auxiliatorem fore, quàm quod testaretur Deum paratum esse ad dandam misericordiam ijs qui pœnitentia compuncti ad se conuerterentur.

Christus stat ad dexteram.

Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum.

Impij obturant aures.

Impij clamoribus res suas agunt,ad arma protinus prosiliunt. De ijs in hunc modum scripsit Propheta Psalm. 57. Impij in corde concinnant nequitiam, & in terra manus ipsorum ad rapinam extendunt. Alienantur ab vtero,errant à ventre,loquentes mendacium. Furor eorum par est anguium furori, & sicut aspis surda obturant aures suas, quæ non audit vocem incantatorum,quantumcunque doctè incantent.

Et eiectum eum è ciuitate, lapidabant,ac testes deposuerunt vestimenta ad pedes adolescentis,qui vocabatur Saulus.

Mos lapidādi.

Hoc fit ex more gentis Iudaicæ. Lapidandos enim ex vrbe exturbabant, at vbi ad supplicij locum peruentum esset, testes vt ad cædem essent paratiores, exuebantur vestibus,deinde primi primos iaciebant lapides. Sic enim scriptum est Leuit. 24. Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audiuerunt manus super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus. Porrò mentio Pauli non citra maximam vtilitatem inseritur. Docetur enim pœnitentia, & Dei inenarrabilis misericordia. De quibus paulò post.

Et lapidabant Stephanum inuocantem ac dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna; Domine, ne statuas illis peccatum hoc.

Constantia Stephani.

Hysteronproteron vel Epanaphora est. Redit enim ad id quod iam dixerat Stephanum fuisse lapidatum,& amplissimis verbis modum lapidationis, & quomodo se martyr Dei in periculo mortis gesserit exponit. Principio neq; iurgatur,neque maledicit,sed summa modestia Deum inuocat,huic vni animam commendat. Deinde in genua prouolutus orat pro inimicis suis,ne insanientibus hanc cædem imputet. Quibus admodum expressit Domini nostri exemplum. Hic enim in crucem adactus clamat: Pater,remitte illis,quia nesciunt quid faciunt. Deinde, In manus tuas commendo spiriritum meum. Discamus ergo magna animi constantia & patientia mortem semel in nos grassaturum infracto perferre animo. Qui in Christum credit,de morte transit ad vitam. Discamus vitam & animam nostram in manus commendare Domini Iesu, qui mortem fregit, vita & resurrectio est omnium sibi fidentium, & se in extrema necessitate inuocantium. Stulti sunt qui Diuos inuocant. Neq; Stephanus vel Zachariam vel Naboth ante se lapidatos inuocabat, sed tantummodo sanctum Domini nomen Iesu.

Et cum hoc dixisset, obdormiuit.

Dormit iuxta idioma scripturarum,qui mortuus est spe resurrectionis futurę. Omnis enim qui dormit,expergiscitur. Et qui in fide mortuus est,in fide saluatur olim suscitandus. Hoc ipsum testatur & Didymus Alexand. apud Hieronymum ad Minerium & Alexandrum. Hactenus autem de Stephano virtutis perfectissimo exemplari, qui tametsi misero & indigno mortis genere interierit, tamen perpetuo viuit,& gloria eius nequaquam interibit.

Saulus autem consenserat in necem eius.

Συνευδοκῶν illorum vnus erat quos apprime affecerat, & quibus admodum placuerat supplicium viri. Hæc autem adijciuntur ceu præparamenta ad consequentem Pauli historiam.

CAPVT VIII.

FActa est autem in illo die persequutio magna aduersus Ecclesiam, quę erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudęæ & Samariæ, præter Apostolos.



CVM semel exarsit populi furor, rarò vno aliquo malo sedatur. Iudæi ergo nihil saturati effuso martyris innocenti sanguine, quin latius grassantur, Solet enim impietas crudelitasq; veluti gradibus quibusdam, subinde seipsa animosior, ad summa cōscendere. Videas itaq; hoc in loco completum esse quod in Euangelio futurum prędixerat Dominus Ioan. 16. Fuga autem, quam Dominus apud Matth. in 10. permiserat, consulunt sibi multi. Soli Apostoli propterea non cedunt, quod prius oportebat in hac Hierosolymorum vrbe ad miraculum & ad superstitionem vsq; prædicari Euangelium, vt ex hoc & misericordia & iustitia Dei toti orbi innotesceret. Misericordia quidem quod Deus supra modum longanimis, miseram plebem satis tempestiuè satisq; diligenter vocarit ad pœnitentiam. Iustitia verò, quod frustra non punierit immerentes, sed pessima quæq; commeritos, pessimè, & summa cum æquitate perdiderit. Hac inquam caussa noluit nunc quidem Apostolos excedere, reliquos autē omnes (quod non crediderim carere Synecdocha) dispergi voluit, sed non citra egregiam veritatis ac religionis frugem.

Curauerunt autem vnà Stephanum viri religiosi, feceruntq; planctum magnum super eum.

Nemo sanæ mentis damnauerit moderatam & iustam mortuorum curam. Quis enim probauerit Scythicæ gentis morem, quæ nullas impendit corporibus honores? Humanitatis est cum honore corpus demortui sepelire. At superstitionis sacra instituere. Proinde modum adesse volumus, & ne quid superstitiosè fiat, aut fidei contrarium. Quis enim istuc probauerit? Siquidem & Paulus ad Thessalon. Nolo autem (inquit) vos ignorare fratres de his qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri qui spem non habent, &c. & D. Cecilius Cyprianus sermone de Mortal. 4. Nobis quoq; (ait) quoties reuelatum est, quàm frequenter atq; manifestè de Dei dignatione præceptū est, vt contestarer assiduè & publicè prædicarem, fratres nostros non esse lugendos accersione Dominica de seculo liberatos, quum sciam non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, vt proficiscentes ac nauigantes desiderari eos debere, non plangi. Nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba iam sumpserint. Occasionem non dandam esse gentibus, vt nos merito ac iure reprehendant, quod quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio reprobemus. Spei nostræ ac fidei præuaricatores sumus. Simulata, fucata, ficta videntur esse quæ dicimus. Nihil prodest verbis proferre virtutem, & factis destruere veritatem. Hæc Cyprianus. Proinde in hunc locum D. Ioannes Chrysostomus. Nondum illi (inquit) qui plangebant erant perfecti. Rectius tamen D. Hieronymus super obitu Blesillæ ad Paulam, Planctus ille in Actis (inquit) super Stephano habitus, non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris & exequiarum frequentia intelligendus est. Iam & in Ieremia videmus plerosque funerandi ac exequiarum ritus pertinuisse magis ad viuorum consolationem, quàm ad mortuorum salutem. Dolebat ergo non immerito plerisque, quod tantùm in religione propugnatorem amisissent. Frequentes ergo aderant fideles, & sanctum Dei martyrem nō transferebant, aut (vt dicunt) canonizabant, sed sepeliebant. Iam ergo frequentem illam turbam plebis, planctum dixit per Metalepsim aut Catachresim. Apparet autem hasce exequias ante proscriptionem & fugam illam fuisse exequutas. Commiscet enim historiam nonnihil hoc loco Lucas. Aut certè hinc claret non omnes aufugisse, proinde per Tropum esse exponendum, quod dixit omnes esse dispersos præter Apostolos.

Iusta mortuis persoluere.

Saulus verò deuastabat Ecclesiam, per singulas domos intrās, trahensq; viros ac mulieres, tradebat in custodiam.

Iam redit ad hoc quod dixerat, factam esse persequutionem magnam, & adumbrata Pauli tyrannide modum ac rationem, imò simulachrum afflictionis, ceu hypotyposi statuit ob oculos. Saulus (inquit) antesignanus erat huius persequutionis. Nam is non modo in deprehensos grassabatur, sed & in ædes illorum irruebat, qui huius religionis essent insimulati. Id quod de sese exponit Paulus, dum caussam suam ageret coram rege Agrippa, dicens: Et multos sanctorum ego carceribus inclusi, & dum occiderentur detuli sententiam. Quæ cum luce sint clariora, sanè mirandum est quid Lyra-

Pauli tyrannis.

num & nõnullos alios adegerit, vt apologiam pro Paulo scribere tentarint, quasi Paulus ceperit quidem plurimos, neminem autẽ occiderit. Quasi verò obscurũ sit quod mox in 9. sequetur: Saulus autem adhuc spirans minas & cædem aduersus discipulos Domini. Ergo qui Dauidem homicidam nõ reiecit, idem Apostolum Paulum reuocare potuit, vt eum toti orbi exhiberet Euangelicæ gratiæ & exemplar & præconem, 1. Timoth. 1.

Illi igitur dispersi peragrabant, annuntiantes sermonem Dei.

Vide quàm facete fallat Dominus impiorum consilia. Impij in hoc instituerãt persequutionem, vt veritatem opprimerent Euangelicam, sed ea ipsa persequutio cedit in maximam Euangelij frugem. Prius enim in paucis certisque vrbibus prædicabatur Euangelium, nunc verò quàm latissimè propagatum in multis gloriosum coruscat & vrbibus & regionibus. Ad hunc modum videmus subinde amarioribus dulciora misceri à Domino, ne sancti se desertos esse suspicari possint. Nondum autem prædicabatur Gentibus Euangelium. Id quod in 11. cap. clarius explicabitur.

Philippus autem peruenit in ciuitatem Samariæ, ac prædicabat illis Christum.

Quemadmodum hucusq; Stephani historiam peculiariter descripsit, paucis quibusdam de communi Ecclesiæ statu interiectis: ita nunc quoque pauculis de Petro & Ioanne insertis, Philippi duntaxat gesta ad 9. vsque caput describet. Video autem à multis dubitatũ esse, Philippus ne hic Apostolus vnus è numero duodenario, an diaconus fuerit è numero septenario ab Ecclesia electorum. Et Polycrates quidem & Clemens apud Eusebium Ecclesiast. hist. lib. 3. cap. 31. videntur hæc de Apostolo intelligere. Nisi fortassis Apostoli nomen (quod vero similius est) non redegerint in numerum duodenarium. Nam ex consequentibus, & ex 21. cap. clarissimè patebit hunc non fuisse Apostolum è numero duodecim, sed diaconum, qui tamen assumpto Apostolatus munere, & deserta diaconatus functione Apostolus dici cœpit. Atq; huius nobiscum sententiæ est D. Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos. Obseruandum autem est, quòd Apostoli ac ministri Christi aliud nihil prædicant quàm CHRISTVM & SERMONEM DEI. Deinde quòd etiã Samariæ prædicant, quod ipse iusserat in discessu suo vltimo, vt liquet Acto. 1.

Philippus diaconus.

Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebãtur, vnanimiter audientes & videntes signa quæ ædebat. Spiritus enim immundi è multis qui ab illis tenebantur, exibant, clamantes voce magna. Multi autem paralytici & claudi sanati sunt. Et factum est gaudium magnum in illa ciuitate.

Miracula.

Hoc ipsum est quod scribitur Marci 16. Illi autem egressi, prædicauerunt vbiq;, Domino cooperante & sermonem confirmante per signa subsequentia. Non autem faciunt fidem miracula, id quod supra quoq; annotauimus. Aliàs enim credidissent impij quoq; Iudæi: sed adhibentur à Domino vt curiosæ carni nonnihil respondeant & veritatis verbo viam sternant. Denique ad verbum veritatis clamant dæmones, contrà verò gaudent & lætantur fideles. Nam Euangelio expellitur expugnaturq; huius seculi princeps: peccatores autem spem recipiunt, itaq; gaudent. De morborum generibus scripsere Medici, de paralysi verò Cœlius Lect. antiq. lib. 3. cap. 22.

Vir autem quidam nomine Simon, qui ante in ea ciuitate artem exercuerat magicam, ac gentem dementauerat Samariæ, dicens se esse quempiam magnum, cui auscultabant illi à minimo vsq; ad maximum, dicentes: Iste est virtus Dei, quæ vocatur magna. Auscultabant autem ei, propterea, quòd multo tempore magicis artibus dementasset eos. Cum verò credidissent Philippo Euangelizanti de regno Dei, deq; nomine Iesu Christi, baptizabantur viri simul ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Vidensq; signa & virtutes fieri, stupens admirabatur.

Aduersaria potestas adeo non frangit veritatem, vt eam magis consolidet. Proinde veritas rarissimè est sine aduersaria virtute. Id quod vel in hoc Simone mago viro Iudæo & impostore egregio apparet, qui virtute Dei victus ipse magiam suam & aspernari & ad tempus deserere cogitur. Faciebat hoc plurimum ad authoritatem Apostolicam cõfirmandam. Potuissent enim homines suspicari quod & ipsi magicis prçstigijs luderent alicubi aut dæmonũ arte instructi id facerent quod faciebãt, quæ su-

quæ suspicio Simonis fide penitus sublata est. Nam ambiens virtutem Apostolicam, suam prodidit stultitiam. Exigit autem hic locus paucula quædam annotare ex scriptoribus de magia, vt aliquot scripturę loci ex hisce illustrentur. Est ergo communis opinio Magiá & Magum voces esse Persicas, & Magum significare eorum lingua idem quod sacerdotem, philosophum, diuinorumque interpretem & cultorem, Magiam vero omnem philosophiam physicam & mathematicam, sed & religionum vires complecti. Atque in hac sententia fuere Porphyrius, Apuleius, Cœlius atque Sabellicus. Idem illi deprehenderunt Magiæ huius species esse duas. Alteram quidem non aliud quam naturalis philosophiæ apicem. Alteram vero infamem ac immundorum spirituum commertijs inauspicatam: quam & non magnopere Magiam sed Goetiam appellarint Græci, incantationibus & carminibus nefariæ (vt ait Cœlius) curiositatis arte compositis concinnatam, quam honestiore vocabulo etiam Theurgiam nuncuparint. Illius porro studiosi vulgo vocantur Malefici: horum enim proprie est Goetia, cuius libros improbatæ lectionis appellat iureconsultus Vlpianus, quos & protinus statuit esse comburendos. Alij forsan expeditius bifariàm diuiserunt Magiam, in naturalem videlicet & ceremonialem. Naturalem nihil aliud esse putarunt, quam quod supra diximus, totius philosophiæ apicem, quæ naturalium virtutum adminiculo, astrorum, herbarum, gemmarumque, ex mutua earum & opportuna applicatione, opera ædit supra omnem admirationis captum. Et hac Indi ac Æthiopes maxime vsi traduntur, vtpote apud quos herbarum, lapidum, astrologiæ studium, cæterorumque ad id spectantium facultas suppetebat. Cuius quidem generis Magos videtur fuisse eos, qui Christum natum muneribus inuisentes adorauerunt. Siquidem & Euangeliorum interpretes illos exponunt Chaldæorum fuisse philosophos: quales omnino fuere Iarchas apud Brachmanas, Tespion apud Gymnosophistas, Numa Pompilius apud Romanos, & Hermes apud Ægyptios. In hac imbuebantur Persarum regum filij. De qua re copiosiora inuenies apud Antonium Sabellicum Enneade 2. lib. 2. Sub naturalem retulerunt & Magiam mathematicam, qua miracula quædam præter naturam fiunt. Qualis fuit Architæ Tarentini columba lignea, quæ volabat, vt extat apud Plinium & Plutarchum. In ea præmodum excelluit maximi ingenij vir Boetius, de quo Aur. Casiodorus, Tibi (inquit) ardua cognoscere & miracula monstrare propositum est. Tuæ artis ingenio metalla mugiunt. Diomedes in ære grauius buccinatur, æneus anguis insibilat, &c. Sub eandem retulere & magiam veneficam, quam alij vocarunt φαρμακείαν, quæ poculis, philtris, varijsque veneficiorum medicamentis constat: cui & metamorphosin Circes artem ascribunt. Huius meminit etiam Augustinus in libris de Ciuitate Dei. Eiusdem quoque generis videtur Ægyptiorum fuisse incantatio, qua baculos vertebant in colubros. At hac quidem parte plurimum inclinat ad Goetiam. Ceremonialis enim magiæ species sunt Goetia & Theurgia. Goetia autem constat (vt supra diximus) immundorum spirituum familiaritate & auxilio. Huius ministros non modo Maleficos, sed & Necromanticos appellamus. Nam defunctorum inclamant consuluntque animas. Huc pertinent Epodi, qui excantant pueros & in eloquium oraculi eliciunt, & qui dæmones parædros, quos famulantes spiritus vocant, iactitant: quiq; vt dicitur, spiritus pascunt in vitro, per quos se prophetare mentiuntur. Et hi omnes bifariàm procedunt. Nam alij dæmones malos virtute quadam maxime diuinorum nominum adiuratos aduocare & cogere student. Alij autem omnium nephandissimi se dæmonibus submittentes, illis sacrificant, eosque adorant. Ex hac hominum fece profluxerunt nobis characterum & prodigiosorum nominum genera, ad quæ mali dæmones sponte comparent, nimirum vt astu suo decipiant, vt adorentur ac venerentur. Iam vero Theurgia maximam ceremoniarum partem continet, & consistit in munditia cum animi tum corporis seruanda, item eorum quæ circũ corpus sunt, vt in cute, in uestibus, in habitaculis, in vasis, instrumentis, hostijs & id genus superstitionibus. Dæmon etenim ad decipiendum callidissimus, imposturas suas specie sanctitatis ceu nassa inuoluit, vt imprudentiores capiantur facilius. Neq; vero & minima portio huius maledictæ artis est præstigiorum artificium, hoc est illusionum, quæ secundum apparentiam tantum fiunt, quibus Magi phantasmata ædunt, multaque miracula circulatorijs fraudibus ludunt, & somnia immittunt, quod non tam Goeticis incantamentis quam etiam certis fumigiorum vaporibus, luminibus, collirijs, alligationibus & suspensionibus, præterea & annulis, speculis, & alijs id genus magicæ instrumentis fit. Hæc autem omnia ex varijs rerum scriptoribus maxime vero Cornelio Agrippa in vsus studiosorum collegimus. Ex quibus omnibus patet non aliud esse Magiam potissimum ceremonialem, quã complexum idololatriæ, astrologiæ, perfidiæ & superstitionis nephandæ, è qua nobis maximæ & pleræq; in Ecclesia Christi blasphemiæ atq; hæreses exortæ sunt, quemadmodũ de hoc ipso Simone Mago in Ecclesiast. hist. exposuit Eusebius, & de Valentinianis sanctus Dei martyr Irenæus. Certe Simon in hac infami magia illustris fuisse videtur, cuius subsidio & miracula patrarit, & morbos induxerit corporibus, deinde vero eosdem iterũ expulerit. Hoc enim permittit Deus propter infide

De Magia.

Naturalis Magia.

Ceremonialis Magia.

Magia Theurgia.

Simon Magus.

litatis nostræ crimen scelestissimum. Quin & ipse Paulus de Antichristi prodigijs mentionem faciens, Cuius (inquit) aduentus est secundum operationem satanæ, cum omnipotentia, & signis, & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ, in ijs qui pereunt, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt in hoc vt salui fierent: & propterea mittet illis Deus efficacem illusionem, vt credant mendacio, qui veritatem repulerunt. Huc pertinet & illud è lege Domini petitum, Si surrexerit in medio tui Prophetes, & dederit tibi signum atque portentum, & euenerit quod loquutus est, dixerit autem, Seruiamus dijs alienis, non audies verbum eius, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrum toto corde ipsum diligatis. Constat ergo impostores aliquid posse. Nam & Strabo celebris author libro 8. de situ orbis tradit Epidaurij celebre Æsculapij fuisse templum, quod non alia caussa peteretur, quam quod tot morbi in eo curarentur. Mira quoque de Apollonio Tyaneo refert Philostratus, & multo mirabiliora de varijs miraculis Lactantius Institut. lib. 2. cap. 8. Minus ergo mirandum quod hic in Luca legimus de Simone mago. Nobis autem hoc spectandum est, quod ipse Lucas artes illius nihil aliud ait esse, quam dementiam, imò quod ipse præstigiator Simon arte sua reiecta, virtutem Philippi adeo admiratus est, vt eam auro etiam, si licuisset, comparasset. Proinde reiectis contemptisq; præstigijs illis, audiamus quid præceperit Dominus, dicens. Ne sit inter vos qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pyhones consulat, nec diuinos, & qui quærat à mortuis. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera Dominus Deus tuus deleuit Gentes in introitu tuo. Perfectus eris cum Domino Deo tuo. Gentes istæ quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. Et alibi, Vir siue mulier in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur. Illud porrò nimis verum est, quod audimus promiscuum vulgus ad præstigias orandas semper fuisse proptissimum. Quid enim aliud est quod dicit, Auscultabant illi à minimo ad maximum? Videas & hodie multos pro magnis haberi à superstitiose credula plebe, qui certe profligatissimi nebulones sunt, & multis digni erant supplicijs. Quod autem scribitur Simonem credidisse, ex communi more loquendi scribitur. Siquidem eos etiam credere dicimus, qui licet verè non credant, attamen se credere simulant. Miror autem quid ad hunc locum respondere possint Catabaptistæ, qui infantibus hoc potissimum nomine baptismum denegant, quod præ rationis infirmitate nondum credant. Nam & Simon non credidit & tamen baptizatus est. Porrò si contendunt confessionem oris valere aliquid, quid aliud, quam non credentes baptizandos esse contendunt? Confitentur enim & hypocritæ. Nulla certe erit posthac inter infantium & hypocritarum baptismum differentia. Nam quo iure illi hypocritas baptizant, hoc nos infantes baptizamus: imò longe meliore. Si enim in baptismo spectanda est animi integritas siue synceritas, quæ fidei summa virtus est, iam certiores sumus de infantium sanctimonia, quam illi de adultorum confessione. Proinde si non peccauit Philippus baptizando Simonem, ne nos quidem peccauerimus, infantes lustrando aqua sancti baptismatis.

2. Thess. 2. *Deut. 13.* *Aduersus Magiam.* *Credulitas.* *Aduersus Catabaptistas.*

Cum autem audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria sermonem Dei, miserunt ad eos Petrum ac Ioannem:

Auxilia. Mittuntur Apostoli primarij, vt Philippo laboranti ferant suppetias. Quis enim vnus possit omnia? Auxilia igitur in omnibus rebus in primis sunt necessaria. Ita audiemus Paulum Apostolum à Barnaba Antiochiam esse vocatum deductumq;. Mittuntur autem vt adiutores, non vt Domini. Par enim potestas omnibus data est. Donorum augmenta alium alio præcellentiorem efficiunt. Nullibi vero inuenias Petrum misisse quenquam, at missum ab alijs hoc loco demonstratur. Hic item impleri vides quod dixit Dominus, fore vt & Samariæ prædicetur Euangelium, Actor. 1.

qui cum descendissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondū enim in quenquam illorum illapsus fuerat, sed baptizati tantum erant in nomine Christi Iesu. Tunc imponebant manus super illos, accipiebantq; Spiritum sanctum.

Si ergo Spiritum sanctum nondum acceperant, quomodo credere potuerant? An vero quisquā vere Deo fidere poterit absque Sancti spiritus illustratione? Aut cui videatur verisimile ante Apostolorum aduentum neminem prorsus in tota Samaria credidisse? Hic non nescio quam hic locus multos torserit, & ansam multis præbuerit asserendi Philippo propterea non tantam fuisse virtutem quantam Apostolis, quod esset diaconus. Verum ego crediderim totam difficultatis caussam tegi orationis amphibologia. Nam Accipere Spiritum sanctum non eodem semper modo in scripturis vsurpatur

Accipere Spiritum sanctū.

patur. Nam Spiritum sanctum accipiunt aliquoties qui docentur: ita accipere Spiritum sanctum significat doceri. Aliquoties accipiunt Spiritum sanctum, quorum corda sensu cœlestium bonorum tanguntur: ita accipere Spiritum sanctum, est credere. Aliquoties accipiunt Spiritum sanctum, quorum mentes confirmantur pacanturq́;: ita accipere Spiritum sanctum, significat tranquilla esse conscientia, vt in Galat. 3. Scire cupio an ex operibus legis spiritum accepritis, an ex prædicatione fidei? Rursus accipiunt Spiritum sanctum, qui dona linguarum, sanationum ac virtutum suscipiunt: ita hoc loco accipere Spiritum sanctum non significat iam primum credere, aut cõscientiam assequi tranquillam, aut erudiri, sed augeri spiritũ, & dono linguarum præcellere & virtutes facere. Id autem sic habere principio ex temporis liquet circumstantia. Inter initia adhuc erat, nec diu docuerat Philippus, alioqui non expers huius virtutis, sed præcesserat Apostolos (& ipse Apostolus, nec iam amplius diaconus) & candidatos nihil adhuc quam initiarat. Hoc enim pollet quod dicit, Baptizati tantum erant sub nomen Christi Iesu. Vnde nos quoq; colligere possumus, baptismum non esse aliud, quam initiationem populi Dei, qui tempore in fide & donis Dei grandescit. Non enim perfectorum duntaxat est hoc signum, vt Catabaptistæ contra huius loci genuinum asserunt sensum, sed eorum quoq; qui huius religionis alumni sunt futuri. Deinde peculiarem quoq; vim habet hæc loquutio, ἦ ἐπιπεπτωκώς, Erat elapsus siue delapsus. Nam hoc magis innuit exteriorem (qualem in 2. cap. audiuimus, & in 10. audiemus) donorum dispensationem, quam animorum immurationem. Alias enim Simon homo prophanus, & omnis interioris expers virtutis, nisi sensu externorum donorum allectus esset, haudquaquam tanto animi ardore ac pretio summo spiritum licitasset. Crediderunt ergo Samaritæ prædicationi Philippi, adeoq; & per Spiritum sanctum crediderunt, quem acceperant, sed secundum mensuram. Non enim in initio aliter fieri potuit. At cum iam descendissent Apostoli, & pietas multorum iam indies confirmaretur augereturq́;, orarunt pro eis Apostoli, & manus imposuerunt credenditibus, tum vero Spiritum sanctum accepere abundantius, adeo vt & linguarũ miraculo & alijs pollerent virtutibus, in quibus tamen hactenus nemo illorum post Philippum quicquam præstiterat. Huic astipulatur Diuus Ioannes Chrysostomus, dicens: Spiritum remissionis acceperant, spiritum autem signorum non acceperant. Nam non est idem assequi redemptionem & illam virtutem. Atque hic videtur omnium simplicissimus esse sensus. Nam ea quæ hic à nonnullis disputantur de discrimine episcopi & diaconi, non in loco dicuntur. Nam Philippus hic iam non erat diaconus, sed Apostolus: olim Hierosolymis fuerat diaconus, dum præfectus ærario Ecclesiastico non iam prædicaret, sed pauperum gereret curam. Tales enim veteribus dicebantur diaconi. Hos inferiores esse episcopis & presbyteris, recte disputauit ad Euagrium Hieronymus. Iam vero manuum impositio, cuius & in Euangelio & hic fit mentio, non vbiq; pari ratione est obseruata. Inuenias enim & sanatos & spiritu Dei donatos esse, quibus tamen nullæ manus imponebantur. Aliquoties ergo ceu ceremonia est adhibita, quæ externo signo significaret, huius quod conferebatur beneficij authorem esse non hominem, sed manum, id est, virtutem Dei. Hinc enim iungitur ei & oratio.

Baptismus.

Episcopus Diaconus.

Cum vidisset autem Simon, quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecunias, dicens: Date & mihi potestatem istam, vt cuicunq; imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.

Hic tandem prodit se veteratoris malitia, è qua coniectamus quo affectu animique instituto illectus, fidei se simularit asseclam. Affectus enim æmulatione gloriæ, cæcatusque lucri gratia, hanc virtutem ambiuit, vt solent qui paruo emunt vt pluris reuendant. Sed damnati sunt iam olim cum à Christo in Euangelio Matthæi 8. tum ab Apostolo Paulo dicente, Seiungere ab ijs qui mente corrupti sunt, quibus adempta est veritas, & qui existimant quæstum esse pietatem. Est autem quæstus satis magnus pietas cum animo sua sorte contento, 1. Tim. 6. Quin potius audiamus Petri super hac re sententiam.

Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniã donum Dei existimasti pecunijs parari. Non est tibi pars neq; sors in ratione hac: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Resipisce igitur ab ista malitia tua, & roga Deum si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & colligatione iniquitatis video te esse.

Principio verbis Apostolica authoritate plenis in peccatum eius inuehitur, hoc protrahit & condemnat. Deinde vero hortatur ad pœnitentiam. Quod sane elegantissimum exemplũ est diuinæ

ac Apostolicæ cum seueritatis tum lenitatis. Prima autem orationis pars stomachum habet ac per aposiopesin videtur elata. Quasi dixerit, Dispereas vnà cũ nummis tuis, adeon' cæcus es, vt credas cœlestia dona parari posse peccunia terrena? Hinc vero infert, Non est tibi pars, neque sors in negotio Euangelico, alludens ad terræ promissæ hæreditatem, typum æternæ vitæ. Caussam addit, Cor enim tuum non est rectum coram Deo, Exigit autem Deus cordis integritatem, hypocrisim auersatur. Secunda porrò orationis parte hortatur ad resipiscentiam. Modum quoque indicat per quem ad resipiscentiam posit peruenire, Iusta Dei inuocatione. Et quo magis moueretur iterum caussam eius exaggerat, & ait: Video te esse in felle amaritudinis & in vinculis siue colligatione (verstrickt) iniquitatis. Posuit autem amarum illud fel aut bilem atram pro æmulatione & inuidia, qua par esse laborat Apostolis Magus homo, qui prius rerum gestarum magnitudine famam sibi non in celebré comparasset. Egre enim superiores patiuntur, qui aliquando gradum habuere summum. Hac fellis metaphora vsus est & Moses Deuter. 29. & Paulus Hebr. 13. Colligatio autem iniquitatis pecuniæ studium habet & auaritiam complectitur. Annotauit & illud Erasmus εἰ ἄρα, Si forte. ἄρα, fortè inquam. Coniunctionem esse expletiuam, quod referendum duxi, ne quis criminis magnitudini, Dei misericordiam denegatam suspicaretur, aut certe Petrum dubitasse de peccatorum remissa. Quanquam omnis remissio à conditione pendeat veræ videlicet fidei & pœnitentiæ syncerae. Habes ergo hic alterum Apostolicæ seueritatis exemplum. In 5. cap. Ananias & Saphyra dederant pœnas simulationis.

Videri poterat & correctio esse, Quasi dicat, Sed quid te hortor, cum desperaueris?

Seuerum exemplum.

Hic vero damnatur æmulatio & lucri iniqui studium, quod ex religione capitur aut decerpendum instituitur. Vtrunque in Ecclesia maximorum malorum seminarium est. Vtrunque ergo mira seueritate resecatur. In Simone Petro habent optimi quique episcopi exemplum, quo discunt quid ipsis sit faciendum. Porrò in Simone Mago discimus omnes, quid sit vitandum, & ne quis posthac in Euangelio suum quærat compendium. Legimus in historia Regum Giezi Helizei ministrum misere perijsse quod dona Dei vendidisset pro auro. Ab hoc autem Simone sunt qui Simoniam dictam existimant, crimen omnium nocentissimum & pessimum, quod hodie adeo occupauit Ecclesiam Ecclesiasticosq; proceres, vt hunc Simonem innocuum credere possis ad illos collatum. Constat enim remissionem peccatorum ipsissimum esse largæ Dei misericordiæ munus. Audimus Petrum clamantem: Non potest pecunia parari donum Dei. At illi clamitant, Redimite indulgentias, vota instituite, offerte, missas & preces emite, vt remittantur vobis peccata vestra, breuiter, nihil habent tam minutum quod sponte dent, nisi pecuniam numeres. Quid quod sacerdotia & præbendæ (quas vocant) denique omnes Ecclesiastici reditus istorum auaritiæ & libidini sic sunt expositi, vt ijs alimonijs, quibus labores Apostolici & sudor Euagelicus, necessitas item egenorum sustentari debuissent, iumenta hodie & canes, & seruitia, ne quid aliud dicã liberius, in otio luxu & voluptate aluntur? Inuenias enim huiꝰ generis qui Crœso ditiores & Sardanapalo corruptiores, otiosi & bene curata cute sex aut septem possideant sacerdotia. Interim vero periclitatur doctrina Euangelica, negliguntur studia, & inopes misere affliguntur inopia. Sed faxit Deus vt illi ad mentem redeant & supplicium Dei impendens digna pœnitentia declinent.

Aduersus Simoniacos.

Lösend den ablaß.

Respondens autem Simon, dixit: Precemini vos pro me apud Dominũ ne quid eueniat in me horum quæ dixistis.

Ficta est illa pœnitentia qualis & Iudæ proditoris erat. Quin & ipsa verba satis frigida desperationem resipiunt. Nam quod preces Apostolorum ambit, non solida pœnitentia facit, sed metu perculsus. Tandem enim subdit, Ne quid horum in me eueniat. Plura de hoc Simone mago lege in Iustino & Irenæo, apud Eusebium Ecclesiast. hist. lib. 2. cap. 13. Sunt qui dicant Simonem & vere credidisse & pœnituisse, sed falluntur hi hominis hypocrisi.

Et illi quidem testificati & loquuti sermonem Dei, reuersi sunt Hierosolymam & multis oppidulis Samaritanorum Euangelizabant.

Paucis quidem abrumpit hác de gestis Apostolorum in Samaria historiam, accingitur ad ea describenda, quæ post hæc per Philippum & cum Eunucho & in nonnullis maritimis acta sunt vrbibus. Testificari autem sermonem Dei, est magna libertate & grauitate annunciare veritatem, quam nisi susceperis, audieris tamen, tibi ipsi in testimonium iustæ damnationis audieris. Sumpta est metaphora à testibus & ratione testificandi.

Testificari.

Angelus autem Domini loquutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade meridiem versus, ad viam quæ descendit ab vrbe Hierosolymorum ad ciuitatem Gazam, hæc est deserta. Et surgens abijt.

Omnia

Omnia aguntur Dei prouidentia. Aguntur autem per media quædam. Ita enim eunuchus prædicatione Philippi ad cognitionem veritatis prtingit. At Philloppus mandato Domini eunuchum accedit. Quibus enim bene vult Dominus, ijs mittit doctores veritatis. Quos autem abijcere & supplicijs diris mancipare vult, ab ijs tollit veritatis præcones. Proinde sicut Missio in primis necessaria est, ita supra modũ salutaris est. Caueamus ergo ne obuiam veritatem repellamus. Porro vocem Deserta, alij non ad Gazam vrbem, sed ad regionem referunt. Alij ad vrbem ipsam vastatam. Fortasse Lucas viam deserti intellexit. *Præcones verbi.*

& ecce vir Æthiops, eunuchus, præfectus Candaces reginæ Æthiopum, quem præfecerat vniuersæ Gazæ suæ, venerat adoraturus Hierosolymam, & reuertebatur sedens super currum suum, legebatq; Isaiam Prophetam.

More historico nec sine mysterio describit principis personam à natione, officio, & religione. *De Eunucho.*
Nam natione Æthiops erat, hoc ipso specimen præbens fore, vt & Æthiopibus & omnibus alijs gentibus (iuxta Isaiæ vaticinium) prædicaretur salus, quamuis ipse videatur fuisse proselytus. Deinde vero idem ille eunuchus, id est, aulicus, reginæ Æthiopum ærario præfectus erat. Non itaque vllum genus hominum reijcit ab Euangelica salute Dominus, non principem, non ærario præfectum, aut alio quopiam Reipub. præditum officio, modo istud cum manifesta impietate non sit coniunctum. Quod autem Eunuchum pro aulico interpretati sumus, hinc est quod ea vox hoc loco non sexus aut impotentis (vt sic dicam) denotatio est, sed officij. Nam veteribus ministri aulæ per catachresim dicebantur Eunuchi. Catachresis autem nihil aliud est quam vocis abusio: veluti cum piscinam dicimus in qua lauamus, nec pisces insunt. Habet tamen hæc figura allusionem: vnde cum regibus receptissimum esset eunuchos præficere administrationi aulicæ, successu temporis factum est, vt hoc nominis ad omnes aulæ ministros dimanarit. Factus est igitur hic loquendi modus Hebræis vsitatissimis, apud quos ego crediderim סריסים indifferenter poni pro סרן. Est autem סרן aliud nihil quam princeps aut satrapa. Huius rei certa argumenta comperies Gene. 37. & 40. Item 1. Samuelis 8. & 4. Regum 20. Quin & etymon vocis Græcanicæ huc quadrat. εὐνοῦχος enim ab asseruandis cubilibus dictus est. Nam εὐνὴ cubile dicitur, & ἔχω asseruo. Quia ergo hic Gazam, id iest, opes (est enim Gaza, teste Seruio grammatico, vox Persica) thesaurumque asseruabat, per abusionem eunuchus, quasi Gazophylactus est appellatus. Felicius ergo reddiderimus Germanice, Ein amptman oder hoffman/ quam ein verschnitner. Iam & hæc nequaquam prætereunda sunt, quæ nunc annotabimus. Prius, δυνάστης Græcam vocẽ & à Latinis vsurpari. Ægyptij enim soliti sunt suum magistratum Dynastiam, præfectos autem vocare Dynastas. Posterius, Candaces Genitiuum esse à Nominatiuo Candace, quod nominis ita commune omnibus Æthiopum regnis fuisse videtur, vt apud Ægyptios Pharao & Ptolemæus regibus. Id porro ita habere testatur Plinius in 6. cap. 29. & Strabo libro Geograph. 17. Neq; vero incredibile cuipiam videatur quod fœmina Æthiopibus imperarit. Similia enim his referunt historiæ de Semiramide, Didone, Thomyri, Saba, Penthesilea, alijsque multis. Illud vero viri religionem attinet quod Hierosolymam adoraturus venerat, & Isaiæ Prophetiam legebat. Vnde proselytus videri poterat. Nondum enim vocatio Gentium in hisce terris, intraque gentem Iudaicam cœpta ac vsitata erat, sed à Petro primum cum Cornelio inducebatur. Cæterum si quis contendat Æthiopem prorsus fuisse gentilem, non magnopere recalcitrabo. Caussæ enim propter quas videri poterat proselytus fuisse non eæ sunt, quæ contrauertentem reuincere possint. Nam quod Hierosolymam adoraturus ascendit, non ex Iudaica religione, sed Gentium quoque obseruatione ascendit. Tanta enim fuit apud omnes Gentes templi Iudaici gloria & opinio, vt ex remotissimis etiam terris religionis gratia Hierosolymam peregrinatio institueretur. Cuius quidem rei apertissima inuenias testimonia, & in Cicerone alibi, & in Iosephi Antiquitatibus, maxime vero apud Ioannem in 12. Deinde vero tanta semper fuit Æthiopibus cum Iudæis familiaritas, vt aliquando etiam publico nexi fuerint fœdere, id quod Isaias testatur in capite 19. Non itaque mirum si illi sensum habuerint legis Dei & Prophetarum. Quid quod ante ducentos annos rex Ægyptiorum Ptolemæus curauerat legem Iudaicam opera LXX. interpretũ transferri in linguam Græcanicam, quæ tunc temporis omnibus penè nationibus erat notissima, in primis autem Æthiopibus, ac Ægyptijs maxime ob commertium cum Romanis, atque ante hoc cũ Alexandro Macedone. Præterea omnibus penè regnis receptissimũ fuit, vt principes & in religione & in honestis disciplinis sanè instituerentur, quin & per omnem vitam lectioni quæ ad religionem & rempublicam promouendam faceret, essent addicti. Testatur hoc Plato in Alcibiade, Plutarchus item in eo libello quo docet in principe requiri doctrinam, & Crinitus libro de honesta disciplina 1. capite secundo. Iterum igitur minus mirandum si is

Hierosolymam venit & Prophetam legit.

Vide boni principis studia.

qui gentilis erat Isaiam legebat. Hinc autem discant principes & magistratus nostri eruditionem amplecti, hoc est alia alijsq; vanitatibus positis, bonos vel sacros authores (cum per publica licet negotia) perlustrare. Neq; pudeat eos huius ceu pœnitendæ & minime magistratui dignæ rei, cuius non pœnituit neq; Iosue, neq; Dauidem, neq; Ezechiam, adde ne Alexandrum quidē ipsum, Scipionémue aut Iulium Cæsarem, principes, quibus hic orbis nullos habuit vel fortiores, vel feliciores.

Dixit autem spiritus Philippo: Accede & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Intelligis ne quæ legis? At ille ait: Quinam enim possim, nisi aliquis dux viæ mihi fuerit? Rogauitq; Philippum, vt ascenderet, sederetq; secum.

Humanitatis exemplum insigne. Hic vide amice Lector, quid sit sacris nauare operam. Hoc medio (humano more loquor) inducitur Æthiops in veram veræ adorationis religionem. Vide autem quam comis sit hic princeps, & quam facilem se præbeat viro ignoto & homini peregrino. Non arroganter (nostrorum more) Apostolum reijcit. Vnde nouus hic hospes? aut quid tu hic? quid tua retullerit, impostor, intelligam an minus? sed insigni humanitate loquentem excipit, & ab eo quod non intelligit perdiscere cupit. Vtinam multos tales habeamus principes, sanè plus felicitatis regnaret, minus miseriæque. Quin & in currum sustulit pedibus incendentem, vt omnia perdisceret certissime. Hinc autem doctissime collegit Diuus Hieronymus de scriptura sacra ad Paulinum scribens, scripturam omnino expositione egere. Cæterum Aurelius Augustinus libro de doctrina Christ. 1. cap. 36. hanc expositionem ad certas referens regulas, *Regula exponendi scripturas.* Quisquis (inquit) scripturas diuinas vel quarumlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis vero talem inde sententiam dixerit, vt huic ædificandæ charitati sit vtilis, nec tamē hoc dixerit quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non pernitiose fallitur, nec omnino mentitur. Quapropter cum quis cognouerit finem præcepti esse charitatem de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, omnem intellectum diuinarum scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem sacrorum librorum securus accedat. Hæc Augustinus. Est & alibi de exponendis scripturis dictum copiosius.

Argumentum autem scripturę quam legebat, erat hoc: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se mutus, sic non aperuit os suum. In humilitate ipsius, iudicium eius sublatum est. Generationē autem eius quis enarrabit? Quoniam tollitur de terra vita eius. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc, de se, an de alio quopiam? Aperiens autem Philippus os suū, & incipiens à scriptura ista, prædicauit illi Iesum.

Secundum translationem LXX. interpretum citauit Isaiam Lucas, & verisimile est Æthiopem Græco vsum esse amplexari. Mirum autem est quod hic locus quo in omnibus Prophetis nullus est de Christo apertior, hic sese obtulerit. De hoc enim verissime dixit Hieronymus, quod Isaias historiam verius recitasse quam vaticinium contexuisse videatur. Sed facit diuina prouidentia omnia appositissime. Locus autem apud Prophetam extat in cap. 53. Quem nos iuxta veritatem Hebraicam paraphrasi, quo omnia planiora sint, referemus. *Caput Isaiæ 53. paraphrasi expositum.* Sic habet negotium. Descripserat hactenus Propheta à 40. capite liberationem & beneficia quæ per Christum Ecclesiæ fidelium conferuntur, & quia non immerito fidelis animus mirari potuisset quis vel qualis nam ille futurus esset tantarū rerum & mysteriorum collator in 53. cap. ipsum CHRISTVM per prosopograhiam describit, *Christus.* maxime tamen humanitatem, passionem & victoriam, diuinam naturam parcius attingit, & dicit: *Natiuitas.* Nascetur hic è stirpe Dauidica, & crescet coram Domino tanquam virgultum. Et sicut radix in humo siticulosa, ita hic inuitis omnibus suis hostibus emerget. *Humilitas.* Interim verò speciem non habebit Messiæ, neque decus regium. Non enim non habebit regias opes, sed ne tantillum quidem vt caput suum reclinare possit. Breuiter, non erit ei species aut forma, neque vllius eum reputabimus. Apud impios ergo despectus & contemptissimus erit hominum: *Infirmitas.* at apud pios in summo pretio habitus. Hi enim norunt, quod in hoc ita tentatus sit, vt fratrum quoque dum affliguntur misereri possit. Illi porrò sic affectum nullius reputabunt, adeo vt & vultum sint ab eo absconsuri, & dicturi, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Iustus.* Cæterum cum ipse virorum iustissimus sit, tanta interim mala pertulerit, vere non suos, sed nostros labores tulit, & dolores nostros, nobis propter peccata debitos, portauit

tauit. Nos autem id non exactius pensiculantes, existimabamus hunc à Deo merito plagatum. Cum tamen ipse non à suis, sed nostris vulneretur transgressionibus, & propter iniquitates nostras conteratur. Castigatio enim quæ nobis debebatur merito, in ipsum incidens, nobis pacem coram Deo conciliauit, itaq; eius liuore sanati sumus. Et vt nemo nescire possit quale fuerit peccatum mundi, propter quod tanta passus est, item quam perditum fuerit omne prorsus genus humanum, sic habet res. NOS OMNES tanquam ouis, pecudum stultissima, errauimus, & quiuis nostrum sua tam eximie quæsiuit & suo genio indulsit, vt nulla superfuerit viuendi spes: adeo corrupta erant omnia. Hic ergo quum nos non essemus soluendo, misericors Dominus imposuit ei VNIVERSAS iniquitates nostras. Harum ergo gratia angustiabitur Mesias & affligetur. Atque hic tantam exhibebit patientiam, vt oui conferri possit. Nam sicut illa ad lanienam protracta, aut ad resecandum vellus coram tonsore statuta, nihil obblaterat, aut recalcitrat: sic ille coram iudice mendacijs aspersus, & de summa impietate accusatus, non aperiet os suum. Proinde ex angustia & pœna illa eripiet eum Dominus, & dabit ei nomen quod est super omne nomen: maxime quod aliâs filius Dei sit. Quanquam enim nunc ordo generationis ad virginem referatur, diuina tamen generatione sempiternus est, eiusdem cum patre substantię. Nec obstat quod nūc quidē è viuis est extirpatus. Nam hoc illi (quod iam sæpe monuimus) propter plagam populi sui cōtigit. Iam vt modus quoq; huius afflictionis videatur, sic habet res. Constituit Dominus vt hic filius suus maxime infami mortis genere caderet, nempe vt inter latrones medius cruci suffixus, veluti latronum antesignatus excelleret, Deinde vero voluit vt à cruce demissus in specioso aliquo mausoleo, diuitum instar sepeliretur. Cæterum quod tantus tam misero mortis genere extinctus est, iterum nolim secus accipias, quam quod in ipso nulla iniuria, nullus vnquam dolus sit inuentus. Nunquam ille vel lingua fuerat lapsus: in nobis erat tanti mali causa. Ergo propter nos & ex ineffabili misericordia sua statuit Dominus ita conterere illum, nimirum vt nos eius morte viueremus. Præterea non modo tristia, sed & læta constituit: nempe vt post salutiferam pro peccatis mundi semel oblatam hostiam, resuscitetur, cœlos ascendat ad dexteram patris sedeat: hic autem in terris numerosissimam consequatur posteritatem, in qua per Euangelij prædicationem mira felicitate imperitet. Æquum enim est, vt is magno honore fruatur, qui ad ima deiect⁹ crudeliter est diuexatus. Proinde posthac scientia sua, hoc est sensu Euāgelij ac fide, ipse qui orbis est iustitia, omnes iustificabit quotquot iustificabuntur, eos inquam qui mihi seruire, hoc est vni Deo fidere perrexerint. Nam ipsas illorum iniquitates, quę iustitię repagulum obijciunt, ipse in sese suscipiet & diluet. Quod si qui veritati suæ obsistere & regnantem conentur regno depellere, ipse virtute sua hostium cuneos disijciet, & dæmonis, & impiorum spolia suis diuidet. Semel enim mortuus est, amplius non morietur, semel inter impios reputatus est, non semper impune blasphemabunt impij. In summa, Hic à Deo constitutus est, vt totius multitudinis peccata in se suscipiat & expiet: quod quum faceret, tam faciebat patienter & absolute, vt pro transgressoribus & hostibus suis oraret, Hoc ipso se nobis & sacerdotem statuens sempiternum & exemplar patientiæ semper imitandum. Hactenus autem Isaiæ verba paraphrasi quam breuissime fieri potuit retulimus. E quibus totam religionis summam decerpere possumus. Quid enim est in omnium Euangelistarum libris vel Apostolorum epistolis de Christo Domino conscriptum, cuius summa hic non recenseatur? Hic audimus Christum Iesum verum esse Deum & hominem, iustitiam, hostiam, & satisfactionem vnicā. Nos contra impios & quod vires nostras attinet damnatos. Audimus quid & propter quid per Christum omnia suscepta sint, quæ vera iustificatio, &c. Commodissime ergo potuit Philippus ex hoc loco Christum (Christum inquam, non Romanenses nugas) prædicare Æthiopi: cumq; tanta sit in verbis euidentia, & perspicuitas, facile item potuit diuina fauente gratia ab eo aliquid impetrare. Porro quid ab eo impetrarit iam exponit.

Pax. *Peccatum.* *Satisfactio.* *Patientia.* *Gloria.* *Deus.* *Crux.* *Sepultra.* *Hostia.* *Resurrectio.* *Regnum.* *Fides.* *Victoria.* *Sacerdos.*

Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam. Et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid vetat, quo minus baptizer? Dixit Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit sisti currum, ac descenderunt ambo in aquam, Philippus simul & Eunuchus: & baptizauit eum.

Ergo ex fide est peccatorum remissio, non per baptismum. Fides autem innititur in Iesum Christum quatenus Filius Dei est, Matth. 16. Quia enim filius Dei est, saluare potest: & quia Christus, id est, vnctus ac homo est, nostris infirmitatibus compati potest, habetq; quod pro redemptione nostri offerat. Animaduertendum & illud quod Æthiops non obijcit, Si saluum efficit fides in Christum, quid ergo opus baptismo? Non potest enim fidelis mens contemnere institutionem Domini. Spon-

De baptismo.

te ergo poscit baptismum, sentiens hoc initiari ac conglutinari fideles in vnum corpus, & constringi sub fidem vnius Christi ac vitæ sanctimoniam. Porro nihil hic disceptatur de materia, vncta an salsa sit aqua. Simpliciter enim è fonte baptizat, quem adhuc ostendi peregrinis iuxta Gazam testatur Hieronymus in epistola quadam ad Marcellam. Sic autem fieri ipsa poscebat necessitas. Quis enim aliâs tam vecors, qui nũc in quouis fonte aut flumine publico quemuis temere baptizet, quum iam certus sit in templo baptismati constitutus locus? Ipse Paulus præcipit vt omnia decenter & secundum ordinem fiant. Necessitati interim nemo præiudicat. Fides autem docet quatenus addicti simus circumstantijs. Interim vero aquam salsam vnctámue, aut characteribus consecratã nolumus, puram vero volumus, significatione & mysterio consecratam, & iam non puram tantum aquam, sed sacramentalem & mysterio sanctam, quam minister cum precibus & summa oblatis affundat reuerentia. Nullius enim reputamus momenti mulierum aut obstericum baptisma, propterea quod ex superstitione administretur, & non iusto ordine. Credunt enim aquæ beneficio pueris salutem obuenire. Et Paulus noluit mulieres admittere in ministerium Ecclesiæ. Quanquam planè fatear vxorem Mosis haud temere circumcidisse puerum, sed aliarum rerum aliæ caussæ sunt. Verum ita ineptire cogit nos pontificiorum ineptia, qui mirum quam hic se torqueant, & sanctum baptisma coinquinent stultis suis opinionibus & disceptationibus. Literæ sanctæ planæ sunt & de re exposita loquuntur simplicissime. Ne ergo seducamur fratres istorum non necessarijs traditionibus. Veritatis oratio simplex. Sed satis olim & contra Catabaptistas, & in alios sacræ scripturæ libros de baptismo disputatum est. Illud hoc loco adiecerim baptismo & in scripturis & patribus vetustis tribui peccatorum remissam, cæterum per allœosim sacramentariam, qua signo tribuimus quod reuera signati est: aut per Synekdocham, qua toti negotio aliquid tribuimus, quod tamen alteri partium tribui debebat, vel toti potius mysterio. Sic Marcus scripsit baptismum prædicatum esse in remissionem peccatorum. Et symbolum secundo conditum confitetur, Credo vnum baptisma in remissionem peccatorum. Recte enim docuit Athanasius, Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandum esse. Animus ergo noster in sacro baptismo cernit diuinam gratiam, per quam abluimur à peccatis, & inserimur in populum Dei. Sacramenta enim omnia res habent inuisibiles. Aquã vero signum visibile videmus oculis corporeis. Sed sacramentum non tantum alterá parte constat, sed vtraque. Non ergo pura aqua est, sed & regenerationis lauacrum.

Babtismus peccatorum remissio.

Cum autem ascendissent ex aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, nec amplius vidit eum eunuchus. Ibat enim per viam suam gaudens. Philippus autẽ repertus est Azoti, & pertransiens Euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

Aliò rapitur fidelis doctor veritatis Philippus. Non enim quicquam deerat Æthiopi, qui & Christum cognouerat, & donum Spiritus sancti acceperat: & proinde gaudebat. Verissime enim Ioannes, Non necesse habetis (ait) vt quisquam doceat vos, sed sicut ipsa vnctio docet vos de omnibus & verax est, &c. Notus est enim locus in 1. Ioan 12. capite. Porrò Cæsareæ habuit domicilium Philippus, vt in 21. audiemus, Cæsareæ ergo permansit. Hisce verò gesta Philippi finit, & ad Pauli vocationem describendam accelerat.

CAPVT IX.

SAulus autem adhuc spirans minas ac cædem aduersus discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas, quas perferret Damascum ad synagogas, vt si quos inuenisset eius viæ seu viros seu mulieres, vinctos duceret Hierosolymam.

Vocatio.

SOLET scriptura magnorum aliâs virorum vocationes ad munus vel Propheticum vel Apostolicum diligenter describere. Ita enim legimus Mosis, Samuelis, Isaiæ, Ieremiæ, Petri, Andreæ, & aliorum summa fide descriptam. Ad quem prorsus modum etiam hoc loco Pauli Apostolorum principis describitur vocatio, nimirum ne posthac de doctrina eius dubitaremus quicquam. Principio autem mira copia recenset vocationis occasionem, è qua refulget diuinæ misericordiæ splendor clarissimus. Nam dum ferus cędem animo volueret innoxiorum,

& ad hanc rem facilius peragendam epistulas peteret delegatorias (gwaltsbrieff) misericors Dominus, in medio cursu, efferum à tanto auertit flagitio, nec auertit modo, sed & in Apostolum nobilissimum deligit. Id quod ipse in 2. ad Timoth. 1. diuinæ ascribens misericordiæ gratias agit Deo. In hoc ergo verissime completum quod Dominus dixerat, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Falluntur enim qui conuersionem tribuunt viribus nostris & libero arbitrio. Deus etenim est qui operatur in nobis pro bona voluntate sua velle & perficere. Porro discipulos ex more appellauit Christianos. Viam vero posuit pro disciplina & religione, schemate Hebraico. Cæterum ad tyrannidis magnitudinem pertinet quod non contentus ea sæuitia qua in vrbe Hierosolymorum in sanctos fuerat debacchatus, quin & in exteras erumpit. Vnde in Galatis, Supra modum (ait) persequebar Ecclesiam Dei, &c. Notanda est & mira huius sermonis elegantia, Saulus ἔτι ἐμπνέων etiamnum spirans minas & cædem aduersus discipulos Domini. Sic enim miro quodam modo ferociam crudelissimi animi pinxit. Siquidem Græci μέγα πνέειν dicunt præferoci esse animo. Nam Homerus id ipsum Græcis in pugnam proruentibus tribuit. Iam & consequentia per contextum probe commissit cum superioribus, in quibus nonnulla cœperat de Pauli sæuitia.

Misericordia Dei.

Et cum iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco. Et subito circumfulgurauit eum lux de cœlo, collapsusque in terram, audiuit vocem, dicentem sibi: Saul Saul, quid me persequeris? Dixit autem: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulos calcitrare. Is tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.

Hic se prodit misericordia & fortitudo Domini. In gratiam enim recipitur hostis, interim vero maximo robore prosternitur, vt sentiat cum quo sibi hactenus bellum fuerit. Subito enim circumfulgurauit eum lux cœlitus ad terrorem incutiendum, & ad maiestatem Dei significandam immissa. Ad hanc non subsistit miser, qui tamen nihil non conabatur, sed labitur exanguis. Hic mihi vide quid contra Dei negotia possimus mortales. Additur vox & ea quidem horrenda ac vehemens: non enim sonat, Saul Saul cur meos persequeris, sed cur me persequeris? Viuit enim in suis Christus, qui & dixit, Quatenus fecistis vni de hisce minimis meis fratribus, mihi fecistis. Et clarius. Ego (inquit) sum Iesus, quem tu persequeris. O magna Dei mysteria. O magnam eorum miseriam, qui fideles fidei nomen persequuntur. Adijcitur elegans parœmia, Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Monet enim Erasmus in Chiliadibus Chil. 1. Cent, 3. Adag. 46. parœmiam significare frustra repugnari ijs quos vincere nequeas, aut cum periculo coniunctum esse, si eos prouocemus qui lacessiti nobis noceant. Metaphora ducta à bubus, quos agricolæ lignis præacutis à tergo fodiunt, quibus si recalcitrent, tantum abesse vt stimulo noceant, vt grauius etiam lædantur. Quod si quis consultis historijs sacris hunc locum diligentius exploret, comperiet neminem ex mortalibus feliciter repugnasse numini. Deus enim veluti petra firmissima & murus aheneus, confractis contusisq; aduersarijs omnibus in æternum stabit immobilis. Hic autem vide quid possit correctio Domini. Protinus enim clamitat Paulus, Quid vis vt faciam Domine? Præsto enim sum posthac obsequi mandatis tuis. Vtinam tam prompti omnes efficeremur ad correptionem Domini. Certe melius habituræ essent res nostræ. Percutit enim Dominus, vt sanet. Quod si non sanamur, id quidem ex nostra est malitia & pertinacia. Cæterum illa est maxima verbi Dei gloria, quod etiamsi arcana Dei institutione animus Pauli esset imbutus, nihilominus tamen ad Ananiam reijcitur. Is enim postea exposuit quid faceret. Pari modo audiemus & in 10. angelum Cornelio missum nihil priuatim erudire, sed Petrum indicare doctorem. Non autem pugnant hæc cum ijs quæ dixit in Galatis, Non ego ab hominibus accepi Euangelium neque didici, sed per reuelationē Iesu Christi. Magis enim præscribunt, ne externam verbi administrationem contemnamus. Diuus Aurelius Augustinus de Correctione Donatistarum ad Bonifacium capite 15. de hac Pauli conuersione scribens, Ipse Dominus (inquit) qui Petrum & alios solo verbo vocauit, Paulum tamen Ecclesiæ suæ vastatorem non solum voce compescuit, verumetiam potestate prostrauit. Si autem illa non erat pœna, quid postea opus vt sanaretur? Vbi ergo est quod isti clamare consueuerunt, Liberum est credere vel non credere. Cui vim Christus intulit, quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem, deinde docentem, prius ferientem, & postea consolantem. Hic quoq; sic coactus plus ceteris laborauit. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios vt redirent: cum perditi cogant bonos vt pereant? Hæc Augustinus. Quod si quis præterea acumen ingenij sui acuere velit & disquirere, quomodo Christus

Conuersio Pauli.

Augustinus de Correctione.

ſimul ad dexteram patris ſedere, & Paulo potuerit apparere, permittimus quidem. Cæterum nos Dexteram longe aliud eſſe ſcimus quam vt eiuſmodi næniæ nobis veniant in mentem. De qua re ſatis in cap. 1. Nã etiamſi caro Chriſti vel clarificata ſit finita, loco tamen non ita affixa eſt, vt nihil aliud quam ſedere cogatur in præſcripto loco. Nam & ſedendi verbum longe aliũ habet ſenſum. At quod hinc colligunt pontificij, Ergo corpus Chriſti eſt vbique ſtultius eſt quam quod reſponſionem mereatur.

Viri autem illi qui erant ei comites itineris, ſtabant attoniti, audientes quidem vocem, neminem tamen videntes.

Non poteſt non attonita ſtare caro & ſanguis ad vocem Dei. Nihil enim diuinum ſuſtinere poteſt hominis ſufficientia ſine gratiæ adiutorio. Vnde & ille populi timor natus eſt, cuius meminit Moſes Exod. 19. Laurentius Valla putat locum qui eſt in 22. cap. atque huic veluti repugnare videtur eſſe deprauatum tranſpoſitis duabus voculis, ijsque inter ſe apud Græcos non diſsimilibus φῶς & φωνή. A Luca ergo ſic ſcriptum fuiſſe, Videntes quidem lumen, neminem autem audientes. Cæterum conſtabit ſibi aliâs narratio, ſi Metaphoram verbis ineſſe intelligamus. Nam eadem vox audiri poteſt & non audiri. Audiri quidem cum ſonus aliquis ad nos defertur incerta tamen ſignificatione. Et non audiri, cum vox audita non intelligitur. Neque aliud præſenti expoſitioni repugnat, quod coram Agrippa differens, dixit: Simul omnes delapſi ſumus in terram. Non enim hic omnia, habitum inquam ac ſitum voluit deſcribere rerum. Et fieri potuit vt ad primum (quod Eraſmus aſſerit) pauorem collapſi mox erexerint ſeſe Paulo adhuc iacente. Simili prorſus modo corruerunt & illi quorum mentio facta eſt apud Ioannem in 19. ſed non pari felicitate ſurrexerunt. Nam correctione indurantur impij.

Surrexit autem Saulus è terra, apertisq; oculis neminẽ videbat: ſed manu ducentes illum, introduxerunt Damaſcum. Et erat tribus diebus non videns, ac non comedit, neque bibit.

Talio. Mira amplificatione ac hypotypoſi auget potentiam Dei, è diuerſo miſeriam & impotentiam humanam. Occæcatur enim qui ſibi videbatur ocularisſimus. Ducitur ab alijs, qui optimos quoſq; venerat ducturus. Sed nec ædit nec bibit qui hactenus fidelibus maximarum ærumnarum maxima cauſſa fuit. Qui vero allegorias in ſacris concinnant, Primus (inquiunt) gradus ad virtutem eſt erigi. Secundus occæcari & carnali renunciare ſapientiæ. Tertius autem non humano cibari alimento, ſed cœleſti doctrina ſignari. Nec deſunt qui cenſeant Paulum hoc triduo in tertium delatum cœlum, vidiſſe quæ in 2. ad Corinth. 12. iactat. Verum quam probe hi coniectarint Chriſtiano Lectori expendendum relinquo. Certe Dominus hoc triduo maximum hominem ad res maximas voluit parare agendas. Non etenim illotis manibus contrectandæ ſunt res ſacratiſsimæ. Sanctiſsimis ergo rebus exercitari appararíq; oportuit ſanctis dicatum hominem.

Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias, & dixit ad illum per viſum Dominus: Anania. Et ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum, Surge, & vade in vicum qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem: Ecce enim orat. Et vidit per viſum virum Ananiam nominẽ introeuntem, & imponentem ſibi manum vt viſum reciperet.

Hactenus deſcripſit vocationis occaſionem & graue Domini manum, imbecillitatem cõtra tyrannorum: nunc vero deſcribit ipſam vocationem & reſtitutionem admirandam, quæ vtique illi non contigit per primarium Apoſtolum, ſed per virum aliâs ſanctum ac integrum, certe ne quid carni *Ananias.* aut ſanguini aſcriberetur. Hinc eſt quod tanta diligentia & Ananiæ perſona deſcribitur, & quo minus dubij ſuperſit locus quoq; notatur. Annotauit autem Eraſmus, vicum hoc loco non eſſe pagum aut oppiduum, ſed vrbis partem. Ciuitatem enim diſtingui in vicos, hos vero in vias, & haſce in domus. Cæterum id animaduertendum, quod mutua viſione vtrumque parauit alteri. Habuit enim viſionem Ananias qua docetur adire Paulum: At ipſe Paulus viſionem habet qua inſtruitur recipere Ananiã. Pulchre enim ſibi conſtant & ſe mutuo iuuant quę Domini inſtinctu fiunt. Porrò in medijs tribulationum procellis orat Paulus, exemplum præbens quid in tentationibus facere conueniat. Et de viſionum ratione non eſt quod multa diſputem. Frequentiſsimæ fuerunt olim apud Prophetas, quibus Dominus ſpectro aliquo obiecto aut imaginatione ceu hypotypoſi quadam declarabat quid futurum eſſet. Verum nonnihil de hoc dicemus in cap. 10.

Reſpon-

Respondit autem Ananias: Domine audiui ex multis de viro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolemæ. Et hoc loco habet potestatē à principibus sacerdotum, vinciendi omnes qui inuocant nomen tuum.

Sæpe inuenias in Prophetis Prophetas ipsos Propheticam detrectasse functionem, vel quod plurimum inuidiæ & periculi habere videretur ea functio, vel quod minus apti ad eam administrandam sibi ipsis viderentur. Periculum caussatur hoc loco Ananias: sed repellitur à Domino, qui præcipit vt excluso omni timore & firma in eum fiducia animi collocata, id faciat quodcunq; ille iusserit. Sc enim institutum hoc, quod ipsius cœptum auspicijs, fortunaturum. Sic enim sequitur:

Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniā organum electum est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus ac filijs Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Hæc proprie pertinent ad commendationem nominis Pauli, maxime tamen doctrinæ eius. Tria autem dicit. 1. Organum electum est mihi Paulus, siue vt more Hebraico loquamur, Vas electionis est mihi Paulus. Innuit autem forma loquendi hominem electissimum & omnibus numeris absolutissimum, Ein vserwelter mensch/ quo non alius sit vel charior vel nobilior. 2. Nomen meum, id est, gloriam, veritatem, iustitiam, bonitatem, misericordiam, breuiter ipsum Euangelij mei negotium, omnibus prædicabit gentibus, imò ne Iudæorum quidem insidijs aut regum cedet superbiæ. Audiemus enim augusta quædam quæ in Iudæa & coram regibus & principibus egerit diuinus hic Apostolus. Allusum autem videtur hisce verbis ad sententiam Ieremiæ quæ recensetur in 1. cap. 3. Hactenus quidem vastauit Ecclesiam & tyrannidem exercuit in miseros, at nunc vicem rependet. Multo enim seueriora perfert volens quam modo parabat vobis. De hoc ipse plura de sese testatus est in 2. ad Corinth. 11. Multa autem salubria dogmata ex hoc loco decerpi possunt, nempe de constantia, de dicendi libertate contra ignauum pauorem, de absoluta veritate nominis Dei prædicanda, & de cruce sponte perferenda, item de certa veritatis victoria. Homines nitimur regibus, moribus vetustis, hominum regnorumque multitudini: sed fortior hisce omnibus est veritas, qua innixus Moses, Samuel, Helias, Michæas & Christus, Pharaonem, Saulem, Achab & omnium impiorum manum deuicit. *Laus Pauli.*

Et abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saul frater, Dominus misit me, qui apparuit tibi in via qua veniebas, vt visum recipias, & implearis Spiritu sancto.

Expositio est historica nunc enim describit quomodo prouinciam impositam subierit, ac feliciter miraq; religione præceptum Domini impleuerit. Resipiunt autem ipsa Ananiæ verba phrasim Propheticam. Prophetæ enim subinde ingerebant, Dominus misit me, Hæc dicit Dominus. His iungit exteriorem ceremoniam, impositionem videlicet manuum. De qua supra.

Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est. Cumq; cepisset cibum, corroboratus est.

Iam sine difficultate sanat Dominus quos percusserat. Sanati autem subijciunt se voluntati eius, quemadmodum hic videmus Apostolum Paulum sese totum dedicare Domino, suscepto sacro baptismi symbolo. Porro de squamis multi multas adferunt allegorias. Atqui video simplicius esse, si dicamus decidisse squamas propterea, ne cæcitas videretur fuisse baptisma. Si vero quippiam significant, iam crassitiem Iudaicam & sapientiæ mundanæ, denique & erroris sordes significant, quæ per Spiritum Dei sanctum expurgantur. Quod autem cibum sumpsit & corroboratus est, docuit necessariam & moderatam curam corpori esse impendendam. Nam in 2. ad Coloss. capite clarius tradit istos non esse imitandos qui sese religionis specie emacerant, à cibis abstinent, & nescio quam angelicam vitam simulant. *Squamæ.*

Fuit autem Saulus cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot, Et continuo in synagogis prædicabat Christū, quod is esset filius Dei. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ac dicebant: Nónne hic est qui expugnabat Hierosolymis eos qui inuocabant nomen istud? Et huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes sacerdotum? Saulus autem multo

magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci, affirmans quod is esset Christus.

Christus Deus. Euangelij fundamentum est, quod Iesus Christus sit filius Dei. Hoc subuerso, euacuatum est totum Euangelium. Ab hoc ergo non temere auspicatur Paulus. Si enim Christus Deus non esset, iam salus & obiectum fidei nostræ esse non posset. Proinde qui Christi diuinitatem negant, totum Euangelium subuertunt. Hoc primum erat quod de Christo prædicabat. Secundum illud erat, quod scripturis domonstrabat Iesum esse Christum, id est, verum in lege & Prophetis promissum Mesiam, qui venturus erat rex, iustitia, salus, sacerdos, & hostia credentibus. Atque hæc quidem omnia non frigide tractabat, sed ardentissime, adeo vt Iudæi præ inuidia rumpi potuissent. Verbum enim Confundebat non significat hic pudefaciebat, sed commouebat ac perturbabat, Macht sy gar verirrt/vnd daß sy nit wußtend woran sy warend. Alij qui paulò erant æquiores mirabantur de subita mutatione. Et sanè mirandum erat, quod tantus vir tam cordate prædicaret quod tam atrociter hactenus impugnauerat. Neminem ergo posthac pudeat susceptæ veritatis & abnegatæ superstitionis. Iam si sint qui obijciant, inconstantis esse vt quis olim damnata, nunc quidem amplectatur. Didicimus nos hoc præsenti exemplo Pauli, non indecorum esse, si quis intellecto errore ad veritatem declinet, & hanc non minori defendat ardore quam prius superstitionem propugnauit.

Expletis autem diebus compluribus, inierunt inter se Iudæi consilium, vt illum occiderent. Sed intellectæ sunt Saulo insidię eorum. Asseruabantque portas die ac nocte, vt eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt, submittentes in sporta.

Fuga. Non enim habent impij arma alia quibus errores & superstitionem suam propugnent quam minas, carceres, flagra, horrenda & varia mortis genera. Atqui hic non fuerit turpe duci verbi, si se subducat & sese melioribus seruet. Nam Dominus, Si (ait) vos in vna ciuitate persequuti fuerint, fugite in aliam. Nemo itaq; vitio vertit Paulo, quod sporta è Damasci mœnibus demissus abierit in Arabiam. Fugiunt enim & strenui nonnunquam duces, vt iterum pugnare valeant. Inuenias & apud Gentes maximi nominis viros sæpius commutasse sedes, donec & personæ absentia & temporis diuturnitas hostilem animum leniisset, & obliuionem inuidiæ obduxisset.

Cum autem Saulus venisset Hierosolymam, tentabat se iungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum, duxit ad Apostolos, ac narrauit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quod loquutus esset ei, & quomodo in Damasco fortiter egisset in nomine Iesu.

Lucas hoc loco seriem historiæ continua narratione non texuit, sed ea tantum retulit quæ Christi Euangelio digna sunt visa: Præterita igitur Pauli in Arabiam profectione, cuius in Galatis meminit, protinus subiungit quomodo post reditum ex Arabia Hierosolymam venerit: quod ipsum tamen toto triennio post factum esse ipse testatur in epistola ad Galatas cap. 2. Quod autem fideles ægre se committunt Paulo, monet ne quibusuis facile credamus quiduis simulantibus. *Credulitas.* Quod autem Barnabas susceptum adducit ad Apostolos, discimus modum quoque in rebus seruare omnibus, & ne ad credendum nimium simus tardi ac præduri. Quis enim non reciperet vere pœnitentem? Barnabas ergo ex actis virum commendat. Proinde si acta virum nobis commendarint, merito veterum obliuiscimur iniuriarum, si modo tales sint quæ veniam mereantur. Hic autem idem ille Barnabas est cuius mentio habetur in capite quarto, de quo multa ac varia per historiam tradentur. *Barnabas.* Vir omnino prudens, sanctus, fortis, eruditus & verè pius fuit. Ioannes Chrysostomus existimat hoc citius Pauli familiaritate vsum fuisse Barnabam, quod ipsi olim fuisset amicus. Vtcunque vero res habeat, hoc tamen constat Barnabam virum fuisse incomparabilem, doctum, & varia rerum experientia sapientissimum.

Et erat cum illis versans Hierosolymis, cum fiducia loquens in nomine Domini Iesu. Loquebaturque & disputabat aduersus Græcos: Illi vero quærebant occidere eum. Quod cum cognouissent fratres deduxerunt eum Cæsaream, & emiserunt Tarsum.

Ipſa re,& publica Chriſti confeſſione comprobabat ſe Chriſti eſſe diſcipulum. Proinde conuenit vt priuſquam credamus ei,qui aliquando turpiter & crudeliter vixit,prius ſanctimoniæ & iuſtæ reſipiſcentiæ certa argumēta habeamus. Quæcunq; autē egit Paulus,ſumma egit fiducia,hoc eſt,maxima certitudine,cōſtantia & libertate:in primis autem conuicit factionem Hellniſtarū,quæ vt Stephanum falſis perdidit teſtibus,ita Paulo quoq; parabat inſidias. Verum prudens fratrum ſimplicitas nolens maximum virum ſuccumbere impiorum inuidiæ,deductum aliquouſq; emiſerunt in patriam Ciliciæ Tarſum,vt & hanc veritatis prędicatione nobilitaret.Pietas enim in patriam maxima virtus vel apud Gentes celebratiſſima hoc ſuadebat. Sed & ipſa prudentia ſuadet,vt nonnunquam furorem imperitæ plebis declinemus. Iam aliquouſq; ſuſpenditur narratio de geſtis Pauli,& quædā inſeruntur de Petro acta nobiliſſima,prius tamen in genere deſcripto communi ſtatu Eccleſiæ.

Igitur Eccleſiæ quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebant pacem,& ædificabantur verſantes in timore Domini,& conſolatione Sancti ſpiritus multiplicabantur.

Verè enim dicitur, Quod caret alterna requie,durabile non eſt.Pacem igitur concedit Eccleſię ſuæ nonnunquam Dominus, non vt ſecura & iners ſtertat,ſed vt à malis aliquouſque reſpiret,& ſe ad ventura pericula paret. Porrò ipſa pax non paratur veri abnegatione, inconſtantia, hypocriſi,& falſa puſillanimitate: ſed timore Dei,amore veri,conſtantia iuſti,& odio mali. Locus autem aduerſus eos primum pugnat, qui Eccleſiam cruce explorant, & proinde omnes illas Eccleſias damnant, quę non publicam perſequutionem ſuſtinent.Quos & Auguſtinus alibi confutauit.Deinde pugnat aduerſus eos qui pacem vel proditione veri,vel diſſimulatione mali inducere volunt. Tales enim omnium miſeriarum authores ſunt. *De pace externa.*

Factum eſt autem, vt Petrus dū peragraret per omnes, deueniret etiam ad ſanctos qui habitabant Lyddæ reperit autem ibi hominem quendam,nomine Æneam,annis iam octo decumbentem in grabbato,qui erat paralyticus.Et ait illi Petrus:Ænea,ſanet te Dominus Ieſus Chriſtus. Surge & ſterne tibi ipſi.Et continuo ſurrexit, & viderunt eum omnes qui habitabāt Lyddæ & Aſſarone,qui conuerſi ſunt ad Dominum.

Miracula quædam virtute Domini,Petri opera in varijs vrbibus patrata,mira deſcribit euidentia.De ſignis ſatis diſputatum in ſuperioribus.Cataſtrophe ſigni ſubijcitur: Et viderunt hoc habitatores Lyddæ & Aſſarone, & conuerſi ſunt ad Dominum:non autem ad Petrum. Fallacia ergo ſunt omnia ea ſigna,quibus diſcimus non Domino ſoli,ſed creaturis quoq; fidere.

Ioppe autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis quas præſtabat.Factum eſt autem in diebus illis,vt infirmata moreretur.Quam cum lauiſſent,poſuerunt in cœnaculo. Cum autem vicina eſſet Lydda Ioppe,ac diſcipuli audiſſent quòd Petrus eſſet in ea , miſerunt ad eum, rogantes, ne grauaretur venire vſq; ad ſe. Exurgens autem Petrus venit cum illis.Et cū aduenisset duxerunt illum in cœnaculum, & circumſteterunt illum omnes viduę flentes,& oſtendentes tunicas veſteſq; quas faciebat,quum eſſet cum ipſis Dorcas.

Eiuſdem generis cum ſuperiori eſt & præſens miraculum, niſi quod in Dorcade laudantur opera miſericordiæ,vt eius exemplo etiam nos ad ea præſtanda incitemur. Hæc enim verè bona opera eſſe teſtatur ipſe Dominus Matth.25. Quidam falſo & fruſtra operam & impenſas maximas impendunt lapideis templis & ſtatuis, at viuum Dei ſimulachrum hominem negligunt,vel quia miſerum propter auaritiam non iuuant,vel quia inopem oppriműt iniuria.Sed miſericordiā vult Dominus, non ſacrificium. De nominis autem ratione diſputans Capnion , vir in omni diſciplinarum genere peritiſſimus,exiſtimauit in libro de Verbo mirifico,nō Tabitham,ſed Thabiam hoc loco legendum eſſe, quod ea vox Aſſyrijs Dorcadem ſignificet , quod animal Latini Capream vocamus admodum acri oculorum acie præditum.De quo apud Pliniū. Fortaſſis id nominis propter viſus aciem acutiſſimam animali tributū eſt.Δορκὰς enim Græcis deriuatur à δέρκομαι,hoc eſt,video.Iam & Hebræis בּטּ significat vidit.Vnde iam abiectis adiectisq; aliquot more Hebræo literis deriuatum videtur הַבִּטָה. *Verè bona opera.*

Quod si Etymon mysterium habet, iam significatum est illam fuisse visus acerrimi, quæ procul à cœlestibus sedibus hisce in terris agens, nihilominus æterna peruiderit, vtpote quæ ille fidelibus ambierit operibus.

Eiectis autem omnibus foras, Petrus positis genibus orauit, & conuersus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa apperuit oculos suos, visoque Petro, resedit. Data autem illi manu, erexit eam, & quum vocasset sanctos ac viduas, exhibuit eam viuam. Id autem innotuit per totam Ioppen, & crediderunt multi in Dominum.

Idq; ad magistri exemplum, de quo simile quippiam legis apud Matthæum in 9. Duo autem hic obseruanda sunt, prius est quod orat, posterius quod Ioppenses Domino credunt.

Factum est autem, vt dies multos maneret Ioppe apud Simonem quendam coriarium.

Βύρσα corium est, βυρσεὺς coriarius, siue is sit qui corium apparat, ein gerwer/ siue is qui corium in vsus consuit hominum. Mirandum autem est, quod tantus Apostolus in tam humili (vt videtur) agit hospicio, cum nunc huius vicarium, si dijs placet, vix trium regum palatia sufficiant excipiendo. Cæterùm Ioppe mansit propterea quod maximæ frugis maxima spes esset. Duremus ergo, & nosmet rebus seruemus secundis.

CAPVT X.

VVir autem quidam erat Cæsareæ, nomine Cornelius, centurio ex cohorte quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum tota domo sua, præstans eleemosynas multas plebi, deprecansque Deum semper.

Gentium vocatio.



CELEBRIS est in omnibus scripturis maximè propheticis Gentium vocatio: proinde oportuit eam quoque celebri initio auspicari. Hactenus enim nihil peculiariter de ea actum est, neque hactenus palàm Gentibus prædicatum est Euangelium. Samaritæ enim quibus prædicauit Philippus non veniunt in numerum Gentium, & Æthiops erat Proselytus. Paulo modo dictum quod esset prædicaturus Gentibus, quod Arabibus prædicarit non scribitur. Et fortasse hac caussa obticuit, vt hic tandem maiore cum authoritate & pondere dissereret de legitima Gentium vocatione. Et posthac paucula admodum audiemus de Iudaica Ecclesia. Nam omnis gloria veteris Synagogæ & populi Dei defertur iam ad Gentes. Illa ergo neglecta iacet. Hæc porrò speciosissimè floret. Nam illa veritatem (quod hactenus audiuimus) neglexit, illam proscripsit & edictis propositis opprimere voluit, ministros Dei sanctos & fideles indignissimè tractauit, conuitijs proscidit, flagellauit & occidit, multos quoque viros bonos exturbauit in exilium ipsa morte calamitosiorem sortem. Dignissimè ergo & merito reiecta est ne haberet in regno Dei consortium, ipsumque hoc Dei regnum datum est genti facienti fructum eius. Caueamus, ô fratres, caueamus ne & nos simili exemplo propter impietatem & ingratitudinem nostram excidamus è felicissimo veritatis statu. Itaque descripturus Ecclesiæ Gentium felicissimum statum, à nobili exemplo Cornelij auspicatur, atque vocationem Gentium (quæ apud multos adhuc in dubio stabat) venusta reuelatione demonstrat. quæ omnia si conferantur scripturis propheticis & ijs quæ de vocatione Gentium ad Romanos scripsit Apostolus, mira sese offeret consonantia, virtus Dei, & operum Dei ratio sapiens ac iustissima. Principiò autem præmittit more historico Prosopopœiam. Describit enim Cornelium à maioribus, officio, pietate, qualis is fuerit per quem aut in quo primitus voluerit Dominus initiari ac solenni celebriq; ritu reuelare Gentium vocationem. Cornelius ergo ex maioribus fuit Ethnicus, professione seu officio Centurio, sed religione pius εὐσεβὴς ac timens Deum, & talis omnino qualem referunt Euangelistæ Christo occurrisse, & de cuius fide ipse Dominus dixerit se parem in toto Israele non reperisse. Ex quibus colligimus Deum verum non modo Iudæorum, sed & Gentium esse Deum, vtpote qui velit omnes saluare & ad agnitionem veritatis venire. Colligimus præterea aliquid esse genus militiæ quod non sit omnino impium, vtpote in quo militarint summa fide viri religiosi ac timentes Deum. Quales forsan & Dauid rex plurimos habuit, & Baptista instituere voluit, cum dixit: Ne cui vim inferatis, neque quaslibet ob leues caussas quenquam opprimatis, sed contenti estote stipendijs vestris. Talis nimirum fuit & Legio apud veteres dicta fulminea,

Cornelius.

De militia.

cuius

cuius meminit post Tertullianum in Apologetico Clemens apud Eusebium. Sed & ipse Augustinus libro aduersus Faustum Manichæum vicesimosecundo capite 74. ostendit quodpiam esse Christianis quoque licitum genos militiæ. Et D. Hieronymus in Epistola ad Saluinam de Viduitate seruanda, huius Cornelij mentionem faciens, dicit: Nihil nocuit militanti paludamentum & baltheus, & apparitorum cateruæ, quia sub habitu alterius alteri militabat. Sicut è contrario alijs nihil prodest vile palliolum, furua tunica, corporis illuuies, & simulata paupertas, si nominis dignitatem operibus destruant. Legimus & in Euangelio de alio Centurione Domini testimonium, Nec in Israel tantam fidem inueni. Quibus tamen omnibus nos nullam ansam illis suppeditatam volumus, qui quouis Care viliores, principum sectantur stipendia, nullo belli neq; iure, neq; iniuria cōmoti, sed tantū turpi cupiditate illecti. Ad hos enim pertinet maledictio Domini, Deut. 27. Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis, & dicet omnis populus, Amen. Neque verò militia Romana nostræ par erat. Intelligimus enim cohortem Italicam, hoc est, militum Italicorum globum longo tempore Cæsareæ fuisse. Nam & domus totius, id est, vniuersæ familię, cognatorum quoque & amicorum necessariorum Cornelij meminit paulò post in historia Lucas. Iam est rectius quàm vt referamus de Romanorum legionibus, quas in limitibus imperij contra hostium Parthorum maximè incursiones, & vt in fide retinerentur prouinciæ, aluerunt, distributis oppidatim cohortibus & turmis. Sed & illud vel ex Vegetio notissimum est, plures in eadem legione fuisse cohortes numero impares. De qua re in lib. 2. cap. 6. & in eodem lib. cap. 8. Erant etiam (ait) Centuriones, qui singulas centurias curabant, qui nunc Centenarij appellantur. Iam verò si quis miretur quomodo potuerit esse pius, religiosus, ac timens Deum, qui adeo non erat in fide institutus, vt Petrum cogeretur accersere doctorem, reuocet in memoriam verba Pauli, quæ de Gentibus in 1. ad Rom. cap. & 2. scribit. Inde enim intelliget Deum sensum aliquem sui indidisse Gentibus, qui postea per Euangelij prędicationem clarior & euidentior fit. Nam nisi credidisset esse Deum, proculdubio Deum nequaquam precibus inuocare potuisset. Proinde quas conferebat eleemosynas, per fidem conferebat, quæ fides prædicatione postea auctibus ad iustam excreuit mensuram. Præterea fieri potuit, vt quotidiano conuictu Iudaico nonnullum religionis sensum non secus perceperit, atq; multos Gentiliū in captiuitate Babylonica familiaritate Iudæorum percepisse videmus. Breuiter, nulla religio vera, & nullius timor Dei potest esse sine fide. Quin & ipsissima Dei opera oratio & eleemosyna aderant, aderat ergo & fides, etsi imperfectior adhuc. Habet enim fides augmenta sua: sed & illud fidei insigne documētum est, quod totam familiam in vera religione instituebat. Porrò ne quem illud lateat, Cæsarea hæc illa erat, quam veteres vocarant Turrim Stratonis. Præterea apud Romanos Cornelij nomen erat celeberrimum, vt nihil mirum sit virum hunc hoc nomine fuisse nuncupatum: sed hoc forsan minutius est, quàm quod annotari conueniat.

Pietas Cornelij.

Is vidit per visum manifestè fermè hora diei nona angelum Dei introeuntem ad se, dicentemq; sibi: Corneli. At ille intuens eum, ac timore correptus, dixit: Quid est Domine?

Quemadmodum mutua visione Paulum Ananiæ, & Ananiam Paulo præparauit Dominus, ita hoc loco Cornelium Petro, & Petrum præparat Cornelio. Attemperat autem se Deus nonnihil affectibus nostris, dum quemuis nostrum ijs vocat medijs, quibus facillimè permouemur. Magos quidem nouo vocabat sydere, Iudæos scripturarum authoritate, Gentes signorum miraculis, Corneliū verò noua angeli specie. Existimabant enim Gentes dijs cum hominibus plurimum esse commercij. Ergo pro reuerentia, Quid vis (ait ad angelum) domine? Sic enim vocat eum quem videbat augustius quippiam esse quàm hominem. Audierat forsan à Iudæorum in religione magistris, Deum angelorum ministerio in ijs rebus vti, quibus agit cum hominibus.

Vocatio Dei.

Dixit autem illi: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoria coram Deo. Et nunc mitte viros Ioppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus. Hic diuersatur apud Simonem quendam coriarium, cui est domus iuxta mare: Hic dicet tibi quid te oporteat facere.

Hoc dicit angelus: Flexus est precibus & munificentia tua in pauperes Dominus, vt tibi magnum aliquod donum impartiri pararit: nunc ergo quibus medijs id assequaris accipe. Est vir quidam Simon cognomine Petrus, nunc quidem Ioppe apud Simonem coriarium degens, eum accerse, is exponet tibi in quo consistat vera felicitas, & quomodo verè beatus esse possis. Igitur quæ Cornelio ad beatè viuendum sufficiebant, ea vtique & nobis sufficient, etiamsi in vniuersum nesciamus aut negligamus pontificias & humanas traditiones. Abutuntur autē pontificij hoc loco, dū ex eo vel

Aduersus iustitiam operum. iustitiam operum, vel meritum probare volunt. Non enim vident omnia opera Cornelij ex fide facta esse, quæ sanè fides gratuitum Dei donum est. Quin & ipse Beda in hunc locum, Non virtutibus (inquit) ad fidem, sed fide pertingitur ad virtutes, vt beatus Papa Gregorius exponit. Cornelius enim (ait) cuius eleemosynæ ante baptismum, angelo teste, laudatæ sunt, non operibus ad fidem, sed fide venit ad opera, &c. Hæc Beda. Præterea Mileuentana Synodus in hæc verba super hac re censuit, Manifestissimè credendum est, quod Cornelij Centurionis, ad quem angelus Domini missus est, illa tam admirabilis fides non fuerit de natura, sed diuinæ gratiæ largitate donata. Verùm de hac re pluribus disputatum est in superioribus, & in Epistola ad Romanos. Illud verò iterum hoc loco obseruandum, quod etiamsi Dominus citra externæ prædicationis ministerium potuisset instituisse Cornelium, nihilominus tamen id non fecit, sed ad Petrum Euangelij præconem fidelissimum ablegauit. Nemo ergo nostrum dixerit, Reuelationem habeo, ministerio verbi non est opus, &c.

Et quum discessisset angelus qui loquebatur illi, vocauit duos famulos suos, & militem religiosum ex his qui sibi adhærebãt. Quibus quum narrasset omnia, misit illos Ioppen.

Obedientia Cornelij. Legatio. Præpropere accingitur, vt diligentissimè illud expediat quod angelus iniunxerat. Merito enim damnantur qui frigido & ignauo pectore stupent, ac tardius ad verbum Domini quærendum se mouent. Singularis autem prudentiæ ac pietatis est, quod non quosuis mittit nuncios, sed delectissimos ac spectatæ fidei homines. Nam non parum retulerit quid cui delegemus officij, aut quos mittamus in re quauis nuncios.

Postridie verò facientibus illis iter, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora domus vt oraret, circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare cibos. Parantibus autem illis, irruit super eum mentis excessus.

Iam verò accingitur historicus, vt & aliam exponat visionem, qua petrum Cornelio præparauit Dominus, & ostendit quod etiam Gentes in albo populi Dei sint inscripti, quocirca nihil cunctetur illis Euangelij prædicationem annuntiare. Cæterum ex hoc loco iterum cognoscimus quod temperantia & oratio ad Deum perpetuum sit Christiani hominis exercitium. *Horæ orationis.* Quod autem ad sextam precabatur, ex more gentis fiebat. Nam constat, tertiam, sextam, & nonam peculiariter orationi apud Iudæos dicatas fuisse. Christus verò tempus & locum in oratione libera esse voluit, & tamen ordinem in rebus quibusuis cõmodum, & à superstitione alienum, nunquam damnauit. Quod Petrus in superiora domus conscendebat, propterea fiebat, ne quis orantem interturbaret. Quin & ipsa templa apud nos non tantùm ob cœtum instituta sunt, sed propter eos etiam, quibus domi ob strepitum familiarem non licet orare quietius. Porrò quod ieiunus & in ipsa rapitur oratione, significatur quod orantibus & temperantibus reuelantur mysteria Dei. Saturis enim & oscitantibus stupet mens. Crapulam enim & somnum malunt quàm spiritus diuini gratiam.

Et videt cœlum apertum, ac descendens ad se vas quoddam velut linteũ magnum, quatuor initijs alligatum, submitti è cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæq; & reptilia, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, macta & vescere. Ait autem Petrus: Nequaquam Domine, quia nunquam edi quicquam commune & immundum. Et vox rursus iterum ad eum: Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris. Hoc autem factum est tertio. Et rursum receptum est vas in cœlum.

De visionibus. Diuus Aurelius Augustinus contra Adimantum cap. 28. Multa (inquit) in scripturis inueniuntur visionis genera. Vnum secundum oculos corporis: sicut vidit Abraham tres viros sub ilice Mambre, & Moses ignem in rubo. Alterũ secundum quod imaginantur ea quæ per corpus sentimus. Nam & pars ipsa nostri cum diuinitus assumitur multa reuelantur, non per oculos corporis aut aures aliúmue sensum carnalem, sed tamen his similia: sicut vidit Petrus discum illum submitti è cœlo cum varijs animalibus. D. porrò Hieronymus hanc exponens allegoriam in Epistola ad Rusticum scribit, Iam tectum atque solarium cum Petro Apostolo conscendisti, qui esuriens in Iudæis Cornelij saturatur fide, & famem incredulitatis eorum Gentium conuersione restinguit, atque in vase Euangeliorum quadrangulo, quod de cœlo descendit ad terram, docetur & discit omnes homines posse saluari. Rursumque quod viderat in specie candidissimi linteaminis in superna transfertur, & credentium

dentium turbam de terris ad cœlum rapit, vt pollicitatio Domini compleatur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc Hieronymus. Itaq; visio illa allegoriam habet, quæ ipsa rei gestæ historiæ clarissimè postea exponitur. Cœlum enim apertum significat aditum paratum esse ad cœlestia, nec quibusuis, sed ijs qui intra linteamen sint constituti. Linteamen mundum, Ecclesiam significat Christi sanguine mundatam, quæ cœlitus nascitur, & in cœlum tandem rapitur, quæ & finibus terræ terminatur. Nam quatuor initia significant quatuor plagas mundi. Ergo in hoc sunt omnia animantium genera etiam vetita (Leuit. 11.) & immunda. Nam Ecclesia colligenda erat non ex Iudæis tantùm, sed & ex prophanis quoq; Gentibus. Id cū eo tempore à plerisq;, imò & ab Apostolo Petro nesciretur, oraculo cœlitus delato clarissimè docetur. Audit enim Petrus, Quæ Deus purificauit, ea nemo prophana dixerit. Hæc de visionis huius mysterio. Eadem potest etiam ad ciborū libertatem referri, quo & D. Augustinus, cuius diligentiā in sacris interpretandis etiam Hieronymus cōmendat, Hom. 45. retulit, palàm testatus Christianis liberum esse, vt quibus velint vescantur, dummodo ad satietatem nō ad luxum. Beda contrà miratur quomodo hæc quidē de escis sine delectu vescendis exponant, cum serpentes & alia hic numerentur reptilia quæ vesci non possint. Quasi verò nesciamus plures apud Cosmographos inueniri Ophiophagos, serpentiedos, inquam, id est, eiusmodi homines qui victitent serpentibus: item qui crocodylo immani belua vescantur, rursus qui ostreis passim testudinibus & locustis vtantur in cibo. Quin nemini dubiū est simul & literæ sensum & allegoriæ mysterium in eodem loco scripturæ citra errorem recipi posse. Nam petra percussa & æneus serpens Christum (teste scriptura) significabant: sed nihilominus verum erat & verè cōtigerat quod historia narrabat. Itaq; saluo vocationis Gentium mysterio, hinc etiam colligi potest, quibuslibet indifferenter vescendum esse, maximè cum hoc ipsum cum alijs scripturæ locis prorsus non pugnet: sed & illa generalis sit sententia, Quæ Deus purificauit, ea nemo immunda dixerit. Huc enim si addas Paulinam sententiam, Omnia pura puris, iam habebis quod volebas, liberum esse fidelibus cibum quemlibet, modò cum gratiarum actione vescantur, 1. Timoth. 4. *Delectus ciborum.*

Et dum apud sese hæsitaret Petrus, quæ nam esset visio quam vidisset, ecce viri qui missi erant à Cornelio, percontati de domo Simonis, adstiterunt ad ianuam. Et euocato quepiam, interrogabant, an Simon qui cognominaretur Petrus, illic haberet hospitium. Petro verò cogitante de visione, dixit spiritus ei: Ecce viri quærunt te. Surge itaq; & descende, & vade cum eis, nihil hæsitans, propterea quòd ego misi illos.

Hæsitant enim & sancti nonnunquam, sed protinus instituuntur à Domino, quemadmodum videmus hoc loco vsu venire Petro. Exponit enim visionem spiritus, & ait, Descende ad viros qui te quærunt, & vade cum illis, nihil hæsitans impartiri Gentibus gratiam Euangelij. Ex me enim institutum est quod suscipis. Existimat autem Beda spiritum dicere, quando occulta vi gratiæ, quæ agenda sunt cernimus.

Descendens autem Petrus ad viros, qui missi erant à Cornelio ad ipsum, dixit: Ecce ego sum ille quem quæritis: Quæ causa est propter quam venistis? Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iustus, ac timens Deum, & testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum, oraculo admonitus est ab angelo sancto, vt accerseret te in domum suam, & audiret verba abs te. Intrò vocatos igitur eos, recepit hospitio.

Nihil hic aliud dicitur, quàm quod supra audiuimus expositum, nisi quod hic in seriæ narrationis siue historiæ pingitur mira Petri familiaritas ac hospitalitas, omnibus viris Apostolicis & Ecclesiæ proceribus in exemplum, vt & ipsi humani, comes, benigni, & hospitales sint: non arrogantes, superciliosi, præfracti & plus nimio tenaces. Porrò verba posuerunt more Hebraico pro toto commisso negotio. *Familiaritas.*

Sequenti verò die Petrus profectus est cum illis, & quidam ex fratribus ab Ioppensibus comitati sunt eum. Postridie verò introierunt Cæsaream.

Hæc faciunt ad explendam historiæ seriem. Interim verò monent, ne quid nos pigeat laboris propter Dominum & Ecclesiæ suæ vtilitatem suscepti: præterea Ioppenses singulari quadam Dei prouidentia in comitatu sunt, vt testes eorum essent quæ gererentur.

Porrò Cornelius expectabat illos, conuocatis cognatis suis, ac necessarijs amicis.

Duas huius conuocationis caussas assignant. Prior, vt ipsum nobile factum plures haberet testes. Posterior, vt beneficium ad plures diffunderetur. Solet enim mens pia admodum esse anxia, vt communis ac supremæ salutis multi, in primis verò necessarij nostri, sint participes. Hunc locum si obseruarent Catabaptistæ, nimirum intelligerent parentes de liberorum salute anxios esse, quando & Cornelius amicorum maximam videtur habuisse rationem. Necessarij autem (Græcus ἀναγκαίους φίλους dixit) Latinis dicuntur, qui iure affinitatis & peculiaris amicitiæ nobis coniuncti sunt. Et necessitudo inde dicta est ipsum ius & officium obseruantiæ affinitatis. De hoc Gellius pluribus in 13. capite tertio.

Vt autem factum est vt introiret Petrus, obuiam progressus ei Cornelius, ac procidens ad pedes, adorauit eum. Petrus verò erexit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.

Reuerentia. Reuerentia prorsus debetur seruis Dei ac sanctis hominibus, sed humana ac moderata. Modùm excedebat Cornelius, & Proinde corripitur à Petro. Procidens enim ad pedes Apostoli hominem adorauit: quod quidem non tantùm ad geniculationem & gestum corporis (vt apud Hebræos sæpe) referri potest, quam iam expresserat, cum dixerat, Procidens ad pedes, sed plus quippiam de homine sensit, quàm conueniret. Proinde Petrus erigit eum, ac dicit: Surge, nam & ego ipse homo sum, asserens omnem gloriam Deo esse referendam. Facit hic locus plurimum aduersus eos, qui cul- *Pedū osculatio* tum Diuorum propugnant, & Pontificis Romani tuentur tyrannidem. Hic enim cum se Petri iactet Vicarium, non modò Centurionem aliquem non erigit, sed ipsum etiam Romanorum Imperatorem maximum ad pedes deiectum, pedibus (vt aiunt) coronat, denique & pedes (turpe dictu) ad oscula subijcit in omnibus. Quod sanè nullo Apostolorum exemplo didicit, sed pessimorum in orbe hominum ritu. Nam Diocletianus maximus fidei Christianæ persequutor, edicto sanxit, vti omnes prostrati, pedes sibi oscularentur, quibus etiam venerationem quendam (vt ait Vrbinas Polydorus) adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis ac margaritis: quod fecisse antea C. Caligulam totius Reipub. pestem nocentissimam, scribit Seneca.

Et colloquens cum illo, intrauit, & offendit multos qui conuenerant, dixitque ad illos: Vos scitis, non esse fas viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. Sed mihi ostendit Deus, ne quem communem, aut immundum dicerem hominem, quapropter & incunctanter veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?

Iterum ostendit in Petro quædam humanitatis & familiaritatis indicia. Deinde verò recenset *Deut. 7.* quomodo se expurgarit ab ea labe, qua videri poterat aspersus, quod contra legem Domini commisceretur Gentibus. Nam aderant ex Ioppensibus viri qui hac re poterant offendi. Rursus, cum ipse Cornelius vnà cū suis tanto tempore iam inter Iudæos esset versatus, nescire non potuit quo animo Iudæi in Gentes essent adfecti. Proinde ne vel illi offenderentur, vel hic parum ei fideret, priusquam ipsam rem aggrediatur illud quod offendere ac labefactare poterat infirmorum mentes, apologia eximit. Hinc verò interrogat cur vocarint: non quòd nesciret qua caussa vocatus esset, sed vt coràm fatentes audiret, & solidi in Deum amoris non fallentia perciperet argumenta: denique vt vndique *Consortium Gentium.* sibi probè constaret cùm reuelationis tum rei gestæ historia. Cæterùm si quis indecorum & Deo indignum putat, vt quod olim oderit aut inhibuerit, nunc amet & præcipiat: is expendat quòd prius illud de vitando Gentium contubernio præceptum, ad tempus datum est, & quod ad morū vitæq; contagionem euitandam magis pertinuit, quàm ad externam vitæ conuersationem.

Et Cornelius ait: Die ab hinc quarto vsque ad hanc horam sedebam ieiunus, & hora nona precabar in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste splendida, & ait: Corneli, exaudita est deprecatio tua, & eleemosynæ tuæ in memoria habitæ sunt coram Deo. Mitte ergo qui eant Ioppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus, hic diuersatur in ædibus Simonis coriarij iuxta mare, qui simul atque venerit, loquetur tibi. Confestim ergo misi ad te, & tu bene fecisti qui adueneris. Nunc ergo omnes nos, teste Deo, adsumus, vt audiamus omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Deo.

Eadem

Eadem dicuntur, quæ iam ſecundo ſunt expoſita. Declarant autem quàm probè ſibi conſtet ſcri puræ ſanctæ veritas. Ad finem autem adiecta eſt illa elegantiſſima Cornelij & ſuorum confeſſio, & prudens gratiarum actio. Agit enim gratias quòd venire ad ſe dignatus ſit. Agnoſcens Euangelij prædicationem ſummum adeoq; incomparabile eſſe beneficium. Habes enim in hoc Cornelio ſummas quaſq; virtutes, fidem, obedientiam, pietatem, iuſtitiam, gratitudinem & prudentiam, abſolutiſſimè propoſitas. Noſtro ſeculo nulla re perinde peccatur, atq; ingratitudine & neglectu non modo miniſtrorum verbi, ſed & verbi ipſius. His ſubiungitur pia confeſſio. Nunc ergo nos omnes, teſte Deo, ad ſumus, nulla fraude aut ſiniſtra mente præditi, ſed vt ſimplici & ſyncero animo omnia ea audiamus, quæ à Domino tibi mandata ſunt. Talem animum ſi hodie ad lectionem ſacrarum literarum & conciones Chriſtianos adſerremus, iam plus eſſet fructus Euangelici, & minus hypocriſeos ac indignationis. Cæterum quales accedimus, tales & efficimur. Prauo animo accedimus, ergo auari & iniuſti non equidem per verbum efficimur, ſed malitiam congenitam, & altius inſidentem verbo vel defendere, vel lenire, vel obtegere cupimus: & proinde deteriores redimus. Præſtiterat enim pura mente ad oracula Dei pura, omnibus poſitis adfectibus accedere. *Gratitudo.* *Audire verbũ.*

Aperiens autem Petrus os, dixit: Reipſa comperio, quòd non ſit perſonarum reſpectus apud Deum, ſed in quauis gente qui timet ipſum, & operatur iuſtitiam, is acceptus eſt illi.

Cognita auditorum ſynceritate & audiendi ardore, maxima grauitate ſe ad orandũ componit. Oratio autem quam ad illos habet, genus ſapit Didacticũ. Nam expoſitione hiſtorica oſtendit quid per Chriſtum in carne egerit ac donarit nobis Deus, remiſſionem videlicet peccatorum, & æternæ vitæ hæreditatem, quæ percipiatur ſolida in Chriſtum fide. Priuſquam tamen ipſam Euangelij prædicationem de Chriſto ordiatur, ipſam maceriam & ipſum diruit interſtitium, quod hactenus Gentes diuiſerat à Iudæis, & ait: ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, In ipſa rei veritate deprehendo quod apud Deũ non ſit vllus perſonarum reſpectus, ita vt Iudęus circunciſus Gentili præputiato præſtet propter externam rerum quarundam obſeruationem. Video enim pietatem animi, non ſpeciem pietatis placere Deo, adeò vt cuiuſcunq; Gentis quis ſit Barbarus, Scytha, Romanus, Græcus vel Iudæus, Deo nihilominus placeat, ſi modo amplectatur iuſtitiam, & verè pius ſit. Sic enim ſubleuauit Gentium mentes, ne forſan ſe à Deo (iuxta inueteratam Iudæorum opinionem) crederent neglectas. Ex materia autem dicti dirigendus eſt ſermo, ne citra conditionem & rationem cùm temporis tum perſonarum verba intelligens, Chriſtum euacues. Nihil hic diſputat de ijs Gentibus, ad quas Euangelij fulgor non peruenit. Illas enim iudicio Dei relinquimus indemnatas. De præſenti ſtatu rerum loquitur, in quo nonnulli negabant Euangelij gratiam ad Gentes pertinere, id quod hoc loco aſſerit Petrus. Quòd ſi per opera ſine Chriſto quiſquam ſaluari poſſet aut vnquam potuiſſet, iam Chriſtus euacuatus eſſet, nec expiatio totius mundi rectè crederetur. Proinde ſi qui apud Gentes ſaluati ſunt, vt innumeram turbam ſaluatam credimus, certè non ſine Chriſto ſaluati ſunt. Omnia enim à condito orbe; à Deo per filium facta ſunt: etſi myſterium non omnibus æquè illuxerit, ſed alijs clarius, alijs obſcurius. Facit huc quoq; quod Iſaias, Ieremias, Daniel ac cæteri Prophetæ non minori diligentia Gentibus quàm Iudæis verbum veritatis annuntiarunt, ijſdem cùm pœnas tum benignitatem Dei proponentes. Proinde ſi ante Chriſtum & Apoſtolicam in Gentes prædicationẽ Gentes quoq; Deo placuerunt, propter iuſtitiam & pietatem placuerũt: at nulla pietas ac iuſtitia ſine filio Dei perfecta, ex gratia ergo Dei & per meritum Chriſti placuerũt Deo. Quemadmodum & ex Iudæis & vetuſtis patribus omnes propter venturum Chriſtum ſeruati ſunt, quem tamen non aliter quàm in ænigmate tuñc quidem viderũt. Verum hæc omnia (vt diximus) iuſtò Dei iudicio indemnata relinquimus: nos de præſenti rerum ſtatu loquimur. *Perſonam non accipit Deus.*

Sermonem quem miſit Deus filijs Iſrael, annuntians pacem per Ieſum Chriſtum (hic eſt omnium Dominus) ipſi noſtis, de quo ſermone fama diuulgatum fuit in tota Iudæa: rumore primum orta à Galilæa, poſt baptiſma quod prædicabat Ioannes, vt Ieſum Nazarenum vnxerit Deus Spiritu ſancto & virtute, qui obambulauit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cũ illo. Et nos teſtes ſumus omniũ quæ fecit & in regione Iudæorum, & Hieroſolymis, quem occiderunt ſuſpenſum in ligno. Hunc Deus ſuſcitauit tertio die, & exhibuit eum, vt manifeſtus fieret nõ toti populo, ſed teſtibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus vnà cum illo, poſteaquam reſurrexit à mortuis.

D. Petrus prædicat Christum

Oratio paulò obscurior, propter longius hyperbaton, & membrorum inter se commixtionem. Sic ergo explicari poterit: Scitis negotium quod Deus cœpit cum filijs Israel, nempe quomodo filium misit (qui omnium rerum Dominus est) vt pacem annuntiaret. Scitis inquam vel fama, quæ de illo per vniuersam Iudæam spargebatur, indice, quomodo hic in Galilæa primum cœperit Euangelij prædicationem, præmisso tamen Ioanne, qui illi parauit viam, ac testimonium perhibuit quòd sit filius Dei. Id quod ipsemet Dominus protinus vel signis comprobauit. Nam obambulauit, &c. Iam ergo vides bonam huius obscuritatis partem inde oriri, quod Lucas breuitati studens non integram ascripsit Petri prædicationem, sed prædicationis duntaxat prima capita. Solet autem id genus scribendi concisum ac inuolutum esse. Hic ergo texit Euangelicam de Christo historiam, quis sit, cur & quomodo venerit, quid contulerit. Principio autem in genere dicit: Audistis quomodo Deus Iesum Christum omnium rerum Dominum miserit, vt pacem annuntiaret: statim in ipsa orationis initio docens Iesum esse verum Deum & hominem: item quid cōtulerit, pacem. Nam Deus sibi per hunc totum mundum reconciliauit. Hanc summam iam fusius spargit, & diligentius exponit modum, initia & totam rem gestam enarrans. Auspicatur autem à Ioanne Baptista. Hic enim primus &

Ioannis Baptistæ prædicatio.

maximus fuit Euangelij Christi præco, quod vel ex 1. Ioan. cap. liquet, & ex eo quod Marcus dixit, Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Prophetis. Id est, Euangelium de Iesu Christo Dei filio sic cœpit, vt prædictum est à Prophetis, nempe à prædicatione Ioannis. Errant enim fœdissimè qui nescio quid mediationis Ioanni tribuunt, ita tamen vt neq; legem prorsus, neque Euangelium omnino prædicarit. Nam aliud tradidere nobis Euangelistæ sanctissimi: aliud tradit hoc loco Petrus, dicens, Ioānem prædicasse (obserua loquutionis genus) Baptisma, id est, doctrinam de expiatione, & quomodo Iesum Nazarenum vnxerit Deus Spiritu sancto & virtute. Ecce Ioannes prædicauit quomodo apud filium omnium rerum sit potestas. Quid autem hoc aliud est quàm Euangelium prædicare? Legatur caput Ioan. 1. & 3. & clarissimè apparebit quid Ioannes de spiritu, vnctione & virtute Christi testatus sit. Quanquam hæc particula, Vt Iesum Nazarenum vnxerit, &c. videri poterat ad superiora esse referenda, vt intelligamus rumorem de Christo sparsum quomodo ipsum vnxisset Deus. Sed hic sensus paulò post coactior, & à simplicitate remotior. Hæc de Ioannis prædicatione & testimonio: iam historiæ seriem subtexere pergit, miracula referens, quæ non humana, sed diuina virtute patrauit, id quod sic extulit, Quoniam Deus erat cum eo, ita loquens humano more, cum reuera senserit illa signa diuinæ eius fuisse naturæ: id quod ipse Dominus de sese palàm testatur apud Ioannem in 10. Et quo grauius pondus haberet narratio, addit ceu à pronunciatis testimonia, nempe quod ipse Petrus vnà cum alijs Apostolis omnium rerum gestarum in Iudæa, Samaria ac Galilæa fuerint spectatores, & proinde certissimi testes. Addit præterea mortem Christi. & à mortuis resurrectionem veram, quā & multis comprobarit signis, de quibus in Cap. 1. Breuiter, Cornelio & suis nihil aliud prædicauit quàm Euangelium de Iesu Christo crucifixo & resuscitato. Fructum & scopum eius subiungit.

Et præcepit nobis vt prædicaremus populo, & testaremur quòd ipse sit ille qui constitutus erat à Deo iudex viuorum ac mortuorum.

Christus Iesus Dei filius omnipotens, iustus & iudex omnium est. Vnice ergo colendus & timendus est. Huc enim pertinent miracula omnia, ne cruce & ignominiosa offendamur morte, sed ipsum nihilominus credamus verum esse Deum. Iudicio enim patefit eius diuinitas Ioan. 5. cap. Iam mortis miseriæ & humilitatis fructus sequitur.

Huic omnes Prophetę testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum.

Ex morte Christi emergit nobis vita, redemptio & salus. Neque hoc quisquam vanum putet. Hoc enim docuere omnes quotquot vnquam ab initio vixerunt Prophetæ, nempe quòd omnis qui in filium Dei credit, remissionem peccatorum & æternam vitam assequatur. Moses non vno loco, clarissimè tamen Exodi 12. Isaias in 43. & 53. Ieremias in 23. & 37. Ezechiel in 36. Daniel in 9. Hic autem orauerim te Lector, vt hanc Petri prædicationem conferas cum superioribus, & cum ijs quæ de absoluta fide citauimus ex Irenæo & Tertulliano, hincque iudices quæ Apostolica & vetus de fide sit traditio. Solum Christum prædicat, & in hoc omnia. Id si nostri quoq; facerent, interissent indulgentiæ, idola, anathemata, Missæ, & id genus humanæ traditiones. Sed de hisce forsan copiosiora dicemus in 15. cap.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem. Et obstupuerunt hi, qui ex circuncisorum genere cre-

re credebant, quotquot venerant cum Petro, quòd & in gentes donum Spiritus sancti effusum esset. Audiebant enim illos loquentes linguis ac magnificantes Deum.

Vt gratiæ suæ largitionem erga Gentes testaretur Deus, spiritum demittit ante baptismum, vt Iudæis declararet quod & Gentes in populi Dei albo sint recensiti, & iustitia Dei nullis acquiratur rebus externis. Nam & ante baptismum & sine circuncisione & ceremonijs donatus est Spiritu sancto Cornelius. Vnde in 15. cap. colligit Petrus iustitiam veram misericordiæ Dei & fidei deberi, non legalibus aut externis. Inde erat quod circuncisi mirarentur. Existimabant enim quod ad solum semen Abrahæ carnale pertineret Prophetarum promissio. Cum tamen illi satis clarè dixerint Spiritum sanctum super omnes effundendum esse, qui inuocarent nomen Domini. Hic quoque ne quid omnino dubij superesset, non aliter varijs linguis loqui cœperunt, quàm supra in secundo capite cœpissent Iudæi. Sic enim in prima illa & maxima vocatione Gentium oportuit illas quidem citra omne legis præsidium Iudæis æquari, vt certò iam cōstaret iustitiam solius esse gratiæ & electionis diuinæ & nullorum operum. *Baptismus spiritus.*

Tunc respondit Petrus: Num quis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini.

Clarissimo signo euictus Petrus, qui & præter illud, maximam viderat visionem docentem Gentes à societate populi Dei non esse arcendas, subijcit: Nemo omnino posthac prohibere poterit vt Gentes non baptizemus. Quando non secus Spiritu sancto baptizati sint, atq; nos baptizati sumus. Ex quibus verbis nos colligere possumus quid sit baptismus, & quibus debeatur. Est enim baptismus initiale Sacramentum populi Dei, quo intra populum Dei ascribimur, & sub veram vnius Dei religionem vitæq; innocētiam astringimur. Debetur autem ijs qui sunt Dei. Sic enim dicit Petrus, Cur non baptizarem eos qui accepere Spiritum sanctum? At accipere Spiritum sanctum quid aliud est quàm externo manifestari signo quod Dei sis qui donū Dei accipis. Nam ipse Petrus postea 15. cap. Spiritum sanctum testimonium appellitat. Iam ergo sic colligimus: Quicunq; Dei sunt, baptizandi sunt, pueri Dei sunt, ergo baptizandi sunt. Hanc ratiocinationem nemo Catabaptistarum eludet. Siquidem Maior vt vocant propositio firmatur hisce Petri verbis, quibus planissimè exponit, quibus debeatur baptismus. Porrò Minor propositio multò est clarissima & Christi & Apostoli verbis confirmata. Nam Christus in Euangelio, Sinite (inquit) pueros venire ad me. Talium enim est regnum cœlorum. Et Paulus ad Corinth. Sanctificatus (ait) est maritus incredulus per vxorem fidelem, & sanctificata est vxor incredula per maritum. Alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quæ sanctimonia non est ex carnali natiuitate, sed fide ac gratia Dei, quæ illis impartitur qui nascuntur de fidelibus. Tales enim sunt filij Abrahæ nō secundum carnem, sed secundum spiritum. Carnales enim rebus externis & carnalibus nitūtur: Spirituales verò gratię. Nō ait, Sancti sunt quia ex carne Abrahæ sunt, sed sancti sunt, quia ex fidelibus sunt. Sumus autē ex gratia fideles. Cæterùm si quis obijciat, Satis certum fuisse Cornelium atq; suos Dei fuisse, eò quòd visibili signo confirmati sint: illud autem signum nullibi comparere in infātibus. Respondemus hinc non consequi quod omnes qui Spiritu Dei præditi sunt, protinus & externo signo spiritu manifestētur. Hoc enim in initio factum oportuit, ne quis dubitaret gentes non esse Dei. Iam verò Apostolus in Romanis dicit, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Id si vertas inuenies eos qui Christi sunt, spiritum Christi habere. Astipulatur nobis & Aurelius Augustinus de Præsentia Dei ad Dardanum cap. 12. dicens, Dicimus in baptizatis paruulis, quamuis id nesciāt, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt (quamuis sit in eis) quemadmodū & nesciunt mentem suam, cuius in eis ratio, qua vti nondum possunt, velut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu. Hæc Augustinus: sed redimus ad historiam. Petrus ergo iussit illos baptizari in nomen Domini. Vnus enim Dominus est in essentia, trinus in persona. In idem ergo recidit siue in nomen Domini, siue in nomen Patris, Filij & Spiritus sancti baptizemus. Id quod propter illos annotamus, qui Græcos damnātes, nodum in scyrpo quærunt superstitiosuli. Et Beda ipse hunc locū de forma (vt aiunt) baptismi disputans ex D. Ambrosij authoritate non aliter tractat, quàm nos tractauimus. *Baptismus paruulorum.*

Tunc rogauerunt eum, vt remaneret aliquot dies.

Humanitatis & gratitudinis argumentum est, deniq; & ardoris in verbum Domini, quo illi ab optimo simul ac fidelissimo veritatis doctore plenius cupiebant erudiri. Iudæi contra Apostolos proscribebant, & è Synagogis eijciebant ac persequebantur. Nostri quoq; ad primam quamq; prædica- *Audire verbū.*

tionem se absolutos esse, & nullo doctore nullâue institutione posthac egere arbitrantur. Illi Spiritum sanctum acceperant, & tamen orant vt Petrus remaneat, nostri nondum didicerunt an sit Spiritus sanctus, & tamen absolutos se esse credunt. Sed vani sunt qui hac ipsa re suam inscitiá produnt. Verissimè enim de aqua sapientiæ dixeris illud poetæ:

Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

CAPVT XI.

AVdiuerunt autē Apostoli & fratres, qui erant in Iudęa, quòd & Gentes recepissent sermonem Dei. Cumq́ ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabāt aduersus illum, qui erant ex circuncisione, dicentes: Ad viros præputium habentes introisti, & edisti cum illis.

RES noua nouo & admirabili modo verbisque quàm manifestissimis & copiosissimis exponi debebat, ne quid omnino dubij esset de Gentibus, hoc est, ne quis fortassis putaret illas exclusas esse ab Euangelica salute. Proinde vt certo crederemus & has pertinere ad populum Dei, repetuntur eadem quæ iam audiuimus. Hactenus enim execrabantur Iudæi Gentiles ceu impuros, prophanos & impios, adeò vt nec congressu dignarentur & templum suum pollui crederent si quis fortè incircuncisus esset ingressus. Atq; adeò hæc inoleuit opinio, vt & Apostoli cum Petro expostularent quod Gentibus fuisset commixtus. Non quod salutem Gentibus inuiderent, sed quòd indignos putarent quibus proponerentur cœlestes thesauri.

Petrus autem rem ab initio repetens, exposuit illis ordine, dicens: Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi raptus extra me visionem, descendere vas quoddam, ceu linteum magnum quatuor initijs emissum è cœlo, & venit vsque ad me. In quod cum intendissem oculos, animaduerti & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cœli. Audiui autem & vocem dicentem mihi: Surge Petre, macta & vescere. Dicebam autem: Nequaqua Domine, quia nihil commune aut immundum vnquam introiuit in os meum. Respondit autem mihi vox rursum è cœlo: Quæ Deus mundauit, tu ne communia dixeris. Idq́ accidit tertio, & rursum omnia subducta sunt in cœlum. Et ecce extemplo tres viri præsto aderant in ædibus, in quibus eram, è Cæsarea missi ad me. Dixerat autem mihi spiritus, vt congrederer cum illis, nihil hæsitans. Porrò comitati me sunt & sex fratres hi. Et ingressi sumus in domum viri: isq́ retulit nobis, vt vidisset angelum domi suæ, qui adstitisset ac dixisset sibi: Emitte viros Ioppen, & accerse Simonem cognomento Petrum, qui tibi ea dicturus est, per quæ serueris & tu, & vniuersa domus tua. Cum autem exorsus essem sermonem, illapsus est Spiritus sanctus in illos, quemadmodum & in nos fuerat illapsus initio. Veniebat autem in mentem quod dixerat Dominus: Ioannes quidem baptizauit aqua, cæterum vos baptizabimini Spiritu sancto. Proinde si par donum dedit illis Deus, quemadmodum & nobis quū credidissemus in Dominum Iesum Christum, ego porrò quis eram, qui possem obsistere Deo? His autem auditis obticuerunt, & glorificauerūt Deum, dicentes: Igitur & Gentibus Deus pœnitentiam concessit ad vitam.

Idem in hac responsione Petri repetitur quod in decimo capite dictum est, sed mutata orationis figura siue statu. Quod enim superius historica narratione contextum est, hic apologetica expositione proponitur. In summa, Cum Iudæi ad Christianismum conuersi, interim verò nonnihil Iudaizantes, crederent Gentes immundas esse, & ab Euangelica gratia arcendas, quippe cum ipsis earum quoque consortio esset interdictum, Petrus argumento spiritus contrarium asserit, Gentes videlicet sanctifica-

sanctificatas esse,& Christi sanguine mundatas, & proinde à se non repulsas,sed baptizatas. Cæterùm miram vehementiam habet quod dicit,Si par donum dedit illis Deus quemadmodum & nobis dum credidissemus,ego porrò quis eram qui possem obsistere Deo? In quem locum Paraphrastes, An iam à Domino spiritu baptizatis(inquit)negare debui baptismū aquæ,quę nihil aliud est quàm signum gratiæ diuinitus conferendæ? Atqui gratia iam præcesserat citra nostram operam. Itaq; negare baptismū aquæ quid aliud fuisset quàm improbare quod fecisset Deus? Edocti ergo veritatem à Petro,non remurmurant aut conuitiantur, sed Deum glorificant quod Deus prophanis istis Gentibus aditum aperuisset ad vitam per resipiscentiam in Christo. Nam Euangelium(vt alibi ostendimus)pœnitentiam ac remissionem peccatorum in Christo prædicat.

Et illi quidem qui dispersi fuerant ex afflictione,quæ orta fuerat ob Stephanum,perambulauerunt vsq; ad Phœnicen,& Cyprum,& Antiochiam, nemini loquentes sermonem illum,nisi solis Iudæis.

Ergo quod Petro contigerat ignorabant illi,inde non nisi proselytos ac Iudæos Euangelij communicatione dignati sunt. Porrò reliquis quibusdam mysteria sua reuelauit Deus, vt illi Gentibus prædicarent Euangelium,quod sequentibus describitur.

Erant autem quidam ex eis viri Cyprij & Cyrenenses, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, prædicantes Dominum Iesum. Et erat manus Domini cum eis, multusq; numerus credentium conuersus est ad Dominum.

Ecclesia Gentium. Comprobata vocatione Gentium, posthac pauculis quibusdam per 12. cap. insertis, Gentium Ecclesiam omnibus virtutibus, & ornamentis persequitur, exactissimè ob oculos illam statuens, ac docens quomodo vocata per verbum obedierit,Christum susceperit,errores reliquerit,& Deum in iustitia coluerit.Principio autem primitias Gentium,Antiochenam Ecclesiam,sanè & sanctissimam & speciosissimam describit. Potissimum autem in illa ornamentum fuit prædicatio Christi Domini pura. Nihil enim aliud dicitur,quàm Prædicantes Dominum Iesum. In hoc enim quum sit omnis plenitudo,non est vt præter illum aut cum illo quicquam aliud prædicetur. Quin & feliciter omnia cedebant,Domino auxilium & gratiam suppeditante, adeò ingens numerus conuerteretur ad Dominum.A Domino enim est conuersio ad veritatem,Ierem.31.

Peruenit autem rumor ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis super his,& miserunt Barnabam,vt iret Antiochiam.Qui quum peruenisset & vidisset gratiam Dei,gauisus est,& hortabatur omnes,vt proposito cordis perseuerarent adhęrere Domino.Nam erat vir bonus,ac plenus Spiritu sancto & fide. Et addita est multa turba Domino.

Firmo & solido corde. Eiusdem generis est cum illo, quod eadem illa Hierosolymorum Ecclesia in Samariam misit Petrum & Ioannem:de quo satis dictum in 8.cap. Commendatur autem hoc loco Lectoribus Barnabas, qui vnus ex maximis & eruditissimis Apostolis fuit,cuius mentio facta est in capite nono. Hic nullum nouum dogma in Antiochenam induxit Ecclesiam, sed rectè & simpliciter in Christo Iesu institutos animat atque confirmat,adhortans vt obfirmato corde pergerent adhærere Domino.Vnde nos iterum colligimus, quòd omnes virtutes bonæ languescunt ac inutiles sunt, nisi absoluantur constantia & indefessa in bono perseuerantia. *Constantia.* Colligimus item quàm paucis contenti legibus Apostoli, in hoc omnes animi vires intenderint, vt in via Domini constitutos retinerent, & in hac quàm longissimè promouerent. Nisi enim in via qua cœpimus, nihil respicientes, ierimus, frustra profectionem incœpimus. Siquidem ipse in Euangelio Dominus, Qui(inquit)admota manu sua aratro respexerit,non est me dignus.

Profectus est autem Barnabas Tarsum,vt quæreret Saulum: quem quū inuenisset,perduxit Antiochiam. Accidit autem vt annum totum consuetudinem agerent cum ea congregatione,docerentq; turbam multam,& discipuli cognominarentur primum Antiochiæ Christiani.

Vide mirabile Dei consilium, Iudæi vas electionis auersantur, at Gentes contrà summa complectuntur obseruantia. Prius audiuimus Paulum deductum à nonnullis fratribus abijsse Cæsarea,

& ab hac soluisse Tarsum Ciliciæ, hæc cum Antiochiæ ferè vicina esset, vocatur à Barnaba, vocantemq; sequitur Paulus. Non enim aspernenda est vocatio, quæ tametsi careat externo miraculo, à præclaro tamen aliquo verbi Dei fit ministro. Siquidem hæc vocatio felix ac fausta fuit Paulo. Nam huius & collegarum opera Antiochiæ celeberrima, & toto orbe laudatissima collecta est Ecclesia, in qua primitus nobile Christianorum nomen inuentum, illisque inditum est, quibus hactenus discipulorum appellatio, vti sæpe iam monuimus, indita fuerat. Porrò de hoc nobili nomine nemo post Eusebium Ecclesiast. hist. libro 1. cap. 1. scripsit copiosius. Certè Christiani dicimur ab authore Christo Domino, cui credimus, in quem baptizati sumus, cuius leges colimus, iustitiã ac redemptionem veneramur, cuius item spiritu donati, charismateque sancto vncti per ipsum gaudemus. Dolendum verò quod hoc nobile nomen in tantum venerit contemptum, vt impura nostra vita inquinatum, multis Gentibus sit materia ridendi. Dolendum magis quod nos quidem ipsi hoc cœlesti titulo abutimur ad hypocrisis, auaritiæ, crudelitatis ac impietatis nostræ prætextum. Nemo non hoc nomine gaudet, sed quotusquisque nostrum vita ac fide exprimit quod audit? Turpe erat Platonicis, aut Stoicis, aut Epicureis quoq; nescire magistri sui dogmata, illis non superstitiosè etiam inhærere, contrarias auersari hæreses, sui dogmata magistri propugnare, & ad astra vsque extollere. Solis nobis licet magistrum ignorare Christum, dogmata eius proscribere, diuersa amplecti, imò hoc deserto in aliam siue Benedicti, siue Dominici, siue Francisci, siue Bernhardi, aut Brunonis transire sectam. Sed faxit ille filius Dei omnipotens Christus, vt posthac & vita, & doctrina Christianorum titulo melius respondeant.

Christianorum nomen.

In his autem diebus superuenerunt ab vrbe Hierosolymorum prophetæ Antiochiam, surgensq; vnus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futuram in toto terrarũ orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare.

Raro inuenias Ecclesiæ felicitatem prorsus omniq; parte beatissimam fuisse. Iam enim auspicatissima quædam audiuimus de felici Antiochensis Ecclesiæ successu: cæterùm in hisce sequentibus multo audiemus miserrima de fame omnium maxima qua supra modum Ecclesia fidelium affligebatur. Ne ergo tædeat nos laboris & vicissitudinis rerum, ô fratres. Si enim suscepimus bona de manu Domini, mala cur non sustineamus? Caussę & rerum nostrarum summam non metimur felicitate aut voluptate, sed fide & malorum tolerantia. In quibus hoc maximè consolatur, quod Dominus suos nunquam deseruit, imò semper præmonuit, illisq; prę cæteris prospexit. Nam vt Ægyptios vnà cum Patriarchis olim vnius Iosephi prudentia ab impendente fame præmonendo præseruauit: ita hic Ecclesiam suam per Prophetas, id est, eos qui diuinandi valebant peritia, in primis autem per Agabum monuit, vt saperent sibi prospicerentq;. Verissimè enim Silius Italicus, Nil (inquit) temeraro piget rabidi ieiunia ventris. Sed vetustas omnis malesuadam famem dixit: hinc tam diligenter monentur sancti. D. Ioan. Chrysost. aliam quoq; huius vaticinij caussam annotat hisce verbis, Necessario hic famem magnam futuram significat propheta, quæ sane sicut prædicta est cõtigit. Vt enim ne putent quidam propter hoc factam famem quod Christianismus ingressus est, vel quod dæmones deiecti fuerint, prædicit Spiritus sanctus, quod euenturũ esset, sicut & Christus prædixit multa, & euenerunt. Non igitur propter hoc, quoniam oportebat ab initio hoc fieri, sed propter mala quæ in Apostolos facta, quæ cum & fierent, longanimiter ferebat Deus. Quum autem in peccatis perseuerarent, fames magna facta est, significans Iudęis euentura mala. At dicis. Si propter malos hæc fiebant, oportebat bonos à malis separari. Quid enim iniustè egerint Græci, vt propter Iudæos malorũ fierent participes, qui nihil mali fecerant? Quare dic mihi: Nonne prius dixit eis Christus, In mundo tribulationem habebitis? Tu autẽ hæc dicens, forsan & hæc dices quod neq; flagellari eos oportebat. Hæc autem omnia ex Græco illo authore prorsus Ecclesiastico propter eos maximè ascripsimus, qui etiã hodie bella, fames, pestes, & omnis generis infortunia ad nuperum illud (vt aiunt) Euangelij dogma referunt, neq; verò vnquam expendunt quod maxima illa mala nobis iustissimo Dei irrogantur iudicio, propter scelera & nephanda flagitia nostra. Sunt enim qui veritatem proscribunt, sanctos in exilium pellunt, sanctos sanctorum hominum libros cremant, veritatem blasphemant, ministros verbi indignissimè tractant, excarnificant, iugulant, ius & iustitiam corrumpunt, Ecclesiæ opes luxu concoquunt, partim ære produnt, vsuris, versutijs & sutelis pauperes circumueniunt, & delicatuli ex sudore pupillorum, viduarum & egenorum viuunt: deniq; & libidine, adulterio, & ebrietate omnia conspurcant. Propter hæc enim venit ira Domini super nos, non propter Euangelij prædicationem, sed magis propter prædicationis neglectum. Verum inueteratum est istud & iam olim omnium impiorum à seculo protritissimum conuitium, Ex veritatis prædicatione nil boni emersisse

De fame & caussis eius.

Ouidius Metamorph. 8.

An mala emergant ex Euangelio.

vnquam. Impingunt istud impij Ieremiæ apud Ierem. in 44. Et Ecclesiastici scriptores ad illud responderunt sępissime. Nam Demetriano hoc ipsum obijcienti doctissime respondit sanctus Dei martyr Cyprianus, & Symacho doctissimus & vigilantissimus Ligurum præsul Ambrosius. Quin & Aur. Augustinus libro de Consen. Euangelistarum primo cap. 33. maxime in eos inuehitur, qui conqueruntur per doctrinam Christianam rerum imminui felicitatem. Clarissime enim docet hanc morum imminui turpitudinem. Quod si quis consulat prophanos rerum scriptores, vel in his deprehendet impijssimam eius sæculi in quo vixere Apostoli vitam in caussa fuisse cur Dominus tanta fame excruciarit miseros mortales. Videtur & ipse Lucas hoc notasse cum principis Claudij nomen refert in historiam. Hic enim prophanissimus existens, talibus imperitabat qualis ipse erat. Vere enim Claudianus, Mobile (inquit) mutatur semper cum principe vulgus. Siquidem Claudius imperator ventri (vt ait Sex. Aur. Victor.) vino, libidini fœdæ obediens, vecors & prope hebes, ignauus ac pauidus, libertorum & coniugis imperijs subiectus fuit. Quibus subscribens Suetonius, Nunquam temere (ait) triclinio abscessit, nisi distentus ac madens: toto anno visus fuit Saturnalia celebrare. Hinc Antonia mater portentum eum hominis dictitabat, nec absolutum à natura, sed tantum inchoatum. Ac si quem socordiæ argueret, stultiorem aiebat filio Claudio. Et Philostratus libro de Apollonio Thyaneo 5. Claudius (scribit) mulierum amore attonitus, non imperij solum, sed vitæ etiam est oblitus: siquidem ab ipsis, vt fertur, interfectus est. Ita vides, amice Lector, principum ac magistratus stultitia & impietate pessum ire respublicas etiam florentissimas, idque bello aliquoties, mox seditionibus, aliquoties fame. Sed de hac ipsa fame non nihil annotauimus & in decimo quinto ad Romanos.

Claudij incontinentia.

Discipuli autem prout cuiq; suppetebat, proposuerunt in subsidium mitterc habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manum Barnabæ ac Sauli.

Hic commendatur nobis misericordia & mutua charitas. De qua satis dictum in superioribus. Quod autem dicit: Prout cuique suppetebat, latius exponit Paulus in 2. ad Corinth. 8. dicens: Non sic doceo exercendam esse (paraphrasi reddo) benignitatem, vt ij quos iuuatis opibus, suauiter & in otio viuant, vos autem pereatis inopia: sed vt ex æquabilitate in præsenti tempore vestra copia illorum succurrat inopiæ, &c. Et Paulo ante hæc: Volo vt bona animi promptitudine, iuxta illud quod possidetis, non iuxta id quod non possidetis, aliquid in vsus impendatis pauperum. Cæterum ne illud quidem negligendum, quod istud subsidium per manus, id est, delegationem & curam maximorum Apostolorum mittitur, & ad seniores mittitur. Hoc enim commendatur nobis ordo & prudens rerum dispensatio, quæ non quibusuis, sed senioribus deleganda est. Illo autem instituimur, vt diligenter perspiciamus, quid cuique mandemus, imò vt curam pauperum non nisi probatissimis committamus. De qua re dixi in cap. 6.

Misericordia.

CAPVT XII.

EOdem autem tempore iniecit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia.

INSERTIO est historica. Suspenderat in vndecimo cap. narrationem de Petro, ad res Antiochenæ Ecclesiæ exponendas venit. Hasce hic vicissim ad 13. cap. initium vsque differt, ad res Petri gestas & Hierosolymitanæ Ecclesiæ historiam redit, ac hoc 12. cap exponit pulcherrima exempla de Herodis tyrannide, de sanctorum ac Ecclesiæ constantia ardentibusq; votis, de veritatis victoria, & Tyrannorum horribili exitio. Venusta autem sunt omnia, & miram habent cum gratiam tum euidentiam Initio autē pulchre committit historiam. Est enim connexionis quod dicit, Eodem autem tempore. Nam Salustius id sic extulisset: Dum autē hæc agerentur Antiochię Hierosolymis iniecit manus rex Herodes, &c. Hunc vero Herodem alij volunt esse Tetracham, qui decollarat Ioannem, & Christum alba veste indutum ludibrij caussa Pilato remiserat. Quod si verum est, necesse est vt ab exilio reuocatus ab Agrippa hoc in regni admissus sit consortium. Alij vero (quorum sententia videtur esse sanior) Agrippam Herodis tetrarchæ, ex fratre Aristobulo nepotem intelligunt, qui Herodes sit cognominatus, sicut Ægyptiorum reges dicebantur Pharaones. Perhibent enim omnes Iudææ reges à magno illo Herode, sub quo Christus nascebatur,

Herodes.

postea cognominatos fuisse Herodes. Raphael Volaterranus lib. Geograph. 11. negotium hoc intricatissimum aliâs ad hunc fere modum digessit: Herodi magno filij fuere septem, Alexander, Aristobulus, Antipater, Archelaus, Philippus, Herodes dictus Antipas, & Lysanias. Ex his priores tres à parente occisi, reliquis verò tetrarchię ita diuisę sunt, vt à Luca expositum est, Luc. 3. Archelaus, qui patri in regno successit, protinus à Iudæis accusatus quod crudeliter imperitaret, in exilium ab Augusto Viennam Galliæ pellitur, regno eius in prouintiæ formam redacto. Alexander autem, siue, quod alijs placere video, Aristobulus filium hunc Agrippam post se reliquit, qui in diuisione regni nihil sortiebatur. Exactis ergo aliquot annis Herodem Antipam Galilęę principem apud Tiberium accusat, & non modo nihil impetrat, sed & in carcerem conijcitur. Verum mox Tiberio defuncto, à Caio, cuius amicitiæ causa vinctus fuerat, statim Iudææ rex factus, additis ei fratris Philippi defuncti & Lysaniæ tetrarchijs. Hic Herodes Herodiadis pellicis hortatu, Romam & ipse regnum impetraturus venit, sed Caligulæ principis minis & iurgijs territus, in Hispaniam fugit, tetrarchia eius Agrippæ concessa. Vadianus ex Iosepho scribit hunc à Caio propter conspirationis cum Artabano crimen in exilium Lugdunum esse ablegatum. Post hæc Aggrippa Claudij etiam principis, cui Romæ adiumento ad imperium fuit, fauore speque erectus, limites regni prorogauit, tantamque sibi authoritatem ac maiestatem parauit, vt multis terrori esset augustum Agrippæ nomen. Extinctus autem ab angelo anno regni eius septimo, tres filias reliquit, Bernicem, Mariamnen & Drusillam, denique filium Agrippam virum optimum, cuius in 26. huius libri capite fit mentio: Hæc omnia copiosius persequitur Iosephus, & in Epitome sua Vadianus.

Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio: videns autem quod gratum esset Iudæis, perrexit comprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum etiam apprehendisset, posuit in carcerem tradens quatuor quaternionibus militum asseruandum: volens post pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere.

More prudentum tyrannorum detondet maximorum in religione virorum capita, si forsan ignobilis plebecula infelici ductorum casu territa ad superstitionem reuertatur. Maximus enim Euangelij præco erat hic Iacobus Ioannis frater germanus, quem maiorem cognominant, & Compostellam Galitiæ delatum mentiuntur. Discamus ergo constantes esse, & mortem pro iustitia non formidare: neq; felicitate veritatem religionis nostræ metiri. Cæterũ quod populo gratificatur, & eius stultissimis morem gerit affectibus, imprudentissime facit. Non enim temere Anacharsis Scytha apud Cheroneum Plutarchum clamauit, O rempublicam breui interituram, in qua viri principes consultent, populus autem & imperita rerum plebecula decernat, cui videlicet proprium sit & in minimis maxime formidare, & in maximis minime prospicere. Quod Hercle dictum Anacharsis ὄτι τοῦ καυτὶς fuit, ex quo Plato philos. rerum publicarum vir consultissimus, aperte dicebat: Nullo modo iustũ imperium vel ciuitatem appellandã, in qua popularis improbitas summa quæq; reipub. munera tractare præsumat. Nec enim de nihilo Charondas (qui leges Cathinensibus condidit) in hunc modum de populo cõcludit, Qui se populo committit, fortunam, nõ rationem sequitur, qui fortunæ fauet, periculo & aleæ se dedit, qui in alea est ad ruinam & cladem inclinat. Proinde Herodes fortunam suam committebat aleæ cum in gratiam populi quod placebat faceret. In hoc porro maxima erat afflictio Ecclesiæ, quod principum alter decollatus esset, alter vero in vincula coniectus & ipse capitalem expectaret sententiam. Sed temperauit nonnihil feruorem furoris interstitium temporis. Aut enim notatione temporis taxauit crudelitatem tyranni, qui ne festi quidem religione flexus à crudelibus abstinuit ausis. Verum ita Iudæi quoque obseruabant festi sanctimoniam, nolentes ingredi prætorium, at nihil verentes interim innocentissimi fundere sanguinem. Aut certe Dei significauit prouidentiam, qua factum est vt minus festinaretur. Tempus enim & festi obstitit religio. Iam vt nihil omitteret quod pertineret ad crudelissimi tyranni descriptionem, Modum quoque & habitum vinculorum depinxit, Non modo (ait) in carcerem coniecit, sed & quatuor militum quaternionibus asseruandum tradidit. Aiunt autem Quaternionem quatuor militibus præfectum esse quibus imperet, sicut Centuriones centum, & Decani decem. Sed simplicius est, si à numero miltum quaternionem dictam intelligamus: vt sedecim ordinarit qui alternis vicibus catenis implicitum asseruarent, ne vel arte, vel populi elaberetur auxilio. Decretum enim apud illum erat quod à festo illum populo producere, & ad supplicium vellet educere. Cæterum illud ad mouendos affectus facit, quod tandem subiungit, Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Vnde tu conijcies quæ sit sanctorum patientia, & impiorum ferocia ac felicitas.

In gratiam populi aliquid facere.

Tyrannis.

Cæte-

Cæterum precatio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deū pro eo.

Exemplo hæc nobis traduntur, vt etiam nos discamus quid agendum sit in tanto nerum discrimine. Orandum vtique. Nam plus potest oratio iusta, quam exquisitissima impiorum armatura. Sed de hoc dictum est in cap.4.

Quum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte dormiebat Petrus inter duos milites, vinctos catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoq; latere Petri, excitauit eum, dicēs: Surge velociter. Et exciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Percingere & subliga soleas tuas. Et fecit sic. Et dicit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quod verum esset quod fiebat per angelum, sed putabat se visum videre. Cum autem præterissent primam ac secundam custodiam, venerunt ad portam ferreā, quæ ducit in ciuitatem, quæ vltro aperta est eis. Et exuentes processerunt vicum vnum, & continuo discessit angelus ab eo.

Non frustra tanto verborum apparatu describitur custodia. Hoc enim partim (vt iam iam diximus) notatur crudelitas tyranni: partim vero adumbratur imbecillitas tyrannorum huius sæculi, qui dum robustissimi & instructissimi sibi videntur prorsus nulli sunt. Habent ergo hæc tacitam quandam antithesim. Nam omnia Herodis anxia sunt & seuera, ampla, prædura, inuincibilia, ærea, ferrea & omni parte munitissima. At in his omnibus nihil anxij videris neque in Petro neque in angelo. Ille enim nihil se excruciat, sed quiete dormit. Hic vero nihil morans portas ferreas, militum quaterniones, catenarum nexus, ingreditur, dormientem excitat, induit, educit, adeoque & per triplicem illam custodiam, per portam ferream illæsum educit. Quid ergo conamini carceribus, catenis, militibus, catapultis, & viribus vestris, ô principes sæculi? Non vincitur istis Christus, non pellitur ijs veritas. Quid vero ad hanc rem prope exprimendam vel viuidius pingi potuisset? Talis pictura est submersio Pharaonis in alueo maris Erythreri, excidium vrbis Iericho, necnon & Tyri ac Babylonis. Nam nulla est potentia contra Dominum. *Imbecillitas impiorum.*

Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio vere, quo miserit Dominus angelum suum, & eripuerit me è manu Herodis, et ex omni expectatione plebis Iudæorum.

Etenim cum prius visionem habuisset, facilius credidit & hanc visionem esse, qua significaretur ipsum fore liberandum. Videntur præterea multa Dei miracula nobis esse somnia, ob carnis nostræ torporem: cæterum postea quam fide fuerimus excitati, protinus cum gratiarum actione glorificamus Deum. Hic disce Deum verum illum esse, qui educit è vinculis, non Leonhardum aut Vuolphgaugum aliquem Deum fictitium. Illum verum Deum inuocauit Petrus, illi & gloriam liberationis tribuit. Vide Psalm.107. *Nebulæ carnis*

Re autem perpensa venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati & orantes. Cum pulsasset autem Petrus ostium vestibuli, processit puella vt subauscultaret, nomine Rhode. Et vt agnouit vocem Petri præ gaudio non aperuit vestibulum, sed introcurrens renunciauit stare Petrum ante vestibulum. At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat, sic se habere. At illi dicebant: Angelus eius est. Petrus autem perseuerabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt. Cum innuisset autem eis, mota manu vt tacerēt: narrauit illis quomodo Dominus eduxisset ipsum de carcere. Dixit autem: Nunciate Iacobo & fratribus hæc. Et egressus abijt in alium locum.

Facilia sunt quæ hic scribuntur, nec multa expositione egent. Hæc autē videbantur obiter esse annotanda. 1. Ecclesia fidelium non frigide orauit, sed ardentissime. Nam noctes duxit insomnes. Vnde nos discimus quanto ardore nobis in die tentationis orandum sit. Quod Petrus dormiebat securi *Oratio & vigilia.*

tatis erat: nihilominus sancta vigilauit vigilia. 2. Describuntur in hoc Rhode & aliorum credentium affectus, turbę ac motus, vt videamus Christianos quoque homines esse qui & gaudio & tristitia, denique alijs quoq; sint obnoxij affectibus. Quod propter eos annotamus, qui de fide nescio quid philosophantur: quasi vero fide exuamus hominem, aut fide Stoica tradatur disciplina, quæ omnes affectus semel tollat. 3. Videtur angelus Petri aut pro spectro, genio, siue spiritu (vt aiunt) Petri vsurpari. Nam vulgi more loquuntur. Existimat autem vulgus, spiritus quosdam hominum esse, qui vel mortis sint prænuncij, vel mortuorum genij. Sed refellitur ea opinio ab ipso Domino Lucæ 16. & à Ioanne Chrysostomo in Matthæum Homelia 29. Impossibile enim putat, vt anima à corpore separata, in hisce oberret regionibus. Multa quidem à dæmone fingi spectra, vt imprudentibus imponat: sed nullam reuera animam reuerti: sed quamuis continuo aut damnari aut seruari pro merito. Rursus videri poterat simplicissimam & optimam interpretationem fore, si per agelum Petri, ipsum intelligamus custodem Petro deputatum à Deo. Nam plurimi sunt loci scripturæ, ex quibus constat angelos animabus iam inde à natiuitate pro custodia delegari. Hoc enim significare videtur vrbem Christi Matth. 18. & sententia Pauli ad Hebræos. 1. Certe Diuus Hieronymus in Epitaphio Paulæ angelum testem implorat, qui Paulæ custos ac comes fuerit. Et Propheta in Psalm. Angelis suis (ait) mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. 4. Quod liberationem suam nunciari iubet alijs quoque fratribus Iacobo in primis Alphæi, qui tum (vt referunt) Hierosolymorum fuit episcopus, charitatem & vnum totius Ecclesiæ sensum nobis commendat: vt iuxta Pauli verbum, Eodem simus animo, eadem mente & sententia, gaudeamus cum gaudentibus, & lugeamus cum lugentibus. Præterea vult potentiam & beneficentiam Domini multis innotescere, vt & ipsi Deum inuocent in necessitatibus & gratias agant liberatori. 5. Cedit furori impij principis, vt & nos cedamus, postea quam nulla resipiscentiæ spes superfuerit. Neq; vero omnis fuga turpis est, vt in 9. capite ostensum est. Quin & diuersum hic quoque pro ratione consilium Dei audiemus. E priore captiuitate, proxima in templum ibat Petrus, hic non item, sed prorsus se ex vrbe subducit. Non igitur omni tempore & loco idem faciendum imitandúmue.

Angelus Petri. *Fuga.* *Actor. 5.*

Porro vbi diluxit, erat turbatio non parua inter milites, quidnam accidisset Petro. Herodes autem cum requisisset eum, nec inuenisset examinatis custodibus, iussit eos duci: descendensq; à Iudæa Cæsaream, ibi commoratus est.

Tyrannus custodes damnat. Parum (inquit Erasmus) liquet an Lucas Romano more dixerit, duci eos qui ducuntur ad supplicium, an abduci à sese in carcerem. Priorem ego sententiam video magis probari Chrysostomo, vt simpliciorem & veriorem. Cui forsan & illud congruit quod dicit, ἀνακρίνας τοὺς φύλακας. Est enim ἀνακρίνειν verbum Atticorum forense, significans reorum caussam agere, inquirere adeoq; & damnare. Vnde verisimile est, quod tyrannus custodes capitis damnarit supplicio. Est ergo hoc aliud ac nouum tyrannidis exemplum, miseros & nihil tale commeritos perdere. Vt vel hinc intelligamus merito dixisse Apolonium apud Philostratum libro 4. Hanc autem belluam quam Tyrannum vocant plerique, neque quod habeat capita scimus, neque vtrum curuis vnguibus aduncisque sit dentibus nouimus. Et quanquam ciuilis bestia esse dicatur, & in medijs vrbibus habitet, eo tamen perhibetur immanior ijs, quæ in montibus aut paludibus degunt, in quo leones quidem aut pantheræ quandoque si mulceantur mansuescunt, & innatam feritatem exuunt, hæc autem ob attrectationem ferocior facta omnia lacerat. Cæterum curiosæ quæstiones sunt quibus inquirimus. An Deus iustus sit,

Cur cæsi custodes. qui vnico homine erepto, multos coniecit in periculum? Cur enim nõ seruauit Iacobum fratrem Ioannis sicut eripuit Petrum? Sic illi visum erat, cuius voluntas & administratio bona est, nec aberrare potest. Quid quod hoc seruorum genus quo vtuntur ad supplicia ac damnatorum custodiam principes, crudele plerunq; & atrox parumq; captiuis propitium est. Vnde iam nullam illis irrogauit iniuriam Deus, si scelera ipsorum visitans, tyrannos tyrannico sustulit furore. Malo enim nodo malus quærendus est cuneus. Sed & ipsa poscebat æquitas, vt impij qui Ecclesiam conturbarant, funesto suorum spectaculo conturbarentur. Caueant ergo impij, ne dum lætabundi sanctorum sitiunt sanguinem, suum tandem maxima desperatione effundi cernant. Iustus enim Deus est, & vindex sanguinis seruorum suorum. Quod autem in fine Descensus regis ad Cæsaream, quæ & Turris Stratonis cognominatur, meminit, ad sequentem historiam quæ in ea vrbe contigit, pertinet.

Erat autem Herodes infensus Syrijs & Sidonijs. At illi vno animo venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui præerat cubiculo regis petebãt pacem: eo quod aleretur regio ipsorum annona regia.

Quod

Quod Latinus vertit, Infensus, Græce significantius positum est θυμομαχῶν, quasi quis dicat, Conceperat autem animo bellum Herodes aduersus Tyrios. Cuius quidem instituti nullus, quod sciam, meminit post Lucam historicus: at hic nimirum hoc veluti quarto crudelitatis exemplo insignem voluit regis arrogantissimi describere tyrannidem, qui occasionem ex miseria gentis captans, miserabiliorem efficere gestit, aut certe sub suum compellere iugum. Regio enim Tyriorum ac Sidoniorum admodum angusta, & Galilææ Damascique pressa finibus non tantum habuit agrorum quantum ad tantam hominum multitudinem alendam necessarium erat: sed regia alebatur annona. Quin & maximus prouentus ijs vrbibus erat ex vicinorum cōmertijs negotiatorū. Periculosissimū ergo ipsis futurū erat bellum: proinde supplices Blasto accidunt. Quo loco & inconstantiam principis notauit Chrysostomus, dicens, Vide autem illum quomodo à Blasto iterum mitigatur, vtpote homo facile irascens, & iterum conciliabilis, & vbiq; seruus vulgi, nihilq; liberum habens. Porro nos hinc conijcimus tyrannum stultissimum & stulte res suas administrasse, & nihilominus domesticis & exteris infestum, imo funestum, & proinde omnibus inuisum fuisse. Siquidem famulitium suum duci iubet, Iacobum obtruncat, Petrum vincit, reliquis eius religionis hominibus minatur: sed & in nobilissimas vrbes bellum apparat: & quis tandem iniuriarū finis? Annō merito exclamauerit quis, Dij talem terris auertite pestem? Vide hic amice Lector quid Dominus minatus sit, quum dixit, Dabo pueros principes eorum, Isaiæ 3.

Aliud tyranni dis exemplum.

Inconstantia tyrannorum.

Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & cōcionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Vox Dei, & non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eò quòd non dedisset gloriam Deo: & erosus à vermibus, expirauit.

Hactenus descripsit atrocissimi hominis cædes, arrogantiam, potentiam, robur, successum, piorum quoque afflictiones, oppressorum querelas & labores, hoc est Prothesin & Epitasin huius (vt sic dicā) fabulæ. Posthac describet Catastrophen, hoc est prophanissimi hominis interitū, qui hoc tyranno erat funestior & luctuosior quo ad spectacula & theatricam pompam pronior. Minus illi indo luisset si priuatim & non in frequenti turba diuino fuisset perfossus telo. Sed publicam oportebat eius esse pœnam, qui publice publica postestate erat abusus. Interitum ergo hunc horribilem, quem Lucas, vt omnia aliàs, breuiter perstringit, Iosephus in 19. capite octauo, hisce fermè verbis copiosius exponit. Igitur cum tertium annum in Iudææ complesset regno Agrippa, venit in Cæsaream ciuitatem, quæ primitus Turris Stratonis appellabatur, ibique spectaculum ad honorem Cæsaris pro eius salute celebrabat. Ad quam festiuitatem eius prouinciæ multitudo nobilium simul & procerum vnà conuenerat. Secunda vero spectaculorum die, stola vestitus vndique argento contexta, ita vt textus esset valde mirabilis, venit ad theatrum incipiente die, & primis radijs sole oriente demissis argenti claritas repercussa fulgorem reddidit valde perspicuum, & oculis inspicientibus formidandum. Mox autem adulatores voces fauorabiles emittebant, quæ nec illi bonæ pro veritate videbantur, Deum scilicet appellantes eum, atque dicentes, Propitius nobis esto. Quia licet hactenus te velut hominem timuerimus, attamen iam nunc superioris naturæ te esse conspicimus. Has autem voces rex nequaquam compescuit, nec impia eorum verba compressit, donec respiciens (iam verba adscribimus vti ab Eusebio Cæsariense citata sunt libro Ecclesiast. 2. cap. 20.) paulo post imminentem atq; insistentem capiti suo videret angelum, quem etiam malorum causam intellexit. Mox ergo corde passionem mortiferam suscipiens, respiciens suos amicos: Ego (inquit) vester iam vitam morte commutare compellor. Repente nanq; increpitus sum, quum mendaces ad me clamarent. Nam qui vocabar immortalis à vobis, ecce iam ducor ad mortem. Hæc ex Iosepho. Ita autem finijt arrogans superbia & intoleranda crudelitas impij. Sic finierunt & olim tyranni Pharao, Saul, Achab, Senacherib, Zedechias, Iehoiachim, Balthasar, Herodes magnus, Maxentiusq;. Interibunt & hodie omnes qui vel Ecclesiam Dei affligunt, vel gloriam deo debitam sibi rapiunt. Non enim ob tyrannidem modo, sed ob immane illud flgitium tam seuere punitur, quod adultratrices populi voces non compescuisset, & quod homo miserabilis ac mox periturus Deus haberi gauderet. Nam diabolicum est (vt Augustini verbo vtar) Dei honores postulare. Nullus ergo pius sibi vel ambierit, vel arrogarit. Dominus enim apud Prophetam clarissime, Gloriam meam (inquit) alteri non dabo. At maxima Dei gloria est adorari, inuocari & coli. Nemo itaque sanctorum illa sibi vsurpatit. Vbi igitur inuocatio & cultus diuorum? At non intelleximus verbum Domini, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & sic glorificabis me. Item, Dominū Deum tuū adorabis, & illi soli seruies. Proinde sanctiores sunt diui, quam qui cultum nostrū probare possint. Damnatur hoc eodem Hero

Tyranni interitus.

Oportuit hunc puniri in cōspectu principum.

Gloriam Deo subtrahere.

Psal. 49.

Matth. 4.

Superbia. *Adulatio.* dis interitu superbia humana, de qua aliâs scripsere satis copiose Iesus filius Syrach Eccles. 10. & Ezechiel in inuectiua aduersus Tyrum cap.26.27.28. Damnatur & Adulatio, de qua dixit Curtius, Regum opes hæc sæpius quam hostis subuertit. Cæterum talionis erat, vt qui stolido populo cæde & vinculis bonorum gratificatus fuerat, nunc eiusdem assentatione illectus miser caderet. Plurima in Assentationem dixit Plutarchus in eo libello quo ostendit quid ab amico differat adulator. Anaxilas adulatores diuitum dicebat esse σκώληκας, hoc est vermes. Et vermibus arrosus dicitur hoc loco Herodes. Græce enim est, καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος, quod Erasmus vertit, Et obnoxius factus morbo, quo qui laborant, exeduntur à vermibus. *Pedicularis morbus.* Existimant autem hunc illum ipsum esse morbum quo interijt & Herodes magnus & Antiochus & Maximianus, cuius descriptionem habes apud Iosephum in 17. cap.9. & 2. Mach. cap.9. qui locus admodum huc quadrat. Eusebij Cæsariensis verba de Maximiani tyranni morbo hæc sunt, sicut scribuntur libro Ecclesiast. hist. 8. cap. 18. Authorem sceleris vltio diuina corripuit, ille enim qui lætis ac saginatis carnibus incedebat superbus, inflatis subito visceribus suppuratisq; distenditur. In profundioribus dehinc pectoris partibus obortum vulnus totos intrinsecus viscerum secessus tabo serpente depascitur. Post etiam fistulis quibusdam in superficie purulentis meatibus adapertis, de interioribus putrefactis vulneris venis ebullire vndatim cœpit innumera vermium multitudo. Fœtor vero tam intolerabilis erat, vt nullus omnino ne medicorum quidem propius posset accedere, quod carnes satis lætæ, & in omni luxuria nutritæ, grauiorem ex corruptione nidorem putredinis exhalabant. Deniq; medicos quod vim fœtoris tolerare non possent, interfici iubet. Quorum è numero cum quidam iugulandus potius quam medicaturus assisteret, aspiratus à Deo, „ Cur (inquit) erras imperator, & quod Deus infert ab hominibus putas posse reuocari? „ Nec humanus est iste morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare quanta in seruos „ Dei egeris, quamque in religionem diuinã impius & prophanus extiteris, & intelliges vnde tibi „ mala veniant. Vide autem quam probe huc quadret exquisitissima illa Eusebij descriptio. Porro horribilis hic morbus à medicis Phthiriasis siue pedicularis appellatur, omniũ morborum qui sunt, & qui fuerunt fœdissimus, quo & L. Syllam arrogantem & tyrannicum hominem interijsse scripsit in Vita Syllæ Plutarchus. Mira autem Dei vindicta est, & mira iustitia quod illos peremit omnium fœdissimo & teterrimo morbo, qui vltra communem hominum sortem efferuntur, & ferocia quasuis superant beluas. Hæc ergo sors arrogantium ac tyrannicorum hominum est.

Porrò sermo Domini crescebat, ac multiplicabatur.

Victoria verbi Quemadmodum enim verum est quod dixit Propheta, Viri sanguinum, dolosi & impij non dimidiabunt dies suas: ita verum esse oportet, quod idem dixit, Omnia pereunt, sed verbum Domini manet in æternum. Dominus suppetias fert sanctis suis, cædit tyrannos. Frustra ergo pollicemini vobis, ô vos Pontificij, interitum Euangelij, & restitutionem traditionum humanarum. Citius enim perierit Deus ille vester Romanus, quam gloria & Euangelium crucifixi Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & imperium semper.

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER III.

PROEMIVM.



ABSOLVIMVS gesta Stephani, Philippi & Petri, varia ac peculiaria quidem illa, Pauli quoq; nonnulla, adeoq; peregrinationem huius primam. Descendimus ergo ad secundam, & ad ea quæ cum Barnaba communia habet. Prima fuit, qua è Damasco elapsus abijt in Arabiam, trienio autem exacta redijt Hierosolymam, & ab hac iterum Cæsaream profectus, in Tarsum Ciliciæ soluit, vnde à Barnaba reuocatus Antiochiæ Christum prædicauit, atq; ab hac rursus vnà cum Barnaba subsidij conferendi gratia Hierosolymam ablegatus Antiochiam tandem redijt. Secunda iam tractabitur. In hac audiemus quomodo Spiritus sancti auspicijs vnà cum Barnaba procul ad Gentes missus: appulerit Cyprum: atq; in hac Sergium Paulum virum primarium deniq; cum eo multas & maximas insulæ vrbes ad fidem Christianam, profligato Elyma, conuerterit. Deinde quomodo in Phamphyliam nauigans, Christum in hac prædicans:

dicans, Antiochiam Pisidiæ venerit. Hic exponetur quomodo Christum ex Prophetarum prædicarit oraculis, inuidia tamen quorundam pulsus fugerit Iconium, deniq; & illa eiectus vrbe, venerit in Lycaoniam. In hac vero Derbē & Lystram vrbes celeberrimas Euangelij fulgore illustrat, claudum quendam erigit, aduersus creaturarum cultum pro vera religione disserit. Sed vincente ingratitudine quorūdam hominum impijssimorum lapidatur. Restituitur tamen virtute Domini: rediensq; per eas quas ad fidem conuerterat vrbes, confirmat fidelium mentes, ne vspiam à cognita deficiant veritate. Tandem re feliciter gesta Antiochiam Syriæ vnde venerat redit. Cæterum cum eo tempore nouum suboriretur Nazaræorum dogma, operibus legalibus salutem tribuens, Hierosolymam ascendit, hæresim istam impugnat & communibus totius Ecclesiæ calculis obtinet fide in Christum non lege iustificari credentes siue Iudæi sint siue Gentes. Hæc autem ceu in argumentum compacta sequentibus fusius exponemus.

CAPVT XIII.

BArnabas autem & Paulus reuersi sunt Hierosolymam, expleto ministerio, assumpto & Ioanne, cui cognomen erat Marcus.

REDIT ad intermissam historiam in cap. 11. & quos ibi dixerat Hierosolymam ablegatos abijsse, eos hic redijsse commemorat. Nam etiamsi omnia exemplaria cōstanter habeant, Reuersi sunt in Ierusalem, tamen ipsa res flagitat illorum hic reditum à Ierusalem esse descriptum. Atq; in eum modum interpretatus est & Erasmus in Paraphrasi dicens, Barnabas autem & Saulus defuncti his quæ receperant à fratribus curanda, traditaq; & per Apostolos distributa pecunia, quæ missa fuerat in subsidium egentium, reliquerunt Hierosolymam ac repetunt Antiochiam, adiuncto sibi comite Ioanne, cui cognomentum erat Marcus. Hæc autem secreuimus à superiori 11. cap. quod veluti sequentis capitis galea viderentur. Sequitur enim,

Erat autem quidam in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ ac doctores, Barnabasq; & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collectaneus, & Saulus:

Vti cœperat in 11. cap. ita iam pergit Antiochenam describere laudareque Ecclesiam. Laudat autem ipsam à maxima dote, nempe quod diuina benignitate ipsi obuenissent Prophetæ ac doctores optimi. Neque enim aliud ornamentum habet Ecclesia nobilius. Adime enim Ecclesiæ fidos & doctos ministros, quanta quæso reliqua erit Ecclesiæ portio? A ministris traditur veritas, impugnatur error, suadetur constantia, docetur concordia, denique & scelera corripiuntur & omnis generis virtutes ex fide per gratiam plantantur. Hæc autem omnia maxima parte sustuleris, si ministros fidos & doctos sustuleris. Verum hoc differunt à doctoribus hoc loco Prophetæ quod doctores sunt pastores Euangelistæ & Episcopi qui promiscuum pro concionibus publicis erudiunt vulgus. At Prophetæ arcana scripturæ indagant eruunt & eruditioribus priuatis publice tamen institutis lectionibus tradunt, deinde & populo quæ prosunt diligenter exponunt. Quanquam ea non semper obseruetur differentia, sed Prophetæ quoque Euangelistæ dicantur. Sed de hisce alibi dictum, & à Paulo copiosius disputatum est in 1. Corinth. 14. cap. Præterea hic claret in eadem vrbe plures fuisse doctores & Prophetas & episcopos, sed tales, quales eo erant tēpore, viri sancti & ab omni fastu alienissimi. Recēsentur illi nominatim, vt viri æterna gloria digni, & vt apparet externis quoq; fortunæ bonis non infelices. Nam de Manahen dicitur, quod olim fuerit σύντροφος, id est, collactaneus & simul educatus cum Herode tetrarcha: vnde reuera apparet hunc Manahen virum fuisse non vsquequaq; profligatæ fortunæ. De eorum eruditione nemini dubium est, quin illa fuerit præclarissima. Oremus ô fratres Dominum vt & nobis fideles tribuat doctores.

Ecclesiæ præcipuum ornamentum doctores.

quum autem illi sacrificarent Domino, ieiunarentq;, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod accersiui eos. Quumq; ieiunassent & orassent, imposuissentq; eis manus, dimiserunt.

Istis describitur altera Pauli vocatio ad munus Apostolicum in Gentes, ne cui de persequutoris fide dubium restaret. Quæcunq; autem hic vsurpauit Ecclesia in orando, separando (vß gemeinen/ vßsünderen vt solent qui è turba ad certum euocantur officium) & manuum impositione, in sup eriorihus exposuimus qualia sint. Certè locus monet non nisi vocatos ad Euangelij prædicandi ministerium idoneos esse. De ieiunio autem satis scripsit post Isaiam in 58. Matthæus in 6. Et D. Hieronymus Ioelis cap. 2. enarrans. Si omne (inquit) ieiunium placeret Deo, nunquam diceret Sanctificate ieiunium: &, Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus. Ieiunat Manicheus & multi hæretici maximeque Encratitæ, quorum princeps Tatianus est, sed hoc ieiunium saturitate & ebrietate deterius est. Idem ad Nepotianum de vita clericorum, Pulchre dicitur apud Græcos, & nescio an apud nos æque resonet, Pinguis venter non gignit mentem tenuem. Tantum tibi ieiuniorum modum impone quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa ieiunia. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane, & dum delitias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam contra rerum hominumq; naturam, aquam non bibere nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera betarumq; succum, non calice sorbere, sed concha. Proch pudor, non erubescimus istiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis? Insuper etiam famam abstinentiæ in delitijs quærimus. Hæc Hieronymus. Quæ si hodie nostrum aliquis scriberet, protinus appellaretur hæreticus, epulo & crapulæ contra Ecclesiasticam abstinentiam patronus. Verum ieiunium vetustis reuera aliud non erat quam temperans vita, abstinentiaq; perpetua ab omnibus ijs quæ animum auocabant à puritate vitæ & mentis sobrietate, vnde & frequenter vigiliam vides ieiunio iunctam esse in literis sanctis. Non ergo damnamus ieiunium sanctum, sed hypocriticum, venale, superstitiosum, meritorium & circumstantijs impexum. Iam quod interpres noster λειτουργούντων vertit Sacrificantibus. Vetus interpres reddidit Ministrantibus. Quia vero λειτουργία ministerium quidem significat & λειτουργός minister, nec tamen quiuis, sed sacrarum rerum minister: Erasmus id exprimere & significantius reddere volens dixit Sacrificantibus. Id cum Thrasones quidam non vident, nonnihil roboris Missæ suæ ex hoc loco addi credunt, quasi Apostoli Antiochiæ Missam pro sacrificio celebrarint. Sed falluntur (vt diximus) miseri. Et Ioannes Chrysostomus interpres Græcus & Grece linguæ peritissimus, Quid est (inquit) ministrantibus? Prædicantibus. Ecce hic exponit Ministrare siue sacrificare. Sic enim & Paulus vsurpauit ad Rom. 15. Quin & ipse interpres Erasmus in Paraphrasi sua, Porro cum omnes hi (inquit) magno studio seruirent Ecclesiæ commodis, dotes suas ad omnium salutem & Christi gloriam impartientes, quo non est aliud sacrificium Deo gratius, ieiunantes interim, vt puris etiam precibus adiuuarent Ecclesiæ profectum, &c.

De ieiunio.

Talia sunt Monachorum ieiunia.

Sacrificantes.

Et ipsi quidem emissi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt in Cyprum. Et quum essent Salamine, annunciauerunt sermonem Dei in synagogis Iudæorum. Habebat autem & Ioannem ministrum.

Iterum monemur Apostolos non fabulas humanas, sed verbum Dei prædicasse.

Et peragrata insula vsq; ad Paphum, inuenerunt quendam magũ pseudoprophetam Iudæum, cui nomen erat Bariehu: qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente.

Non singula describit quæ in illa patrarunt insula. Semper enim veritatis ratio sibi constat, nec mutatur cum tempore. Eadem ergo prædicatio Christi subinde esset scribenda, si singulas conciones percensere vellet, quas in singulis habuit locis. Eundem enim Christum eandem iustitiæ viam pari prorsus ratione, & modo prædicarunt omnibus. Proinde descripta vna aliqua oratione Pauli, qualis illa est quæ paulò post sequetur, illæque fuerunt quas Petrum, Stephanum, & Philippum habuisse relatum est, sensum medulam ac substantiam omnium habemus. Consulto itaque peculiaria duntaxat persequitur, nempe quómodo Sergius eius insulæ proconsul ad fidem sit conuersus, & Magus homo veritatis præsidio sit superatus. De Magia dictum est in cap. 8. Et Magi nomen tunc non infame erat, sed laudatissimum, significans virum philosophum sapientem siue Prophetam. At Lucas hunc vera nomenclatura dignatus, pseudoprophetam veluti impostorem ac seductorem vocauit, qui Prophetam mentitus præstigijs sibi authoritatem pararit. Et de nomine huius impostoris non video conuenire doctis alijs aliud diuinantibus. Sunt qui credant hanc vocem Bariehu

Qua ratione in paucis omnia complexus Lucas.

corrupte

corruptæ scriptam esse. Sunt alij qui filium Iesu vel saluatoris exponant: in hoc autem se torquent quod hoc nominis exposuerit per Elymas quasi Elymas idem sit quod Bariehu. Hic ergo alij putant Elymas Syris significare Magum ac pseudoprophetam. Alij Censum Dei mei: siue mensuram Dei, אלי enim significare Deus meus, & מס censum. Sunt alij qui dicant Bariesus dictum à parentibus, sed Elymas ob vitæ meritum. At Theodorus Bibliander Ecclesiæ nostræ in diuinis scripturis Lector atq; interpres, quo haud scio num aliud hodie festiuius, eruditius & maiori pollens iudicio viuat ingenium, existimabat Bariesus ascititiū fuisse viri nomen, quasi tu dicas, Filius Iouis, vel filius saluantis, quo nomine sibi homo Iudæus voluerit apud Gentilē pro artis suæ pretio cōciliare nomē. Deinde vero ipso nomine proprio dictum fuisse Elymā magum. Elymā inquam, quasi quis transpositis aliquot literis dicat Eliam aut Elisama. Proinde obseruandum esse, quod historicus non scripserit οὕτως γὰρ ἑρμηνεύεται, sed μεθερμηνεύεται αὐτοῦ. Hoc enim pollere loquutionem. Sic enim alia enunciatione appellatur nomen eius: itaque totius loci difficultatem oriri ex eo quod expositores μεθερμηνεύεται vocem, ad etymologiam superioris vocabuli explicandam magis, quam ad aliud proprium Magi nomen exprimendum, spectare arbitrabantur. Porro de proconsulari potestate scripsit Fenestella de Mag. Rom. capite vndecimo. *Theodorus Bibliander.*

Hic accersitis Barnaba & Saulo desiderabat audire sermonem Dei.

Prudentiam suam singularem hoc ipso declarauit quod cognoscere prius vellet doctrinæ genus, quam incognitum damnare. Eleganter enim Tertullia. in Apologetico cap. 1. Quid iniquius (inquit) quam vt oderint homines quod ignorant, etiam si res meretur odium? Tunc etenim meretur, quum cognoscitur an mereatur. Vacante autem meriti notitia, vnde odij iustitia defenditur? quæ non de euentu, sed de conscientia probanda est. Habes autem in hoc Sergio Paulo viro forti & prudente, quid nostrum quoque deceat magistratum. Desiderat hic audire sermonem Dei, desiderent hoc & illi. Audita veritate, relegat à se impostorem, & in veritatem iuratus abnegat omnem superstitionem. Id si nostri quoq; facerent, minus innocentis sanguinis funderent. Boni principis exemplar gessit Dauid quoq;, Iosaphat, Ezechias & Iosias, qui omnes suscepta Dei veritate, falsis Prophetis & superstitionibus vale dixerant, & regnum suum posthac iuste ac sancte per fidem administrarunt. *Prudentia.* *Bonus princeps.*

Resistebat autem illis Elymas magus; sic enim interpretatur nomen eius quærens auertere proconsulem à fide.

Quemadmodum vnquam non deerunt qui veritatem propter sua commoda ex timore, ne quid compendijs suis decidat, impugnabunt, ita semper illi ipsi à veritate superabuntur. Gerit enim hic magus omnium eorum typum, qui hodie ventris gratia non modo plebem, sed & ipsos principes à veritate auertunt, ad persequutiones animant, auitamq; nescio quam fidem iactitant, dicentes parentes illorum non fuisse stultos neque infelices, qui tamen hanc fidem ignorarint. Ecclesia enim non modo à tyrannis persequutionem patitur, sed à mendacibus quoque doctoribus, à magis, hæreticis & impostoribus. Sed audi iam masculam Pauli responsionem. *Impietas & auaritia resistit Euangelio.*

Saulus autem qui idem Paulus, repletus Spiritu sancto, intentis in eum oculis dixit: O plene omni dolo, & omni versutia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis inuertere vias Domini rectas?

Diuus Hieronymus in epistolam Pauli ad Philomonem scribens, omnino existimat hoc primum Pauli nomen à Sergio Paulo inditum esse Apostolo, qui prius semper sit Saulus vocatus, nunc autem trophei vice Pauli nomen sibi sumpserit, quod virum tantum lucrifecisset Christo. Subscribit illi in suis in nouum testamentum annotatis Valla. Sed Erasmus diuersum quiddam, sed scite obseruatum annotauit super 1. cap. epistolæ ad Roman. Priusquam vero Pauli in Elymam inuectiuæ summam ascribat, duo notat. Prius, Paulus repletus Spiritu sancto dixit, significans omnem virtutem non hominis, sed Dei esse, cum quo negotium sit omnibus hypocritis, in quos tandem ipsemet animaduertat Deus, Paulus intentis in Elymam oculis dixit. Hoc enim significauit historicus quanta animi constantia, quā grauibus moribus, quam denique vultu seuero & verendo causam suam egerit aduersus Magum. Discant ergo hinc ministri verbi Dominici quid se suoque officio dignum faciant. Audiant & verborum pondus, nullo delibutum lenimine, sed graue prorsus ac admirandum. Ex abrupto enim per exclamationem indignatione pro sceleris magnitudine plenissimam exclamat & ait, O plene omni dolo, &c. Accusat autem in eo dolum malum. Quid enim aliud est Magia, quam impostura & dolus ad circumueniendum & imprudentibus nummos extorquendum *Pauli nomen.* *Accusatio impietatis Bariesu.*

excogitata? Deinde accusat improbitatem hominis. Nam ῥᾳδιουργία, quod Latinus vertit Versutia, pro pensionem significat ad quoduis facinus patrandum: à ῥᾴδιον facile ἐργάζομαι operor: quales Germanice vocamus schantliche liederliche Büben/gschwind durchtriben in aller schalckheyt. Cæterum filium diaboli vocat, rationem nominis sui, per Antiphrasin, habens. Quasi dicat: Bariesus diceris veluti altissimi Dei filius, sed reuera ipsissimi diaboli es Filius, qui & ipse veritatem odit, & mendacium colit. Iam nulla iustitia vera est quam quæ ex fide per veritatem est. Igitur cum proconsulem cuperet à fide reuocare, recte dicitur innimicus esse iustitiæ. Quanquam videri poterat verbis inesse enallage, & Omnis iustitiæ dictum esse pro omni eo quod sanctum, æquum & iustum est. Non possunt autem non odisse eiusmodi impostores puritatem & sanctimoniam veram, qui impuritate & rebus prophanis nutriuntur. Postremo per interrogationem vehementer incensa oratione (quãquam alij citra interrogationem legant) accusat illum pessimi sceleris Deprauationis videlicet. Διαστρέφειν enim significat res planas inuoluere, & ex rectis facere tortuosas. Nihil autem simplicius, purius & rectius est veritate Christiana: at hanc peruertimus cum bene dicta male interpretamur, siue aliquid de nostro assuentes, siue aliquid detrahentes, siue inuertentes, siue in suspicionem malam trahentes, & breuiter, quoties de veritate nostri lucri gratia improbe & inhoneste loquimur, aut lucem tenebris nostris data opera obfuscamus. Vitium hoc nostro seculo vsitatissimum est. Sunt enim maximi nomins viri, qui de fide nostra pessima quæque prædicant, quæ tamen de suo addunt, in hoc autem illud faciunt, vt à veritate Euangelica auertant plurimos. Quid enim non comminiscuntur in nos? Clamant à nobis sacramenta conculcari, Ecclesias diripi, diuos à nobis nullo in loco gradúue haberi, virtutes proscribi quasque, contra vero plantari omnis generis scelera, denique liberum esse apud nos fidem sancte datam frangere, luxuriari, quiduis impune tentare, tumultuari, & edicta principum sancta aspernari. Quæ tamen omnia nos ita abhorremus, vt summa seueritate vtentes eiusmodi extremis arbitremur dignos esse supplicijs. Isti potius Elymæ sui præceptoris non pœnitendi, discipuli, deprauatione illa quam nobis impingunt simplices à doctrina nostra, quæ veritatis est, absterrent, vt stupidis, per omnia scelerum genera grassantes, imperitare liberius & viuere possint suauius ac magis securi.

Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo ac tenebræ, & circumiens quærebat, qui se manu ducerent.

Condigna sceleri pœna. Quemadmodum olim Alexander imperator præsignem aliquem nactus impostorem, in foro transitorio ad stipitem ligari præcepit, & fumo apposito, quem è stipulis & lignis humidis fieri iusserat, necauit, præcone dicente: Fumo punitur qui vendidit fumum: ita non alia plaga Dei dignior erat hic tenebrio Elymas, quam vt cæcitate puniretur, qui & errorum nebulas deperibat, & tenebras optimis quibusque offuderat. Demonstrabat autem Proconsuli per hanc pœnam Dominus, quod præstigiosa ac cæca esset professio, quam hactenus magno apud imperitos venditarat impostor. Occæcantur etiamnum animis qui terrena malunt quam cœlestia. Nam omni habenti datur, &c. Ad hypotyposim vero facit quæ cæci exprimit gestum, quod videlicet ille alienis ducitur manibus. Historia enim res gestas non tantum narrat, sed etiam ob oculos spectandas proponit.

Tunc proconsul quum vidisset quod acciderat, credidit, admirans super doctrina Domini.

Vt ex victoria Petri atque Philippi à Simone Mago reportata, multum gloriæ negotio Euangelij accessit: ita hoc loco non minor illi contigit, vbi Elymas qui se hactenus blasphemo titulo Filium Dei vocari iussisset, superatus, visum amisit. Est ergo veritas immortalis.

Cum autem à Papho soluisset Paulus, qui cum eo erant, venerunt Pergen Phamphyliæ. Ioannes autem digressus ab eis, reuersus est Hierosolymã.

Ioan. Marcus. Matt. 8. et 10. Luc. 9. Defectio Ioannis Marci postea acerrimam peperit inter summos hosce Apostolos contentionem. Parum enim honesta erat defectio. Nam ex pusillanimitate, & fortassis ex patriæ (vt fit) desiderio oborta, & proinde Paulo suspecta fuit. Patriam illius audiuimus in duodecimo fuisse Hierosolymam. Cæterum qui credidere hunc illum esse Marcum; qui postea Petrum secutus, Euangelium scripserit, & Alexandriæ prædicauerit, forsan non expenderunt plurimos eius nominis fuisse viros. Quanquam nobis nulla sunt argumenta certa, quibus conuincamus Ioan. Marcum non fuisse eum qui dicitur. Verum illi quoque nihil habent nisi coniecturas. Parum autem compendij siue dispendij attu-

dij attulerit,siue is Euangelij scriptor fuerit,siue non fuerit.Si autem Euangelistes fuit,iam hæc defectio non plus derogarit authoritati nominis eius,quam abnegatio Petri,ipsi Petro derogauit.

Cæterum ipsi peragratis regionibus,à Perga venerunt Antiochiam Pisidiæ,& ingressi synagogam die sabbatorum,sederunt. Post lectionem autē legis ac Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres,si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem,dicite.

Multa his insunt dogmata egregia. 1. Veritatem non horrere lucem,sed in medium prodire. Hinc enim Paulus & Barnabas in publicam ingrediuntur synagogam. 2.Sabbatum in hoc esse institutum vt in hoc rebus vacemus diuinis,nempe orationi,lectionibus ac concionibus sacris. De qua re alias.3.Modestiam viros decere Apostolicos summam.Proinde Apostolijhoc loco non importune & impudenter se ingerunt,& more Anabaptistarum clamitant: Audite verbum Domini,Pœnitentiam agite:sed silentes expectant dicendi occasionem. 4. Legem & Prophetas, hoc est, sacros libros in publicis conuentibus esse tractandos,non nugas aut humanas leges. Transumpsit hoc primitiua Christi Ecclesia à Iudæorum synagoga,diligenterque obseruauit,vt liquet ex Originis,Ambrosij, Augustini monumentis,donec inscitia superante omnis scripturarum publica tractatio redigeretur ad inutilem cantum,siue ad horas(vt vocant)canonicas,quæ vtique ab initio à canonicis scripturis, quæ proculdubio à Prophetis in collegijs ecclesiasticis quotidie tractabantur,nomen adeptæ sunt. 5. Prophetiam non esse aspernandam, aliorumque in interpretatione & exponendis scripturis audiendas esse sententias. Hinc primores synagogæ Paulo & Barnabæ dicendi potestatem faciunt.

Sabbatum. *Horæ Canonicæ.* *1.Cor.14.*

Surgens autem Paulus,& manu silentium indicto,ait: Viri Israelitæ:& qui timetis Deum,audite:Deus populi huius delegit patres nostros:& populum in altum extulit,quum essent incolæ in terra Ægypti:& brachio excelso eduxit ex ea, & circiter quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Ac deletis gentibus septem in terra Chanaan,sorte distribuit eis terram eorum: Et post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta,dedit iudices vsq; ad Samuelem Prophetam.Et exinde postulauerunt regem:deditq; eis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin,annis quadraginta.Et amoto illo, suscitauit illis Dauid vt esset rex, cui testimonium reddens dixit: Inueni Dauid filium Iesse,virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

Gen. 47. *Exod 14.* *Iosue 12.* *Iosue 13.* *1.Reg 10.* *1.Reg.16.*

Hic primus est Pauli sermo,qui memoria proditus sit sanctarum literarum, adeo similis superioribus Apostolorum orationibus,vt non ouum ouo sit similius. In huius autem principio mire captauit beneuolentiam,in eo quod Israelitas vocat,& à timore Dei commendat, subindcans eos de horum numero esse,quorum salus Deo curæ fuerit, & se de illa salute non nouo aliquo Deo aut nupera fide disserturum.Est autem oratio generis suasorij.Siquidem Iudæis suadet, vt Christum Dominum fide suscipiant. Cæterum hoc ipsum altissime repetita expositione orditur, ex anteactis Dei comprobans veritatem,iustitiam & clementiam, quam tamen nullis in rebus æque demonstrarit, quam dum filium suum Iesum Christum orbi exhibuit.Hic autem ostendit quis is sit,quomodo prędicatus sit,quid passus,& quam ob caussam tam indigna passus sit,quomodo idem resurrexerit, quo modo omnia ista scripturis sint prodita confirmataq;,quis eorum fructus,item quid eos maneat,qui prædicatum contemnant.Hęc omnium summa,& hic totius orationis status est.De prima ex sacris expositione historica non est quod multis agam,nisi fortassis illud moneam, videri posse Paulum tam alte à rebus vetustis petito principio voluisse significare, Deū hoc ipso quod patres elegit, quod de Ægypto eduxit,& in terram Chanaan septem deletis gentibus induxit, salutem adumbrasse fidelium:cæterum illam nullis meritis nostris deberi,sed electioni & misericordiæ Dei, item salutem illam nullo terreno regno,nulla seculi quiete,ac ne vllis quidem bonis quę fortunæ dicuntur,futuram fuisse vocatis, sed spirituale esse quod per corporalia designatum fuerit, nempe regnum cœleste incomparabile,incomprehensibile & æternum,quod non ex nobis,nec pro meritis nostris, sed ex immensa sua misericordia daturus sit omnibus ijs qui post completæ legis tempora in Iesum Christum natum secundum carnem ex semine Dauid,& multis signis testimonijsque comprobatum filium

Oratio Pauli docta. *Beneficia patribus exhibita.*

Dei nihil hæsitantes crederent. Iam loci scripturę è quibus illa omnia sumpsit Paulus omnibus sunt notissimi. Porro numerum annorum 450. sunt qui referant ad superiora, vt ab altiori principio repetitus videatur, nempe à natiuitate Isaac vsque ad tempus Iosue, & initium possessionis terræ Chanaan. Verum sic non congruunt anni. Nam ipse Moses in Exodo, Habitatio autem (ait) filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. His si addas. 40. annos quos in deserto transegit populus, 470. annos constitues, vt interim aliorum annorum non meminerim. Proinde non congruit computatio. Verisimilius est Paulum deduxisse computationem ab anno exitus Israel ex Ægypto ad Dauidis vsque tempora: quandoquidem non aliud agit, quam vt serie temporum & rerum gestarum indicata, à Mose ad Dauid perueniat, ex cuius semine Christum saluatorem secundum carnem natum esse doceat. At hic melius quadrabit annorum computatio. Nam 3. Reg. 6. ab anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti vsque ad quartum annum regni Solomonis colliguntur anni quadringenti octoginta, cui summæ si quadraginta annos detraxeris (tot enim annis imperitauit rex Dauid, vt habetur 2. Reg. 5.) restant anni plus minus à Mose ad Dauid quadringenti quadraginta. Porro annis circiter quadringentis Paulus dixit, vt plus minúsue redderet exactior supputatio. Sic enim loqui solemus vbi de certo & exacto numero nobis non constare innuimus. In hanc autem computatione comprehendimus & annos Samuelis & Saulis, quibus & Eusebius in Chronicis quadraginta tribuit annos. De reliquis vero huius loci videre est historiam sacram.

huius è semine Deus, ita vt promiserat, adduxit Israel seruatorem Iesum, quum antè prædicasset Ioannes ante faciem introitus eius baptismum pœnitentiæ Israeli. Cum autem implesset Ioannes cursum, dixit: Quem me arbitramini esse? Non is sum ego, sed ecce venit post me cuius non sum dignus soleam pedum soluere.

Historia de Christo. *Psal. 131.* Hic post longiorem expositionem delabitur ad prædicationem Christi, in cuius principio tradit Christum esse Messiam promissum, verum Deum & hominem è prosapia Dauidis ortum. Idque confirmat testimonio Ioannis Baptistæ, qui fortassis apud Antiochenses Prophetæ fidem habebat. Et sane Baptista præcursor clarissima diuinæ naturæ præterea & totius Euangelici negotij de pœnitentia & remissione peccatorum testimonia tulit. De quo plurima Ioannes in cap. 1. Iterum autem vides negotium Ioannis Baptistæ misceri negotio Euangelico hunc non minimum esse Euangelij præconem. De qua re superius disputatum est.

Viri fratres, filij generis Abrahæ, & qui inter vos timent Deum, vobis sermo salutis huius missus est.

Pulcherrima veterum historiarum inductione venit ad prædicationem Christi, quam nunc ea parte prorsus absoluit qua per Ioannem præcursorem cœpta est: asserens Iesum illum esse Christum quem promiserint lex & Prophetæ. Iam cum noua hæc prædicatio plurimos offendere potuisset, iterum exordiolo quopiam lenit ac præparat auditorum animos, monens vt in officio audiendi permaneant. Addit stimulos efficacissimos, dum filios Abrahæ compellat, timentes Deum dicit, & maximam vtilitatem proponit, dicens, Vobis (ad Iudæos enim peculiariter spectabat negotium salutis) sermo salutis huius missus est: proinde qualis sit intelligite.

Qui enim habitabant Hierosolymis, & principes eorum, cui ignorarent illum, & voces Prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, condemnato eo impleuerunt, nullaque causa mortis inuenta, petierunt à Pilato, vt interficeret illum.

Rursus ne protinus obijcerent, Si Messias erat, qui factum, vt Herosolymis quæ Messiæ sacra vrbs est & doctissimorum simul & pijssimorum hominum feracissima, crucifixus sit? Respondet, Quicquid ab illis qui Hierosolymis agunt, factum est, in totum ex ignorantia, deinde vero ex præscientia Dei factum est: qui per Prophetas suos prædixit Christum passurum. Id ergo completum esse, annuciamus vobis. Nec est quod quenquam supplicij genus ceu cōmercium remoretur. Nam nulla caussa mortis in eo inuenta est, propter quam merito puniri potuisset. Proinde quicquid passus est, nostri caussa passus est, vt morte indebita soluerentur nostra erga Deum debita innumera. Ita aliud interim agens pulchre prædicat ipsis crucem & mortem Christi.

Cumque

Cumq; consummassent omnia quæ de eo scripta erāt, depositum de ligno posuerunt in monumento. Deus autem suscitauit eum à mortuis, qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymam, qui sunt testes eius apud plebem.

Iam verò morti addit sepulturam & ex mortuis resurrectionem, vt plenam haberent mysteriorum Christi prædicationem. Iterum autem immiscet authoritatem scripturæ, quo minus offenderentur ignominia crucis. Deinde eiusdem rei caussa resurrectionē quoq; subiungit, qua & diuinam comprobat Christi naturam, & vitam in Christo omnibus restitutam. Addit resurrectioni eadem illa argumenta, quæ Petrus in orationibus superioribus.

Et nos vobis annuntiamus, quòd eam repromissionem, quæ ad patres facta est, Deus adimpleuit filijs illorum, nimirū nobis resuscitato Iesu, sicut & in Psalmo primo scriptū est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quòd autem suscitauit eum à mortuis, iam non amplius reuersurum in corruptionem, ita dixit: Dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideo & aliâs dicit: Non permittes vt sanctus tuus videat corruptionem. Nam Dauid quidem cum suæ ætati inseruisset, consilio Dei, dormiuit: & appositus est ad patres suos, viditq; corruptionem. At is quem Deus suscitauit, non vidit corruptionem.

Testimonia historiæ Christi.

Hactenus videtur nuda contexta esse historia, nunc adijciuntur testimonia, & fructus historiæ, hoc est, rerum Christi indicatur. Fructus hic est quòd in Christo Iesu omnes thesauri rerum cœlestium sunt exhibiti fidelibus, hoc est, quod quęcunq; Deus per Prophetas promisit, ea per Christum compleuit. Factus est enim hic nobis à Deo sapientia, iustitia, & sanctificatio, & redemptio: via, veritas, & vita: resurrectio, & omnium rerum plenitudo absolutissima. Sub testimonia autem referuntur treis præ citati scripturæ loci. Primus est Psal. 1. (sub 1. enim Psalmum retulit eum, qui nobis est 2. quod etiam ipse Augustinus fecit, aut certè qui nobis primus est, veluti Prologus operi Psalmorum præpositus est) & testimonium fert diuinitati, afflictionibus & regno Christi. Neq; enim verisimile est quod Apostolus vnicū tantùm ex Psalmo citarit versum, sed totum potius Iudæis enarrarit. Lucas ergo indicem rerum potissimarum contexens, versu citato, totum Psalmū monuit esse consulendum. Iam si totum consulas, videbis hoc probari atq; describi Christi diuinitatem, humilitatem, victoriá, ac regnum. Atq; ad hunc statū redige Psalmū totum, & nulla inerit difficultas, maximè cum ius nōnihil expositum sit & in cap. 2. Secundus locus pari consilio, ratione ac modo transumptus est ex Isa. cap. 55. In eo enim copiosissimis verbis describitur gratia Dei per Christum nobis exhibita. Ergo Sanctum posuit pro fœdere. Fœdus autem (vel Ieremia teste) pro peccatorū remissione, quæ nobis contingit ex merito Christi, quē Dauidem vocat Propheta, eò quòd Dauidi promissus sit Christus, & ex eodem natus secundum carnem. Porrò tertius locus desumptus est ex Psal. 15. & resurrectioni fert testimonium. Quemadmodum pluribus in cap. 2. indicauit Petrus. Quòd autem hi loci interpretes nonnihil torserunt, factum est, quòd non viderunt illos non vnius duntaxat resurrectionis esse testimonia, sed totius negotij Christi. Meminit sanè resurrectionis, sed per Synecdocham meminit, vt interim alia Christi non excludat opera negotiaq;.

Ich wil üch das sinder trüt Dauids trüwlich geben.

Notum igitur sit vobis viri fratres, quòd per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur.

Fructus rerum Christi.

Posteaquam ergo enauigasset è testimoniorum scopulis, collectis velis ruit in portum, verbisq; apertissimis exponit fructum rerū Christi, & quid per ipsum orbi sit donatum, plenitudo, perfectio, & plenaria peccatorum remissio. quam hic obiter indicat contingere non merito, operibus aut vllo legis præsidio, sed pura Dei per Christum gratia. Quod idem Paulus in Epistola ad Romanos, Galatas ac Hebræos fusissimè persequitur. Et D. Aurelius Augustinus idem tractans argumentū, De spiritu & litera ad Marcellinum lib. cap. 13. & 14. euidentissimè probat hominem iustificari non lege operum, sed fidei: non litera, sed spiritu: non factorum meritis, sed gratuita gratia. Idem agit & aduersus Pelagianos de Peccato originali, libro 2. cap. 26. Item de Natura & gratia capite 2. & 3. In 4. verò cap. eiusdem. Hæc igitur Christi (inquit) gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod & gratia nominatur. Et in 14. capite

de spiritu & litera. Cum de lege (ait) dicimus quòd non iustificet, non tantùm intelligimus legem ceremoniarum, sed Decalogi quoq; tabulas. Vide Rom. 8. 3. 4. Gal. 3. & Ioan. 1.

Videte ergo ne superueniat vobis, quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & euanescite, quia opus operor ego in diebus vestris, quod non credetis, si quis enarrauerit vobis.

Minæ aduersus contemptores Euangelij.

Suasit Iudæis Christo Domino fidant, hic hortationi iungit minas, quæ quo grauiores essent, propheticis verbis recenset. Et quanquam omnes Prophetæ de pœna incredulorum ac perfidorum multa dixerint vbiq;, vnicum tamē Abakuk testimonium ex 1. cap. petitum producere voluit, quod satis atrox ac horribile solum sufficere videretur. Equidem apparet Apostolum ex habitu & gestu auditorum præsensisse multos assidere, qui Euangelij & Christi contemptu intumuerint, qua re permotus propheticum suppegit testimonium. Hoc autem suo negotio adaptauit per ὁμοίωσιν, quam Cicero Collationem vertit. Nam hic est sensus Pauli, Videte ne forsan contemnatis viuificum Dei verbum, quemadmodum olim maiores vestri verba Prophetarum cohortantium ad pœnitentiam contempserunt, & pereatis miserè, quemadmodum illi quoque perierunt, oppressi iugo regis Babylonici. Nam de captiuitate Babylonica & vrbis excidio per Nabuchodonosorem loquitur Propheta: cui probè tandem respondit vastatio vrbis per Titum. Rebus adhuc saluis nemo credit, quod tandem, vbi nihil profecerit Dei longanimitas, omnes experiri coguntur. Sed & de re vehementer dicimus, Maius est quàm quòd quisquam credere possit. Iam quod nos legimus, Et euanescite, Græcè est καὶ ἀφανίσθητε. Est autem ἀφανίζω non modò euanesco, sed demolior & marcesco: quæ duo cum ipsa re idem polleant cum superiore, vtraque tamen magis huc quadrant quàm illud. Est enim sensus Prophetæ, Cum mala prædicimus futura, vos prorsus contemnitis: aderit ergo tempus, quo mala experiemini, nempe dum in Gentes longè abducti admirabimini quòd in tantam potueritis venire calamitatem, ibi ergo obstupescetis, & miserè marcescetis miseria. Hæc de prædicatione Pauli, quæ neglectis omnibus ceremonijs, ritibus, traditionibus & constitutionibus humanis, ad vnum Christum vocat, in illo omnia exhibet, adeò vt extra hunc nulla sit salus, sed calamitas extrema. Confer hæc cum illa fidei absoluta regula, de qua diximus in Capite secundo, cum disputaremus de doctrina Apostolorum.

Egresis autem è cœtu Iudæis, rogabant Gentes, vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba. Soluto autem cœtu, sequuti sunt multi Iudæi & religiosi proselyti Paulum ac Barnabam, qui alloquentes suadebāt eis, vt perseuerarent in gratia Dei.

Reclamatur veritati.

Exponit nunc concomitantia prædicationem Euangelij, quàm varie ad illud afficiantur homines. Nam Euangelium alijs odor vitæ est ad vitam, alijs odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. Hinc est quod alij quidem, qui suæ innitebantur iustitię & externa quædam magni pendebant, Euangelium horrent: alij contrà ambiunt ac amplectuntur, Gentes in primis, quæ peccatis graues iam olim senserant reatus, externis ac viribus humanis expiari non posse. Pauci ex Iudæis salutem sitiunt: nam suæ iustitiæ fidunt. Attamen non omne semen Israelis reiectum est: saluabūtur enim reliquiæ, Rom. 11. Has hoc loco monent Apostoli, vt in gratia Christi perseuerent. Vbi iterum videmus quod perseuerantia pietatis veræ anima est.

Sequenti verò sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit ad audiendum sermonem Dei. Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, contradicentes ac loquentes blasphemias.

Inuidia sequitur veritatem, crux Euangelium.

Conueniunt sanè, sed partim rerum nouitate permoti, partim pietate illecti. Illius caussam aiūt esse curiositatem, quam ille dicebat Leuitatis esse filiam. Nullam enim in hac inueneris cōstantiam. Huius porrò caussam rectissimè censent spiritum Dei bonū esse, quo docti mortales miseri sentiunt peccati grauamina, quæ nulla alia re tolluntur, quàm doctrina Euangelica. Porrò Iudæi iterum funguntur officio suo, inuident, æmulatione ringuntur, metuunt ne quid suæ decedat authoritati & quæstui si Apostolis adhæreat ciuitas. Proinde insidiantur, occlamant, conuitiantur & insaniunt. Græca enim vehementissima sunt, ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες, contrastrepentes & conuitiantes. Typum autem gerunt omnium impiorum, qui hoc atrociores sunt veritatis hostes, quo religiosiores videri volunt veritatis & iustitiæ esse cultores, imò defensores: defendunt interim suam existimationem & vtilitatem. Pauci ex stulto zelo gloriam Dei quærunt. Eiusmodi & nostra secula plurimos habent,

habent, qui plenis buccis & lateribus firmis prosiliunt, & voce Stentorea Euangelicæ veritati ceu hæreticæ & nuperæ doctrinæ occlamant, remurmurant & conuitiantur.

Tunc sumpta fiducia Paulus ac Barnabas, dixerunt: Vobis oportebat primum loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes, sic enim nobis præcepit Dominus: Posui te in lucem gentium, vt sis salus vsque ad extremum terræ.

Oportet ergo episcopum ita doctum esse, vt potens sit contradicentes conuincere, & mentium seductoribus os obturare. Itaque fungitur Paulus boni pastoris officio. Magna enim authoritate confutat Iudaicam perfidiam, Domini iustitiam, veritatem & clementiam ab istorum vindicat calumnijs, atque in ipsos Iudæos omnem damnationis culpam retorquet. Deus (inquit) præstitit quod promisit. Filium & in eo omnem promisit perfectionem, hunc iam misit, & in ipso vobis omnem præstitit plenitudinem, vobis inquam Iudæis filium suum peculiariter misit. Præcepit enim, vt vobis primùm hanc salutem nunciaremus. Nuntiauimus ergo, & ecce vos repellitis obuiam. Ne ergo post hac exitij vestri authorem feceritis Deum, ipsi enim indignos vos facitis æterna vita, quandoquidem tenebras quàm lucem mauultis. Nunc ergo vobis in malitia relictis ad Gentes conuertimur, vt illis misericordiam ac regnum Dei annuntiemus. Quòd si cui vestrum id videatur impium, is audiat Dominum de Messia per Prophetam Isaiam 49. dicentem, Posui te in lucem Gentium, vt sis salus vsque ad extremum terræ. Duo autem monentur hoc vaticinio. Prius, quòd Christus lumen annuntiaturus sit etiam prophanis Gentibus. Id quod & Simeon iustus apud Lucam in 2. testatus est. Proinde ne Gentes quidem à veritatis lumine exclusæ sunt. Posterius, quòd Christus non tantùm Iudæis, sed omnibus etiam Gentibus credentibus in eum, salutaris futurus sit. Quæ cum ita habeat, Non (inquit) peccamus, quòd vobis desertis ad Gentes transimus. Sic ipse Dominus neglectis Pharisæis, dixit, Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Nemo enim sanus facilè dixerit palàm impijs, hypocritis siue blasphemis omnia concedenda, semper cedendum aut dissimulandum esse.

Reclamantes abijcit.

Vide cui malũ & peccatum imputes.

Audientes autem Gentes, gauisæ sunt, & glorificabant sermonem Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.

Quemadmodum peccata animum deijciunt, ita gratia abiectum surrigit & confirmat. Proinde Gentes peccatis hactenus oppressæ lętantur iam de gratię Dei auxilio, non de excęcatione Iudaica, Rom. 11. Quòd autem illos credidisse ait, qui ad vitam fuerint ordinati, notat fidem non esse meriti humani, sed misericordiæ Dei ac electionis. Nam Petro in Euangelio confitenti Christum, dicit Dominus, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ad Nicodemum, Nisi quis (inquit) renatus fuerit è supernis, nõ poterit videre regnum Dei. Item Ioan. 6. idem Dominus, Nemo (ait) venit ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Hi loci omnes non imputant Deo culpam damnationis impiorum, sed magis conuincunt electionem & gratiam Dei caussam esse salutis piorum: ne quis viribus nostris ascribat, quod solius Dei est. Plura de hac re Paulus in Romanis, & in 1. capite ad Ephesios, item Augustinus in libris de Ordine ad Zenobium. Nam in 7. capite libro 1. non minus venustè quàm verè dixit, Quòd mala quamuis ordine (quem Deus diligit) contineantur, consequens tamen non est, vt Deus mala diligat, quæ etiam necessario esse ex Dei iustitia conuincitur. Præterea ordo iustificationis & vitæ sic habet. Deus elegit nos antequam iacerentur fundamenta mundi, sed elegit in Christo, vt in hoc ipso essemus irreprehensibiles. Et hoc quidem salutis negotium multis seculis Gentibus non retexit, in fine autem temporum per Euangelij prædicationem vniuerso orbi aperuit. Proinde qui iam huic prædicationi credunt dicuntur ordinati esse ad vitam æternam. Qui autem non credunt, non sunt ordinati ad vitam. Non quod Deus iam olim abiecerit istos, & Dei culpa & morositate non credant: sed quod ipse Deus in suo illo ordine & consilio delegerit, qui Christo fidunt. Huic autem cum hi nolint fidere, sua culpa sese ex hoc ordine excludunt. Quod enim Deum attinet, iubet hic omnibus Gentibus prædicari Euangelium. In hoc annuntiatur illud Dei consilium quod velit per Christum omnes Gentes saluos facere. Aduocantur ergo ad hanc salutem promiscuè omnes, nec quisquam est cui non aliquid doni impartiat bonus Dominus. Quod ergo quidam credunt, diuinæ vocationis est: quod autem quidam non credunt, non Deo imputandum est, sed humanæ perfidiæ. Vnde & Paulus dixit, Quoniam indignos vos iudicatis æterna vita, &c. Plura de his alibi.

Fides est ex Deo.

Diuulgabatur autem sermo Domini per vniuersam regionem. Iudæi verò extimulauerunt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, &

excitauerunt persequutionem in Paulum & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis.

Consilium de proscribenda veritate.

Inuitis omnibus verbi Dei hostibus propagatur verbi dei gloria. Cęterum nullibi cessat impietas, sed semper solicita sibi vndiq; corradit subsidia, & ea quæ maximam authoritatem ac adminiculandi vim habere videntur. Ergo Antiochenses Iudæi non imprudenter incitabant aduersus veram pietatem mulieres primarias, quas plurimum posse norant, cum quòd religiosæ, hoc est, superstitiosulę, veram pietatem impotentius odirent, cum quòd procerum in vrbe vxores, non modò maritos in persequutionem armare, sed & sanctitatis specie quoslibet in odium veritatis poterant exasperare. Et sæpius muliebri solertia, imò stultitia abusus est satan ad maximas res perficiendas. Notissimum est facinus Euæ, Dalilæ, Herodiadis, & aliarum multarum. Superstitione ergo & impotentia muliebri, opinione quoq; vulgi, & procerum iniusta potentia, armati, in veritatis ministros feruntur, & efficiunt vt publico edicto interdicatur ipsis vrbe ac agro. Crediderunt enim Apostoli proscriptis veritatem subsistere non posse. Id quod & nostri sperantes non minus falluntur, quàm illos constat esse delusos. Sequitur enim, Porrò discipuli replebantur gaudio & Spiritu sancto. Mira autem est illorum & nostrorum temporum collusio, vt vel hæc vnica hypotyposis nos admodum animaret confirmaretq;, si veritati crederemus.

At illi excusso puluere pedum suorum in eos, venerunt Iconium. Porrò discipuli replebantur gaudio & Spiritu sancto.

Matth. 10.

Hoc enim tradiderat in Euangelio Dominus, dicens: Quicunque autem non audierint sermones vestros, exeuntes ab eis, excutite puluerem de pedibus vestris. Iam ne quis illud tanquam leuiculú contemneret, addit: Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm hominibus illis. Illa verò excussionis vestium χρεία id in primis significari voluit Dominus, quòd adeo abhorreant ab eorum consortio, vt etiam puluerem eius terræ, in qua illi inhabitent, nolint: quòd adeo non ambiuerint istorum facultates Euangelij prætextu, vt puluerem etiam rem omnium vilissimam nunc excutiant restituantq;: & quod nihil parcitum sit labori, omnia quæ ad salutem ipsorum facere videbantur sint tentata, sed frustra, non Dei culpa, sed istorum improbitate, & proinde Deum ac ministros eius vacare omni culpa, in cuius rei testimomnium iamiam excutiant in ipsorum capita omnem culpam ac condemnationem futuram. Atque hanc genuinam esse Excussionis significationem, testatur ipse Apostolus Paulus apud hûc historicum nostrum huius libri capite 18. Ibi enim excussis vestimentis, addit, Sanguis vester super caput vestrum. Mundus ego posthac ad Gentes vadam. Ex quibus omnibus intelligimus quę sit potestas Clauium, quas tradiderat Apostolis Christus, quid sint, & quomodo Apostoli illas administrarint. Claues aliud nihil sunt quàm Euangelij annuntiatio. Hæc nuntiat pœnitentiam & peccatorum remissionem, nempe quòd quicunque crediderint, salui futuri sint: qui non crediderint, condemnandi sint. Quoties ergo prædicatur verbum Euangelij, claues proferuntur, quibus aperitur & clauditur. Aperitur enim credentibus vita. Incredulis verò clauditur vita: idque non hominis ministri, sed verbi Dei, cuius minister & præco est, virtute. Verum enim est verbum Domini, quòd credentes beandi: perfidi autem sint damnandi. Ergo quod hic minatur ac pollicetur in terris, id ratum babet Dominus in cœlis, qui hoc ipsum testatus est, cum adhuc ageret in terris. Tolle ergo à ministro claues, hoc est, verbum Euangelij, iam non poterit neque ligare neque soluere. Omnis enim virtus verbi Dei est. Proinde nullam ligandi aut soluendi potestatem babent, qui rerum suarum in scripturis sanctis nullam fundamentum habent. Vnde iam facilè colligis quare doceamus Pont. Romani Excommunicationis fulmen, nihil aliud esse quàm betaceû telum. Siquidem traditionibus humanis nititur, quæ conscientiam obligare non possunt. Cæterum noua multis videtur esse hæc de Clauibus sententia, ijs maximè qui putant Claues nescio quam occultam vim esse, quæ sit sacerdotibus interna quadam virtute collata, vt ipsi possint condonare siue retinere peccata. Notissima enim est Scholasticorum contentiosa ac intricata de potestate clauium disputatio. Hi ergo audiant Augustinum nobiscum eadem de Clauibus sentientem & in 1. libro de Doctrina Christiana capite 18. dicentem, Quid liberalius & misericordius facere potuit, qui seipsum nobis vt rediremus substernere voluit, nisi vt omnia peccata conuersis, & grauiter fixa interdicta reditus nostri, pro nobis crucifixus euelleret? HAS IGITVR CLAVES DEDIT ECCLESIAE SVAE, vt quæ solueret in terra, soluta essent in cœlo. Scilicet vt quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur. Quisquis autem crederet, seque ab his correctus auerteret, in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur. Quisquis enim non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior

Excußio vestium Apostolica.

Clauium potestas.

Pontificia excommunicatio.

Augustinus de clauibus.

terior desperando, quasi nihil illi melius, quàm malum esse remaneat, vbi de fructu suę conuersionis infidus est. Hisce subscribit & D. Hieronymus in Matth. 16. sic dicens, Istum locum: Et dabo tibi claues regni cœlorum, episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquot sibi de Pharisæorum sumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur, &c. Hæc hactenus. *Hieronymus.*

CAPVT XIIII.

FActum est autem Iconij vt simul introirent Synagogam Iudæorum, & loquerentur sic, vt crederet Iudæorum simul & Græcorũ copiosa multitudo. Qui verò increduli erant Iudæi, concitauerunt, & corruperunt animos Gentium aduersus fratres.

EADEM semper facies, idem habitus veritatis apud omnes, idem ergo hic audimus quod hactenus audiuimus, alios quidem veritati prędicatę credidisse, alios insidias struxisse. Vnde iam satis clarè liquet qui sint Seditionũ authores, non illi qui accusantur veritatis cultores, sed accusatores horum hypocritæ ac impij. Hi enim simplicium corrumpunt mentes, ac turbas concitant. Corrumpunt autem mendacijs ac calumnijs, quibus veritatem contaminãt atque suspectam faciunt. *Seditionum authores.*

Multo igitur tempore demorati sunt, fortiter agentes præsidio Domini, qui testimonium perhibebant sermoni gratiæ suæ, dabatq; vt signa & prodigia fierent per manus eorum.

Insidijs & persequutioni vbiq; opponit successum verbi, vt confirmaremur in negotio Domini. Nam hoc multa experientia certissimum est, cassum ac friuolum esse contra veritatem omne prę sidium humanæ industriæ. Quod enim alij objiciunt cœpisse quidem hanc doctrinam sæpius, sed eandem sæpius quoq; suppressam esse: verum dicerent si à se inciperet, in nobis finirent. Sæpe enim veritatem persequuta est fucata religio, occisis etiam sanctorum multis millibus, sed & libris optimis igne concrematis, attamen salua vel hodie permanet permanebitq; veritas immortalis, dum in sempiternum quoq; punientur impij. *Successus veritatis.*

Diuisa est autem multitudo ciuitatis, & quidam quidem stabãt à Iudęis, quidam verò ab apostolis. Quum autem factus esset impetus gentium pariter ac Iudæorum vnà cum principibus suis, vt vim adferrent ac lapidarent eos, re intellecta, confugerũt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystram & Derben, & finitimam vndiq; regionem, & ibi prædicabant Euangelium.

Hic vides cur tam studiosè monuerit incredulos sollicitasse quorundam simplicium mentes ad tumultum: certè ne quis Apostolos crederet turbarũ esse magistros. Seditione nihil peius. At eadem non nisi ex pessimis oboritur rebus, moribus ac vitijs hominum, vtpote vel ex tyrannide dum contra phas & ius opprimuntur innocentes, dum proscribitur veritas, & pereunt optima quæq;: vel ex auaritia principis aut populi, dum nemo facit quod iustitia poscebat: vel ex paucorum nebulonum conspiratione, qua connexi aduersus veritatem temere feruntur. Cuius generis præsens fuisse videtur. Conspirarunt enim idololatræ aliquot, atque senatu (cui rarius probatur pietas) in partes suas pertracto iunctis viribus feruntur in Christianos: qui contra partes suas strenue tutati, effecerunt vt post aliquot exactum temporis spacium, tuto Iconij versaretur Paulus. Audiemus enim ipsum non semel eò rediisse. Ne ergo nouum fit nobis si veritatis hostes etiam hodie excitent seditiones. Nostrũ est horum & similium exemplorum meminisse, in confessa veritate & à partibus Apostolorum stare. & hanc ad finem vsq; vitæ liberè confiteri. Curandum tamen ne nos vllam turbis iustam suppeditemus ansam. Iustam autem cum dico, Euangelij prædicationem excludo, quæ omnino prædicanda est (sed more Apostolico) quicquid tandem inde oboriatur crucis ac miseriæ: omnia interim suo modo, tẽpore & loco. Qui verò seditiones horrent & tranquillitatem volũt duraturã, curẽt vt sancti sint & alieni ab ijs vnde nascitur tumultus: curent præterea vt sanctis precibus & prudenti consilio sanctum impetrent magistratum, qui veritatem audiat, ad hanc negotia sua componat, huc studia sua dirigat, violentos autem & veri oppressores ac blasphemos ita puniat ne succrescere & impietate pietatem possint superare. Verum de hac re forsan plura dicemus in capite. 19. Quod Stephanus de Vrbibus refert de Iconio, admodum huc congruere videtur: Est autem tale, indicat Iconium *De seditionibus*

nobile esse oppidum prope Taurum montem, ex imagine sic dictum, quod Prometheus & Minerua iussu Iouis hic finxerant, secundũ fabulas, post diluuium Deucalionis, ventoq; inde inspirâte anima tum. Nostra ergo lingua illá appellaremus Götzingen vel Bildach. Vnde apparet ciues eius vrbis cum ob religionis vetustatem, tum superstitionis emolumentum, idololatriæ deditissimos, & inde etiam ad tumultum proniores fuisse, ne inuisa veritas auitam illam expelleret religionem. Cæterum ipsa apostolorum fuga prudentiæ non inconstantiæ leuitatis aut pauoris erat. Multo enim tempore tam clare erat prædicata veritas, vt nullum esset periculum illam posthac perituram. Si porrò ipsi non aufugissent periculum erat, & vtilitas ex interitu eorum nulla prorsus. Fuga verò hoc vtilitatis habebat, quod impij sublatis fidei ductoribus minus iá ferociebant ac tumultuabantur, & quod Derbeis Lystranis ac finitimis vndiq; regionibus, iam etiam prædicabatur Euangelium.

Fuga apostolorum.

Et quidam vir Lystris debilis pedibus sedebat, claudus ab vtero matris suæ, qui nunquam ambulauerat, hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quòd fidem haberet, fore, vt saluus fieret, dixit magna voce: Surge in pedes tuos rectus. Et exilijt, ambulauitq́;.

Eandem rationem habet hoc miraculum quam illud Petri ac Ioánis quod exposuimus in cap. tertio, nisi quod in hoc manifestissimis verbis commendatur fides illius qui sanatus est. Cuius quipdem generis plura exempla habemus in Euangelistis. Ad Epitasim & commendationem potentiæ Dei pertinet, quod tantis verbis miseriam claudi pingit.

Turbæ verò quum vidissent quod fecerat Paulus, sustulerunt vocem suam Lycaonicè, dicentes: Dij in specie hominum descenderunt ad nos. Et vocabãt Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quòd is esset dux sermonis. Sacerdos autem Iouis, qui erat ante ciuitatem illorum, tauros & coronas ad vestibula afferens, cum turbis volebat sacrificare.

Elegans est hic locus, & multum habet in se eruditionis & vtilitatis. Primò autem videmus (id quod & in 3. capite monuimus) quo sensu afficiatur mens humana (nondum spiritu Dei imbuta) erga signa. Secus videlicet quam conueniat. Eum enim honorem quem Deo debebamus, creaturis impendimus. Contra quem errorem hic disputabit Paulus. Deinde describit hoc loco gradus, quibus ad supremum vsq; idololatriæ & impietatis transcenditur. De quibus in 1. cap. ad Rom. copiosius disputauimus. Hic cernis primo loco oboriri ignorantiam, siue obliuioné Dei, et ex hac enasci vanam quandam de Deo opinionem, nempe quod humana specie tectus, & in Iouem, Apollinem, aut Mercurium transformatus ad nos descendat. Quę sane opinio primitus videtur ex ipsa veritate orta esse. Tradunt enim diuina oracula Deum aliquando hasce venturum in oras tectum carne ex virgine sumpta. Præterea illa ipsa narrant angelos (quos diuinum eloquium אלהים, hoc est, deos vocat) hominum specie à sanctis esse visos, in hac iuuisse & alloquutos fuisse multos: vnde forsan Gentiles isti Syriæ vicini circumfusiq; cum prophani & rerum sacrarum ignari essent, ansam sumpserunt, & de dijs quibusdam vana quædam confinxerunt. D. Erasmus, Ea (inquit) persuasio magis insederat animis Lycaonum ob fabulam de Ioue & Mercurio, quum homines esse viderentur, à Lycaone exceptis hospitio, vnde nomen sortiti videntur Lycaones. Vtcunque verò habeant fabulæ, hoc certum est Gentes credidisse Deum per intermedios quospiam administrare omnia: ergo vnum quidem confitentes Deum, nihilominus plures quoq; deos esse crediderunt, qui iuxta rerum diuersitatem, quibus præpositi erant, diuersa sint sortiti nomina: imo ipsum Deum in ijs varijs cognominatum appellationibus. Cuius quidem rei vt Ciceronis & Plinij aliorumq; transeam testimonia, vnius Aristotelis sufficere videtur. Is enim in libro de mundo, Vnus porrò Deus (inquit) quum sit, pluribus nominibus appellatus est, ab illis vtique suis omnibus effectibus denominatus, quorum specimen ædere ipse solet. Atque eum quidem tum ζῆνα tum δία vocant, inter se compositis vtentes nominibus, atq; è regione collocatis, tanquam duabus his vocibus significare velint per quem viuimus. Is Crono, id est, Saturno, & chrono, id est, tempore, ortus esse dicitur nimirum ab æuo sempiterno ad alterum æuum pertinens. Vocatur & Fulgurator, & Altitonans, Seruator, Assertor, & (vt semel omnia complectar) cœlestis & terrenus, ab omni natura sorteq; nomé adeptus, vtpote qui omnium rerum author sit. Hæc & alia multa in hanc sententiam Aristoteles. Constat ergo Gentes coluisse Deum in dijs, hoc est creaturis suis, quas pro rerum diuersitate diuersis etiam insignierunt appellationibus. Hic Lycaones vocant Barnabam Iouem, Natu enim maior erat, Iouis autem inter deos eximia maiestas erat: proinde ab Homero frequenter deorum atq; hominum pater appellatur, quem Maro sequutus

Origo erroris Gentilium.

Aristotelis de vnitate & pluralitate Dei opinio.

Act. 17.

Iuppiter.

quutus Iouem solenni epitheto iam regem,iamque patrem vocat. Porrò Paulum vocat Mecurium. Additur caussa admodum hanc opinionem nostram confirmans,quod dux esset verbi. Mercurium enim vetustas credidit eloquentiæ esse Deum. Ideoq; ab Horatio Odarum lib.1.facundus dicitur:& à Græcis ἑρμῆς, quod deinde exponens Vergilius,ipsum vocauit diuum interpretem.Iam verò conce pta opinione falsa obfirmatisq; animis,quibus insederat Iouem & Mercurium appulisse,sacra proti- nus ijs debita dijs instituunt. Nam sacerdos Iouis qui habitabat in suburbio ciuitatis,tauros & coro nas adferebat ad fores à diũ,in quibus erãt Apostoli,vt sacrificaret illis.Nisi fortassis alluserit histori- cus noster ad vetustum illum omniumGentium ritũ,quo templa deorum,quibus sanguine & victi- mis litabatur,extra vrbem habebant.Neq; enim pertinere ad vrbis fortunas & dignitatem visum e- rat,eius numinis templum intra mœnia conspici,cui sanguine litarant. Huius generis plura ex Ho- ro Ægyptio & Aristotele,nec non rebus Romanis annotauit Crinitus lib.de hon.disc.5.cap.5.Porrò tauros in victimis gratissimos fuisse Ioui testantur poetę.Quod autem ad Coronas attinet,quarũ po tissimus quondã in sacris vsus fuit,sic scribit Plin.in 16.cap.4.Antiquitus quidem nulla nisi Deo da- batur.Ob id Homerus cœlo tantùm eas & prælio vniuerso tribuit.Viritim verò ne in certamine qui dem vlli. Ferũtq; primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex edera.Postea deorum honori sacrificantes sumpsere,victimis simul coronatis.Hac de caussa ego existimarim Sept.Tertul- lianum adeo stomachatum esse in Coronas,in opere quod de Corona militis inscripsit.Sed hactenus descripsit stultitiam humanam & religionem peruersam,qua per opera quę Deus per creaturas suas ceu instrumenta patrat, auocati, sinistro operum Dei sensu, ad creaturarum cultum conuertimur, quas deinde rebus externis,victimis,coronis,auro,argento,ebore, pictura,idq; genus nugis alijs co limus.Crediderim autem hæc omnia mira Dei dispositione contigisse, nempe vt Lycaonum errore admoniti, posthac ab omnium creaturarum cultu abstineremus. Atque huc etiam pertinet oratio Pauli.

Mercurius. *Sacrificia.* *Templa deorũ extra vrbem.* *Coronæ.* *Superstitio.*

Quod vbi audierunt Apostoli, Barnabas & Paulus, conscissis vestibus suis insilierunt in turbam,clamantes ac dicentes: Viri cur ista facitis? Nos quoq; ijsdem,quibus vos obnoxij malis sumus homines, annuntiãtes,vt ab istis vanis conuertimini ad Deum viuum.

Duo agunt oratione Apostoli. Primo enim errorem vulgi compescentes,docent vanũ esse crea turarum cultum. Deinde verò de cultu & maiestate vnius Dei disserunt.Quoniam autem plurimũ mouet dicentis habitus & corporis gestus, Apostoli iam non immiscent se turbis, sed veluti dolore & indignatione væsani in concionem prosiliunt,vestem lacerant,ac clamitant,Quid facitis?viri cur ista facitis?Est autem vestis conscissio plagentium habitus singnum vel maximi luctus,vel indigna- tionis maximæ ex blasphemia conceptæ. Vide ergo,ô fidelis anima,quomodo Diuis ipsis tuum pro betur sacrificium quod in honorem ipsorum instituisti.Vide an non ipsi manifesto approbent signo, quod Diuis sacrificare & Diuos colere aliud nihil sit quàm blasphemare.Quin & ipsis verbis eadem referunt.Viri,cur(inquiunt)ista facitis?quasi dicerent,Quid obsecro rem tam indignam facere pa- ratis? Quid enim indignius quàm neglecto ipso creatore creaturis diuinum honorem impendere? Hæc ex natura religionis sumpta videntur. Iam ex natura creaturarum,superioribus veluti caussam adijcientes,sic argumentantur, Nos quoq; ijsdem quibus vos obnoxij malis sumus homines: quod Græcè multo & elegãtius,& viuidius sic legitur,καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμὲν ὑμῖν ἄνθρωποι. Quasi dicant,Quin & nosipsi homines sumus, nec alij quàm vos estis, ijsdem affectibus, passionibus siue malis adfecti. Monet enim Erasmus ὁμοιοπαθεῖς non tantùm ad mortem pertinere,sed ad omnia quę possunt homi- ni accidere.Igitur ex miseria humanana & creaturarum fragilitate docent vllam prorsus creaturam quantumuis sanctam esse colendam. Iam quicquid post Deum in orbe est,minus homine est. Nihil ergo maius homine coli potest.Quod si minus colas,stultitiam prodis.Quis enim in eo auxilium aut spem posuerit quod se minus & imbecillus sit?Quod si hominem colas,iam simile tibi colis,quod sci licet mortale & infirmum est. Cæterùm si obijcias,Hominem equidem agnosco quem colo,sed ho- minem sanctum, & qui iam mortalitatem commutarit immortalitate, sublimis in cœlesti regia desi- deat,& nostram miseriam non nesciat.Quis verò Paulus? Quis Barnabas erat? Nam sancti,boni,iu- sti,imò sanctissimi,optimi & iustissimi.Nihilominus omnem à se cultum quàm longissimè arcent.In 3.cap.audiuimus Petrum atq; Ioãnem dixisse:Non nostra virtute aut pietate efficimus hoc.Proinde non sunt colendi diui propter vitæ sanctimoniam,sed imitandi. Neq; quisquam sibi persuadere de- bet ipsorum animas hoc corpore exutas posthac hoc magis sic esse affectas, vt sibi velut merentibus & dignis vllum sibi cultum exhiberi velint. Certum enim est dilectionem diuinæ bonitatis in illis iam de facie ad faciem cernentibus sic auctam esse & absolutam,vt non possit non fieri quin omnem

Creaturarum cultus est blasphemia. *Non hominem sed hominem sanctum colo.*

honorem (id quod etiam Augustin. in quæst. vet. & nou. Test. quæst. 27. fatetur) omnem gloriam, omnemq; cultū in hunc dirigi desiderent, ex quo solo sunt quod sunt, & quod possident habent. Vero similius igitur est nimio cultu ad indignationē prouocari (si quæ modo in illis indignatio est) quàm vt credamus placari eos aut ad beneficentiam inuitari. Ergo vt breuibus omnia dicam, Diui natura quidem homines sunt, ergo colendi non sunt. Gratia verò sancti sunt, ergo gratia in illis, non ipsi vt homines, colenda. Serui præterea sunt altissimi: ergo colendi non sunt. Sequitur enim in hac Apostolorum oratione: In hoc venimus vt vobis annuntiemus, vt ab istis vanis conuertamini ad Deum viuum. A quibus obsecro vanis? Vtiq; à creaturarum cultu, quo nihil inuenias vanius. Nam in Rom. cap. 1. Deum quidem (inquit Paulus) cognouerunt, non autem vt Deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt, sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est insciens cor eorum. Quum se crederent sapientes esse, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei per assimilationem imaginis corruptibilis hominis. Damnatur ergo omnis creaturarum cultus, siue more Gentilitio per deos, siue more pontificio per Diuos exhibeatur Deo: siue dijs ac diuis ipsis Deo neglecto impendatur. Siquidem sacra eloquia præcipiunt, vt ab his auertamur, & ad Deum conuertamur, in hoc omnem spem nostrā collocemus. Viuus enim est, hoc est, æterna vis, potens, omnia agens, vbiq; præsens est. Viuat ergo in pectore nostro. Hic omnia sine dijs ac diuis creauit: & omnia per se administrat & conseruat. Si quid per ministros suos agit, in gloriam nominis sui, non ministrorum, agit. Quanquam & suus honor debeatur sanctis. De quo dictum est ex Augustini sententia cap. 3.

qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt,

Vnius Dei religio. Ex rebus conditis potentia ac sapientia Dei, Deum nunc prædicat. Nam euulsa superstitione in locum eius veram religionem inserit. Vera religio in vnum Deū creatorem cœli & terræ innititur, & piè religiosi huic veluti fidei nodo religantur. Quantus hic sit, quàm sapiens, bonus, potens, misericors & clemens, nimirum docuere hoc loco Apostoli. Docuit & Ierem. in cap. 10. qui locus si hisce *Gen. 17.* addatur commentarij vice erit. Breuiter, Deus fidelibus שדי, hoc est, Saturnus & omnisufficientia *Ier. 2.* καὶ κέρας ἀμαλθείας, hoc est, copiæ cornu est, in quo omnia habent & post quem nihil prorsus desiderare *Ioan. 4. 6.* possunt. Nam & Ieremias vocauit eum fontem aquarum viuentium: & Dominus Iesus: Qui biberit (ait) ex hac quam ego dabo, non sitiet in æternum. Ruunt ergo hic omnia ea quæ caro de Diuorum cultu & quarumcunq; tandem creaturarum auxilio commenta est. In Deo vno solo & vero omne nostrum est quod sumus, in ipso omne nostrum præsidium, spes, salus & auxilium.

qui in præteritis ætatibus sinebat omnes Gentes ingredi vijs suis. Quanquam non expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret de cœlo, nobis dans pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.

Felicitas idololatrarum. Ne obijcerent, Si tanta semper fuit Dei potentia, qui fit vt istam nō citius reuelarit nobis? quin pótius maiores nostros nostro more illi seruientes, deos inuocantes ac sacrificantes multis affecit beneficijs, quod non fecisset nisi ipsi placeret deorum cultus. Proinde anteuertunt Apostoli & dicunt: *Rom. 1.* Errorem vestrum nō nesciuit Deus, qui omnia nouit, neq; verò vel vobis sese vel maioribus vestris subtraxit, quippe qui se indies spectandum proposuit operibus suis. Vos aūt manifestantem se vobis recipere noluistis, qui ad creaturas magis conuersi, has plus coluistis quàm creatorem ipsum. Quod autem hoc peccatum vestrum non protinus puniuit, non ideo fecit quod superstitio vestra ipsi adlu- *Rom. 2.* besceret, sed vt longanimitate prouocaret ad pœnitentiam. Proinde quæ iam tempora frugifera, pacem, opes, sanitatem, & id genus alia fortunæ bona consequuti estis, non deorum vestrorum Æsculapij, Liberi patris, Cereris & Iunonis beneficio, sed huius Dei creatoris benignitate consequuti estis. *Psal. 103.* Hic enim est per quem omnia subsistunt, viuūt & mouentur, qui omnia in mundo vegetat, pascit & *Isa. 40.* conseruat. Iam ergo adsumus huius Dei Apostoli adhuc satis tempestiuè monentes & obsecrātes, vt *Act. 17.* deserta idololatria & vano creaturarū cultu, hunc verum, viuum & æternum Deū vnicè adoretis inuocetis ac colatis. Principio autem hinc consequitur quod illi nihil probent, qui pro aliqua religione confirmanda, patrū mores & longa proferunt tempora. Nam plus 3000. annis durauerat Gentilitia fides. Adhæserat illi maxima pars orbis. Iactabāt præterea eius cultores nō aspernanda in hac se visos esse fortuna ac victoria. Hoc enim Augustinus in libris de Ciuitat. Dei subindicauit atq; confutauit. Quantumuis ergo huius generis plurima pro sua fide allegarent, attamē vana & inanis erat. Deinde *Fortunæ bona ex Deo, non diuis.* cōstat ex hoc loco fruges, lætitiam hoc est vinū (vtitur enim Synecdocha) sanitatem, deniq; omnia cùm corporis tum fortunæ bona, mortalibus à Deo non à Diuis conferri. Fœdissimè ergo errant nostri quū dicunt, Das habend wir von Gott/vnd den lieben heiligen. Nam Ose. 2. ita dicit Dominus:

Nesciuit

Nesciuit (populus meus) quod ego dedi ei frumentum & vinum, & oleum, & multiplicaui aurum & argentum eis, quæ tamen impenderunt Baalim. Idcirco reuertar & sumam frumentum meum (ecce vnde nobis sterilitas oboriatur, non ex vnius Dei cultu & creaturarum neglectu, sed ex deorum superstitione) in tempore suo & vinum meum in tempore suo, & exuam eos veste mea, qua operiebant pudenda sua. Et nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius, & nemo eruet eam *Ezech.16.* (iam veluti de putido scorto loquitur) de manu mea, & cessare faciam omne gaudium eius, & omnia festa eius, & corrumpam vineam eius & ficum eius, de quibus dixit, merces hæ meæ sunt, quas dederunt mihi (obserua nostrum loquendi morem de beneficijs Diuorum) amatores mei. Ergo visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum & ornabatur mundo suo, & ibat post amatores suos, & mei (hic vide quod deorum statuæ non possint esse memoracula Dei) obliuiscebatur, dicit Dominus. Hæc ex Osea, cui consonant & ea quæ ad imitationem Oseæ Ezechiel, postea copiosius conscripsit in cap.16. Tertio autem loco hinc colligimus, quod etiamsi Deus aliquousque ad peccata cōniueat, ipsi tamen peccata non placeant. Inuitat enim longanimitate ad pœnitentiam. Et hactenus de vnitate, potentia, & beneficijs Dei, deq; huius vero cultu. De Christo iam non erat dicendi locus apud eos, qui adhuc in primo fidei articulo erāt instituendi. Non credidissent in filium Dei, qui nondum norant verum Deum.

Et hæc dicentes, vix compescuerunt turbas, ne sibi immolarent.

Tantum malum est inolita consuetudo & vana persuasio, quæ semper apud vulgus ignobile plus valuit, quàm ipsa veritas ac ratio. Videas etiam hodie multos tanta induratos esse pertinacia, vt neque his neque alijs perinde claris ac euidentibus exemplis testimonijsque abduci à concepta superstitione possint. *Consuetudinis vis.*

Superuenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, qui cum persuasissent turbis ac Paulum lapidassent, extraxerunt eum è ciuitate, existimantes illum mortuum esse. Circundantibus autem eum discipulis, surrexit & intrauit ciuitatem.

Monuit Erasmus in Annotationibus hunc locum secus legi in nonnullis Græcorum exemplaribus, nempe ad hunc modum: Καὶ διαλεγομένων αὐτῶν παῤῥησίᾳ, ἀνέπεισαν τοὺς ὄχλους ἀποστῆναι αὐτῶν, λέγοντες ὅτι οὐδὲν ἀληθὲς λέγουσιν, ἀλλὰ πάντα ψεύδονται, Id est: Et cum illi fortiter disputarent, persuaserunt (qui scilicet ab Antiochia & Iconio venerant Iudæi) turbis vt desciscerent ab eis, dicentes, quod prorsus nihil veri dicerent, sed omnia mentirentur. Hoc ergo cum persuasissent turbis, lapidatum Paulum ceu mortuum ex vrbe extraxerunt. *Paulus semel lapidatus.* Hæ videlicet sunt rerum humanarum vices. Paulò ante pro Deo habito ante vrbem parabantur hostiæ, nunc lapidatus Paulus extra vrbem miserè trahitur. Ita legimus in Euangelio, ipsum saluatorem maxima populi acclamatione ingressum Hierosolymorum vrbem, hoc ipso vespere Bethaniam redijsse, quod ob pericula impendentia ipsum nemo dignaretur hospitio. Hæc videlicet est plebis constantia, vt non immerito Charondas dixerit, Qui se populo committit fortunam non rationem sequitur. Est & illud obseruandum quod Apostolis multò grauius bellum erat cum Iudæis, quàm cum Gentibus. Hypocritæ enim ac superstitiosuli, hoc magis furiunt, quo minus tales videri volunt, quales prædicat ipsa veritas. Harum ærumnarum admonent nos nostrorum temporum afflictiones, quæ & ipsæ tetrius habent, quod ab his maximè impugnatur pietas, qui pietatis antesignani videri volunt, qui & ipsi nomen Christianum iactant, & se omnia Christi nomine agere dicunt. *Nostrorū temporum sæuitia in pietatem.* Ita enim & Iudæi vnum prædicabant Deum, scripturis credebant, istas laudabant, iustitiam suadebant, & iniustitiam culpabant. Hoc ergo periculosius erat certamen vtrisq;. Cæterum semper emicat veritas. Tametsi enim Paulus videretur extinctus, tamen Dei virtute restituitur, & Christianis pro officio circumfusis, redditur: vt verissimè huc quadret quod in 2. ad Cor. 4. cap. scripsit, Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasculis, vt virtutis eminentia sit Dei. Et quæ sequuntur. Nam satis notus est locus.

Ac postero die profectus est cum Barnaba Derben. Cumq; Euangelizassent ciuitati illi, ac docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam, denuo confirmantes animas discipulorum, exhortantesq; vt perseuerarent in fide: & quod per multas afflictiones oporteat nos intrare regnum Dei.

Vel ex hoc loco claret Paulum diuina virtute ceu à mortuis excitatum, & non fratrum medicamine curatum fuisse. *Paulus virtute Dei restitutus.* Quis enim vnquam audiuit lapidatum hominem postera ambulasse die? ma-

ximè eum, quem existimarũt esse mortuum, & quem lapidarunt ij, qui odio in ipsum rabidi, à lapidũ telis non abstinuissent, si vllum credidissent vitalem superfuisse spiritum. Quid quod miserabilis illa ex vrbe extractio, nõ homini iam semianimi, sed cadaueri verius competebat? Maxima ergo Domini virtus sese in Pauli exeruit infirmitate: vt posthac omnes mortis periculum minus horreremus. Sed illud mirabilius est quod sequitur Paulũ nullibi cessasse, nullius piguisse laboris. Quod semel plã tarat, id iam summo studio excolit, vt cum magno fructu adolescat. Redit enim per illas vrbes, quas comite Barnaba prius instituerat ac fidei consecrarat, vt has iam nihilo segnius ad perseuerantiam ac patientiam animaret. Nam perseuerantia colophon est rerum omnium: cæterum perseuerantiæ neruus & vena est patientia. Non enim perseuerare potest, qui ob rem cui adhærendum erat, nihil pati potest. In patientia vestra (ait Dominus) possidebitis animas vestras. Mundus veritatem odit, proscribit, persequitur. Pietas veritatem amat, amplectitur & mordicus retinet: ergo patientia retinet: Verissimè ergo dixit Paulus, quòd per multas afflictiones pateat aditus in regnum Dei. Non per otium (inquit) luxum mollitiémue, per carnis & seculi voluptates itur ad astra, sed per scabrosam viam. Id quod poetæ suo descripsere biuio, cuius meminit ex Prodico Sophista etiam Cicero in 1. Officiorum libro. Quin omissis istis audiamus Christum dicentem, Annitimini intrare per arctam portam, quoniam lata est porta & spaciosa via quæ abducit in exitium, multiq; sunt qui ingrediuntur per illam. Angusta verò est porta & stricta via quæ abducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt illam. Proinde semper conuenit meminisse aureæ Archilochi Parij sententię, qui (vt ait apud Philòstratum Apollonius) tolerantiam in rebus aduersis patientiam nuncupans deorum eximium inuentum ac munus esse dixit, ad omnia mala perferenda, ceu gubernatoris artem, per quam incumbente tempestate venientium fluctuum impetus recipit.

2. Tim. 3. *Silius Italicus Punicorum 15.* *Matth. 7.*

Et cum suffragijs creassent illis per singulas Ecclesias presbyteros, precatiq; essent cum ieiunijs, commendauerunt eos Domino, in quem crediderant:

Apostoli & presbyteri.

Iterum commendatur nobis ordinaria electio, & cura pro Ecclesijs Apostolica. Alij autem erant ab Apostolis presbyteri, non tamen authoritate minores, sed in officio administrando alij. Apostolus enim incertis vagatur sedibus, nunc his nunc illis Euangelium prædicans. Presbyter autem siue episcopus vnæ cuipiam præpositus Ecclesiæ, hanc curat, nec Apostolorum more vagatur. Ita videmus eundem Philippum trinominem ex officio & administrandi modo, effectum esse. Nam in 6. dicitur Philippus diaconus. In 8. est Philippus Apostolus. In 21. appellatur Philippus Euangelista Cæsariensis. Cæterùm dictio χειροτονήσαντες ita ponitur, vt vel suffragijs populi delectos esse, vel manuum impositione inauguratos intelligere possimus. Ego vtrunq; factum arbitrauerim. Eligitur enim communibus populi suffragijs, qui optimorum testimonio probatus est. Huic autem imponebantur manus, vt in superioribus indicauimus.

peragrataq; Pisidia venerunt in Pamphyliam: & cum loquuti essent sermonem Pergæ, descenderunt in vrbem Attaliam: & inde soluerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus quod compleuerunt.

Absoluta veritatis doctrina.

En veritatis constantiam & absolutam breuitatem. Semel docuerant & pietatem in Christum certis numeratisque verbis docuerant. His iam nihil addunt. Non enim opus habet pietas numerosis legibus. Ergo semel docta excolunt, repetunt, inculcant. De impostoribus & ceremoniarum doctoribus scriptum est, quòd semper discant, ad cognitionem autem veritatis nunquam perueniant, 2. Timoth. 3.

Cum autem venissent & congregassent Ecclesiam, retulerunt quæcunq; fecisset Deus secum, & quòd aperuisset Gentibus ostium fidei. Commorati sunt autem illic multum temporis cum discipulis.

Otium apostolorum.

Quandoquidem instinctu Sancti spiritus per Antiochenæ Ecclesiæ missionem ad Gentes profecti Euangelium prædicarant, nunc reuersi exponũt Sancti spiritus virtutem, vt à multis pro collata in Gentes gratia, gratiæ dicerentur Deo. & vt mutua fide confirmarentur. Porrò Ostium fidei aperire prouerbiali loquutione dixit, pro eo quod est recipere in fidem. Annotauit hanc & huic similes Metaphoras Erasmus in opere eximio Adagiorum, Chil. 1. Cent. 4. Adag. 3. & 4. Quòd autem scribuntur Apostoli multum temporis Antiochiæ cum discipulis commorati, innuit istos modum seruasse in omnibus. Hactenus enim non æstimandis laboribus sese hac profectione excruciarant, vnde vires nimirum defecerant: nunc ergo se honesto recreant otio. Non quòd prorsus otiarentur,

rentur, sed quòd minore labore & non tanto vitæ periculo, in libera, morigera & Christiana ciuitate prædicarent. Videtur enim Antiochia asylum quopiam fuisse Christianorum, in quod se exules & bonis propter fidem paternis exuti receperint. Clemens enim cœlestis pater in media persequutionum procella semper aliquorum corda mouet, qui exules suos colligant ac tueantur. Beatissima verò illa ciuitas est, quæ ad hoc à Domino electa est. Maledicta autem quæ hospitalitate neglecta, veritatis nomine palantes repellit. Aderit enim iudex qui dicat, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & ministris eius, quia hospes eram, & non collegistis me. *Antiochia asylum Christianorum.* *Isa. 16.*

CAPVT XV.

ET quidam qui descenderant è Iudæa, docebant fratres, nisi circuncidamini secundum morem Mosi, non potestis esse salui.

HIS REBVS paulò pacatioribus materia maiorum malorum exoritur. Nam sicut malus ille semen suum malum in agrum Domini nunquam non seminat, ita Dominus suos diuersis afflictionibus subinde tentat. Hactenus suos persequutionum varijs exercitauit generibus, nunc varijs probat hæresibus. Persequutione deterior est hæresis. Hac enim affligun tur labefactanturq; hominum mentes. Illa corpora duntaxat diuexantur. Verum vt illam bono Ecclesiæ suæ immittit, ita hanc maximo bono & veritatis & fidelium oriri sinit. Principio enim dixit Paulus, Oportet hæreses esse, quo qui probati sunt probantur. Deinde oportebat hunc errorem superstitibus adhuc Apostolis suboriri, vt horũ testimonijs sublatus, ipsumq; fidei nostræ dogma primarium, clarissimè expositum & confirmatum, posthac omnibus dubijs & contentionibus imponeretur finis. Primarium enim Christianæ religionis dogma & cui omnia alia innitũtur, hoc est, quòd in Christo Iesu sit omnis plenitudo, & proinde omnes qui iustificantur, vnica in illum fide, & nulla alia re, iustificari. Hæc enim est summa totius Euangelij. Hæc omnium epistolarum Pauli materia est, maximè verò earum quas ad Romanos, Galatas & Hebræos conscripsit. Iam verò exoriebantur pseudochristiani quidam, reuera mali Iudæi, qui aduersus hoc dogma tradebant, non vnicum Christum omnibus omnia esse, sed circuncisionem quoque & omnia legis ad iustificationem requiri: hoc est, quòd salus non tantùm in Christi fide, sed in externis quoq; ceremoniarum ac legis obseruationibus, imò & meritis nostris cõsistat. Porrò hac traditione adeò obscurabatur doctrina Euangelica, vt Christus prorsus abnegaretur. Si enim ex lege erat iustitia, si meritis nostris & sacrificiorum donis parabatur salus, iam Christus frustra erat incarnatus, & pro peccatis mundi in ara crucis oblatus. Proinde summis viribus impio dogmati repugnabant veri Christi Apostoli Paulus ac Barnabas, defendentes gloriam crucis, cuius illi capitales inimici erant. De his enim scripsit Paulus, Complures autem sunt errones, de quibus sæpè dixi vobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus venter & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Et ad Galatas, Quicunq; volunt iuxta faciem placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantùm ne ob crucem Christi persequutionem patiantur. Nam ne ipsi quidem legem seruant. *De hæresibus.* *Dogma primarium pietatis Christianæ.* *Error.* *Philip. 3.* *Gal. 6.*

Cum orta ergo seditio & disceptatio esset non exigua, Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis, ad Apostolos ac presbyteros Hierosolymam, super hac quæstione.

Oritur seditio non ex veritate, sed doctrina falsa. Siquidem Ecclesia Antiochena agebat in pace, quam turbabant errones illi qui descenderant à Iudæa, iactantes doctrinæ suæ authores Apostolos Domini primarios, Petrum, Ioannem & Iacobum, quo simul & Pauli eleuabant authoritatem, hunc negantes esse Apostolum, qui primò persequutus esset Ecclesiam Dei, neq; Christum in carne vidisset vnquam. Proinde deliguntur legati qui Hierosolymam proficiscantur, non vtiq; discendi gratia (recta enim se ambulare norant) sed vt ab ipsis Apostolis conuincerentur errones isti erroris sui. Huc enim pertinet, quod paulò post in epistola Apostolica sequitur, Audiuimus quòd quidam à nobis egressi turbauerunt vos, quibus nihil mandaueramus. Alij præsentem locum aliò contra genuinum sensum trahunt, quasi verò tota totius orbis Ecclesia vnius Romæ cogatur spectare decreta. Consulatur autem super hac profectione ipse Paulus in 2. cap. ad Galatas tam clarè & copiosè differens, vt commentarium in hæc videatur texuisse. *Cur Hierosolymam profecti.*

Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicen & Samariam narrantes conuersionem Gentium, & adferebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis ac presbyteris, annuntiaueruntque quæcunque Deus fecisset cum ipsis.

Hospitalitas. Vbiq; admonet scriptura discipulos, hoc est, Christianos fuisse comes, familiares, hospitales, & vt sic dicam, officiosissimos, cùm erga omnes, tum erga veritatis doctores potissimũ. Ergo hic quoq; memorantur Apostoli à discipulis deducti esse per Phœnicen & Samariam: rursus Hierosolymis esse suscepti nimirum familiarissimè. Nulla enim erat inter Apostolos vel in ipsa Ecclesia simultas, nisi quam errones isti mentiebantur, atq; pectoribus simplicium inserere cupiebant.

Surrexerunt autem quidam de factione Pharisæorum, qui crediderant, dicentes, quòd oporteret circuncidere eos, ac præcipere, vt seruarent legem Mosi:

Hic iam planioribus verbis exponitur quæ illa fuerit pestilens hæresis. Sed & D. Hieronymus in eleganti illa ad Augustinum epistola testatur, Cherinti & Hebionis hæresim, hoc potissimum nomine damnatam, quod legis ceremonias Christi Euangelio misceret, & sic noua confiteretur, vt interim vetera non amitteret. Imò suis adhuc temporibus per totas Orientis synagogas hæresim fuisse, quæ Mineorum dicta sit, & quos vulgo Nazaræos nuncuparint. Hos credere quidem in Iesum Christum Dei filium natum de virgine Maria, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, sepultum, iterum resuscitatum, & in eum prorsus credere illos in quem nos credimus, sed non omnia vni tribuere, atque ita fieri vt dum volunt Iudæi esse & Christiani, nec Iudæi sint nec Christiani. Quòd si hodie quoque ad iustam stateram expendas, quid nos qui Euangelium prædicamus, ab ijs separet, qui veteris fidei propugnatores videri volunt, nihil aliud inuenies, quàm hoc ipsum quod Antiochenam conscidit Ecclesiam. Nos enim cum Apostolis Domini vnum & solum Iesum Cdristum prædicamus, hunc clamitamus vnum & solum totius orbis esse iustitiam, redemptionem, satisfactionem, lucem, doctorem, sacerdotem, sacrificium, mediatorem, caput & vitam. Illi porrò non vni omnia tribuunt, sed infinita quædam iungunt, quæ ad salutem sint necessaria. Meritis enim, confessioni auriculari, absolutioni & indulgentijs tribuunt peccatorum remissam. Varios sibi coaceruant doctores, plurimos sacerdotes, plurimos intercessores, & Missas, id est, sacrificia innumera: quæ nos omnia prorsus abnegamus, quòd filium Dei Iesum Christum solum sufficere, & nullum aliud nomen sub cœlo esse credimus, in quo oporteat saluos fieri, nisi nomen IESV CHRISTI. Prædicãt sanè & illi nobiscum historiam Euangelij & articulos fidei Christianæ, Vnum esse Deum, hunc misisse filium, qui incarnatus de Spiritu sanctò, ex Maria virgine natus, passus & resuscitatus sit, sedeat item ad dexteram Patris iudex venturus. In hac inquam serie verborum nulla dissonantia: at in ipsa virtute Christi, non tam longe abest Oriens ab Occidente, quàm illorum doctrina à nostra dissidet. Sed redimus, Nazaræi illi siue Pharisæi non putabant satis esse Gentibus, ad Christianam fidem conuersis, vnicum Christum, circuncidendos ergo existimabant, vt recipi in populum Dei, & sacrificijs lustrandos vt purgari, & sub legem subiugandos, vt meritis suis bonisque iustificari operibus possent. Iam verò hæc caussa eiusmodi erat, vt Apostolis Domini plurimum odij, pseudoapostolis autem plurimum beneuolentiæ & authoritatis conciliaret. Nam hi videbantur esse iustitiæ doctores, bonarum legum defensores & omnis pietatis assertores fidelissimi: contrà verò illi iustitiæ, virtutibus, sanctis quoque per Mosen institutis, & à patribus obseruatis ritibus temere videbantur repugnare. Verum si dogma pestilentissimum dissimulassent, iam procul dubio perierat Euangelij negotium, quod vt bonis moribus operibusque non est inimicum, ita non permittit, vt vllis alijs rebus tribuatur salus, quàm vni Iesu Christo. Rectissimè ergo Diuus Hieronymus in ea Epistola, cuius paulò ante meminimus, Ego (inquit) reclamante mundo libera voce pronuntio, ceremonias Iudæorum & pernitiosas esse & mortificas Christianis, & quicunque eas obseruauerit siue ex Iudæis siue ex Gentibus eum in barathrum diaboli deuolutum. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Cui sententiæ hoc addidit Aurelius Augustinus, dicens: Quicunque eas obseruauerit, siue ex Iudæis siue ex Gentibus, nõ solum veraciter, verumetiam simulatè, eum in barathrum diaboli (censeo esse) deuolutum. Cæterum quid hodie quorundam ceremoniæ à Iudaicis differant, Lectorum esto iudicium.

Hæresis Nazaræorum.

In quo dißideant Euangelici & Pontificij.

1. Cor. 1. Rom. 5. Ephes. 2. Ioan. 8. Matth. 15. 17. & 23. Heb. 7. & 10. 1. Tim. 2. Ephes. 5. Coloss. 1. Ioan. 14.

Ita & Pharisæi vocantur credentes.

Vide.

Lege Annotat. Erasmi in 12. cap. Matth.

Conueneruntque Apostoli ac presbyteri, vt dispicerent de hoc negotio.

Palàm

Palàm hoc loco admonemur ad Apostolicos viros pertinere rerum ad fidem pertinentium quæstionem, qui consilio indicto (è quo tamen nemo secludatur) de dubijs respondeant & obscura resoluant, fideiq; suæ rationem reddant omni credenti: qui mos à sanctis olim episcopis ad Apostolorum imitationem diligenter custoditus est: sed miris modis aliquot retro seculis neglectus. illi enim non suo arbitratu, sed ex scripturæ præscripto sic omnia disponebant, vt doctrinæ Dei relinquerent gloriam veritatis, & ab hoc velut Lydia (quod dicitur) regula, ne latum quidem digitum discederent. Hi nostri sic in Consilijs suis deliberarunt, vt Papæ, id est, vni episcopo Romano, authoritatem tribuerint Consilio, id est, scripturis & Deo maiorem, penes quem esset ius rescindendi priora, si alia quæpiam illi interim in mentem venissent: atq; inde factum est, vt celebrium Consiliorum decreta posteriorum authoritate abrogata fuerint.

Ad A... tinet c... de fid...

Nostra Consilia.

Cum autem magna disceptatio fuisset, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quod ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, vt per os meum audirent Gentes verbum Euangelij, crederentq;. Et qui nouit corda Deus, testimonium præbuit illis, dans illis Spiritum sanctum sicut & nobis: nihilq; discreuit inter nos & illos cum fide purificauerit corda illorum.

Incaluit disputatio propterea; quod vtraq; pars ambiret victoriam. Qualia autem vtriusque partis argumenta fuerint, non ascripsit historicus, at nos ea nihilominus non ignoramus, qui Epistolas Pauli habemus, super hac re copiosissime & doctissime disserentes. Scopi præterea vtrorumque manifesti sunt. Apostoli enim contendebant vnicum Christum Iesum satis esse credentibus, & iccirco Gentes in consortium Dei citra legalia recipiebant. Nazaræi vero asseuerabant non vnum Christum sufficere, sed & legalia ad salutem esse necessaria: ergo Gentes circumcidendas, & iugo legis subijciendas esse contendebant. Iam ergo cum in hoc certamine partium incanduissent animi, Apostolus Petrus negotium dirempturus magna grauitate assurgit, pulchraque oratione habita, ostendit Paulum & Barnabam rectius sentire, Pharisæos autem turpiter errare. Multis autem argumentis comprobat Gentibus ad fidem conuersis satis esse Christum, neque illas post hunc vllis indigere legalibus ad perfectionem. Atq; hic orationis Petri scopus est. Primum autem argumentum quo hoc approbat, à pronunciatis est. Nam reuelationi & oraculo Dei innititur, & per expositionem quandam aptatur. Est autem tale. Cum ego aliquando ambigerem Gentes, ne in consortium fidei recipiendæ essent, an non essent recipiendæ, clarissimo ostento commonstrauit mihi Deus recipiendas esse. De hoc planius in capite 10. Iam vero cum de recipiendi modo penderem animi, ecce non expectata circuncisione, nec vlla sacrificij lustratione præcedente, ad solam Christi prædicationem illapsus est Spiritus sanctus in Gentes ad quas missus eram, non vt circumciderem, sed vt Christũ prædicarem. Proinde quum constet Spiritum sanctum non conferri impijs & prophanis, illi autem qui cum Cornelio erant, non sint purgati vllis externis legalibúsue, restat quod per fidem in Christum prædicatum sint purgati, & iccirco sufficere Christum Gentibus. Hæc autẽ est huius partis summa, quæ sanè in multa potuerat findi argumenta, sed breuitati & simplicitati studentes, hæc præterea paucula quidem adijcimus. 1. Elegit me Deus (ait) vt audirent Gentes verbum Euangelij, & crederent. Audirent, inquam, non legalia, sed verbum Euangelij: & crederent, non circumciderentur. Singula enim verba pondus habent. 2. Qui nouit corda Deus, id est, qui non recipit personam, sed vere iudicat, testimonium præbuit illis, quod sibi placeant, qui tamen incircumcisi erant. Quis ergo damnabit eos qui Deum iustificantem habent? Per circumcisionem autem maximum Iudæorum sacramentum, subinde intelligimus omnia legalia. 3. Nihil discreuit inter nos & illos.) Nam & Paulus, An Iudæorum (inquit) Deus tantum? An non & Gentium? Certe & Gentium. Quandoquidem vnus Deus qui iustificabit circumcisionem ex fide & præputium per fidem. 4. Fide purificans corda illorum.) Non ergo externis purgatur quisquam, non circumcisione, non ipso sacro baptismo, quæ purgationis signa sunt. Purgatio Dei est, ea per fidem acquiritur. Ioannes Chrysostomus in hunc locum scribens, dicit, A SOLA FIDE (inquit) illa assequuti sunt, & nõ operibus vel circumcisione. Sed de hac re copiosius ad Rom. 4. disputatum est. 5. Nihil discreuit inter nos & illos.) Huic correspondet quod Paulus dixit. Non est distinctio. Omnes peccauerunt ac destituuntur gloria Dei. Iustificantur autem gratis per illius gratiam, &c. Rom. 3.

Oratio Petri.

Heb. 9.

Vide.

Nunc ergo quid tentatis Deum, vt imponatur iugum super ceruices discipulorũ, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodũ & illi,

Ad finem inclinat oratio. Argumentatur autem ab inutili siue impossibili ad hunc modum, Lex non data est vt iustificet, neque lege iustificati sunt patres nostri, ergo ne nos quidem illa iustificabimur. Cæterum hæc longe alia orationis figura effert, vt oratio ad finem inclinans ardeat, & aculeum in animis auditorum relinquat. Nam per interrogationem incendit, & in Nazaræos, veluti inuehitur, sed & memoria patrum aggrauat, & iugi tentationisq; Dei commemoratione omnino exasperat. Tentant autem Deum qui suæ voluntati magis acquiescunt quam reuelationi diuinæ, aut qui alia via ad salutem ingredi volunt, quam constituta: quasi vero Deo sapientiores sint, quem procul dubio hac pertinacia ad indignationem prouocant, aut qui dubitant de veritate, potentia & misericordia Dei. Iugum seruitutis & oppresionis signum est, id quod prouerbio quoque ἰσοζυγιάδης ἄνθρωπος notatum est. Illud autem in primis obseruandū est, quod dixit, ne patres quidem vetustos vnquam potuisse portare legem. Quod sane de circumcisione aut Lege ceremoniali tantum intelligere non potuit, sed & de morali potius. Siquidem ceremonialia facile ferebant, at operibus suis iustificari nunquam potuerunt. De qua re copiosissime scriptum est in epistola ad Romanos & Galatas. Atque hoc quidem longe firmissimum & vetustissimum argumentum est. Quis enim posthac tam fuerit impudens, vt se credat operibus suis aut per legem iustificari posse, qui videat sanctissimos patres non Lege, sed gratia iustificatos esse. Iam sequitur totius negotij illatio, Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodum & illi. Vnus ergo Christus sufficit omnibus, adeo vt & Iudæis ad salutem nihil conferat lex. Nam gratia, non lege saluantur & ipsi: tantum abest vt Gentibus quisquam ea posit imponere, quæ ne ipsis quidem Iudæis profuere. Cæterum non credo vspiam extare, vt breuiorem ita doctiorem, planiorem & magis piam orationem, vt vere in ipsa ostentarit Petrus ingenium Apostolorum principe dignissimum.

Tentare Deū. *Iugum.*

Tacuit autem tota multitudo, & audiebant Barnabam ac Paulum, narrantes quæ Deus ædidisset signa & prodigia inter Gentes per ipsos.

Miracula.

Dicit oratione Petri coercitam esse tumultuosam Pharisæorum aduersus Paulum ac Barnabam contentionem. Cristas enim conuulserat Petrus. Iterum ergo prodeunt Paulus ac Barnabas, & exponunt signa & prodigia quæ per ipsos egisset Deus inter Gentes, nimirum ita confirmantes vocationem Gentium & dogma suum de quo erat concertatio. Siquidem iam sæpe monuimus plurimum posse miracula, si accedant ad sanam doctrinam: nihil autem plus posse quam parabolas, si dogma cui iunguntur sit dubium.

Et postquam conticuissent, respondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me: Simeon narrauit quemadmodum primum Deus visitauerit, vt sumeret ex gentibus populum in nomine suo, & huic consonant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, ac rursus ædificabo tabernaculum Dauid, quod collapsum est: & diruta eius instaurabo, & erigam illud, vt requirant qui reliqui sunt homines, Dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus, qui facit hæc omnia. Nota à sæculo sunt Deo omnia hæc opera sua.

Non citra insignem fructum meminit vicissitudinis, quod scilicet alijs silentibus, alij ad dicendum prodierint. Monet enim ordinem ac disciplinam in eiusmodi seruandam esse collationibus. Vesanientium enim, non prudentium est, aliorum orationes interrumpere, occlamare, iurgari, & conuitijs in arenam altercationis rixarumque prouocare. Cæterum oratio Iacobi (quem Chrysostomus Hierosolymorum facit episcopum) sententiam Petri ac Pauli de absoluta fidei in Christum perfectione, confirmat: confirmat autem testimonijs Prophetarum. Nihil enim dubitauerim Iacobum, vtpote legisperitissimum plurimis Prophetarum testimonijs rem demonstrasse, comprobasseque præsentem: è quibus tamen omnibus Lucas vnicum tantum, quod & clarissimum & euidentissimum videbatur delegit, atque in historiæ suæ monimentum retulit. Hoc enim & ipsa historiæ verba possunt. Sic enim sonant, Et huic consonant verba Prophetarum. Et protinus vnico contentus testimonio, subiungit, Sicut scriptum est, Post hæc reuertar, &c. Alij dicunt verbis inesse numeri enallagen. Locus autem Prophetæ extat Amos capite quinto, in quo Propheta dicit Iudæos propter mores corruptissimos, maxime vero propter insatiabilem auaritiam funditus esse excindendos, deinde vero Gentes in deperditorum locum assumendas. Intellexit enim per Tabernaculum Dauid ipsam Ierusalem, siue (quod alijs visum est) templum. Illud inquam quod collapsum est (inquit) restituam, non vtiq;

Oratio Iacobi.

non vtique aliud & ceu nouum quoppiam instituam, sed diruta eius instaurabo. Allegorice enim significat quod in repudiatorum Iudæorum locum Gentes sit substituturus, vt qui hactenus populus Dei (vt Osee ait) dictus sit, posthac sit non populus eius; & quæ non dilecta, iam sit dilectissima. Hæc autem confirmant, quod & Gentes ad populum Dei pertineant. Iam quod ad recipiendi modum attinet sequitur, vt requirant qui reliqui sunt homines Dominum, & OMNES Gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus, qui facit hæc omnia. Non autem meminit circumcisionis aut Legis, per quæ sint recipiendæ, sed fidei & timoris Dei. Per hæc enim fit vt requiramus Deum, & vt eius nomine vocemur Christiani seu populus Dei. Nam idiotismo Hebraico super eos inuocatur nomen Dei, qui nomine & numero populi Dei numerantur: vt liquet Gene. 48. Isaiæ 4. Alij simplicissime nec male intellexerunt, Quicunque inuocauerint nomen meum: vt cum eo cõgruat testimonio, quod apud Ioel legimus, Futurum est autem vt omnis qui inuocauerit nomen Domini, seruetur. Iam Diuus Hieronymus hunc Amos locum explicans, submonuit vtranque gentem & Iudaicam & Gentilem sub eandem fidei concludi regulam. Siquidem per reliquos homines intellexisse reliquias gentis Iudaicæ, quæ Apostolorum tempore, opido paucæ, fide sint saluatæ. Quod autem in fine Prophetici testimonij appenditur, Dicit Dominus qui facit hæc omnia, miram habet cui dentiam. Paucis enim illi confutantur, qui factum Domini in suspicionem trahere, & calumniari potuerant quod immundam Gentem vocasset. Dicit ergo: Dominus est qui facit hæc omnia, qui omnia quæcunque fecit bene fecit. Hic iam ad expositionem huius, ipse Iacobus de suo addidit: Nota à seculo sunt Deo omnia hæc opera sua. Quasi dicat, Nihil temere hic fit, siue in repudiandis Iudæis, siue asciscendis Gentibus, omnia ab æterno præordinata & prope à Deo pensitata sunt: ipse nouit cuius rei gratia quæque operetur, ab ipso rerum principio nihil non prudenter disposuit: vt nunc in hoc quoq; à nemine merito culpari posit.

Propter quod ego censeo, non obturbandum esse illis, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum: sed scribendum ad eos, vt abstineant se ab inquinamentis simulachrorũ, & scortatione, & suffocato, & sanguine. Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet qui ipsum prædicent in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur.

Ex scripturis iam hoc ipsum colligit quod Petrus iamiam definierat, Non obturbandum esse Gentibus iugum legis, quo ferendo nemo neque veterum, neque recentiorum iustificatus sit. Est autem elegantia in verbo μὴ παρενοχλεῖν, quod vetus interpres vertit, Non inquietari. Erasmus vero rectius, Non obturbandum esse, siue non addendam molestiam. Sgnificat enim ἐνοχλεῖν fatigo, turbo, & molestia afficio. Et quid oro aliud erat absolutis aliâs imponere legalia, quæ ad perfectionem nihil conferebant, quam præter ius & fas optimos re nihili defatigare? Hinc autem facile coniecturamus Diuum Iacobum in epistola sua, quæ prima numeratur inter canonicas, non ea fuisse sententia qua multi videri volunt. Quomodo enim in illa operibus potuisset tribuisse iustitiam, qui in loco Petro subscribit, qui omnem iustitiam absolutæ tribuerat gratiæ? Aduersus illos itaque disputationem instituit, qui fidem (nostrorum quoque more) iactabant, impie interim viuebant. Da qua re satis copiose dilectissimus frater & symmista noster Leo Iudæ in omni eruditione & pietate vir laudatiss. nuper super hac epistola disseruit. Iam vero cum fides prudentiam & charitatem sibi habeat iunctam, Iacobus pro declaratione huius negotij, addit quædam alia, ne nimia breuitas errori apud Gentes sub ministraret ansam, neque nimia indulgentia Iudæis occasio esset scandali. Duo erant in quibus Gentes semper fuerant infames, idololatria videlicet & scortatio. In idololatria enim educati, & scortationis adeo erant asueti vt nullius reputarent, si quis etiam contaminatissimus hac spurcitie foret. Cernens ego Iacobus pro fidei prudentia, errori patrocinium aut certe occasionẽ addi, si non singulari specialique quodam mandato ijs interdiceretur Gentibus: licet non nesciret Euangelica prædicatione ea ipsa prohiberi damnarique, censuit peculiariter monendas esse Gentes, vt ab ijs duabus rebus se prorsus abstraherent. Rursus duo erant, quibus Iudæi mordicus adhærebant, abstentio à sanguine, & abstentio à suffocato, non tam quod lege essent præcepta, quã quod ante legem latam mox à diluuio fuerant mandata: rationem ergo habens charitatis Iacobus, suadet Gentibus pro tempore, abstinendum esse à suffocato & sanguine, quod minimum hoc Gentibus dispendij, multum autem compendij Iudæorum respectu allaturum videretur. Quod autem duo illa, pro tempore, Iudæorum nomine, ne exigua re prorsus offenderentur, suaserit obseruanda esse Iacobus, inde liquet quod mox sequitur: Moses enim (obserua causalem γὰρ enim) ex more antiquo in singulis ciuitatibus suos habet professores, qui ipsum per singula profitentur sabbata. Quasi dicat, Pro-

D. Iacobi epistola.

Leo Iudæ.

1. Ratio explicandi nodum de vetitis à Iacobo.

pterea velim hæc obſeruari, quod Moſes iſta vrgeat vehementiſsime, quæ ſi penitus negligerentur, ipſe prorſus contemni videretur. Eraſmus vero hunc locum exponens, Nec eſt metuendum Iudæis (inquit) ne Moſes antiquetur. Habet enim ille iam olim à priſcis ſeculis, qui prædicent ipſum in ſynagogis, vbi ſingulo quoq; ſabbato legitur ex more. Beda quoque aliud videtur ſequutus, Chryſoſtomus vero, Quare (inquit) non eadem Iudæis quoque ſcribimus? Addit, Moſes illis continue loquitur. Sed quid multis? Iacobus hoc loco non tam religionis quam conciliationis videtur habuiſſe rationem, nempe quomodo Gentes inter ſe longe diuerſiſsimæ potuerint redigi in concordiam atque vnam Eccleſiam. Hoc autem fieri non potuit, niſi vtriſq; aliquid daretur & adimeretur. Non enim potuerant hactenus iſtis Apoſtolorum præſentibus quantumuis doctis & pijs permoueri orationibus. Dolebant ſubinde Iudæi ſe victos eſſe, ereptam quoque circumciſionis gloriam. Execrabantur quoque Gentes non alio nomine magis quam quod idololatræ & immundi immundis quoque veſcerentur quibuslibet. Ergo minus dolerent Iudæi ablata ſibi eſſe legitima ſua, cenſet Iacobus palàm pronuntiandum eſſe & gentibus ſua abrogata eſſe legitima, hoc eſt auitum idolorum & ſcortationis vſum. Rurſus, Quia Iudæi ceſſerant Gentibus circumciſione & ſacrificijs, cedere debere & Gentes Iudæis in ſuffocato & ſanguine: vt vtrinque aliquid de ſuo concedentes, à pertinacia & ferocia auocarentur: & vt vtrinq; è medio ſublatis ijs quę hactenus maximorum diſsidiorum cauſſę fuerant, melius in vnum coaleſcerent Eccleſiæ corpus. Atque hæc videtur omnium ſimpliciſsima in hoc negotio eſſe ſententia: cui iam veluti generalis cauſſa ſuppingitur, Moſes enim ab ætatibus, &c. Quaſi dicat, neque enim omnino nihil dandum Iudæis, quod rerum ſuarum maximum habeant authorem Moſen. Interim verò non neſciebat Iacobus, ſpiritum Chriſti ſubinde iſta magis magiſque illuſtraturum, vt tandem omni Gentilis & Iudaici nominis interſtitio ſublato, in vera fide coaliti, & in vnum corpus redacti, in vera quoque agerent libertate. Reſtat nunc vt de ſingulis iſtis membris peculiaria quædam paucis ſubijciamus. Principio quod hoc loco inquinamentum ſimulachrorum vocat, id in Epiſtola vna voce εἰδωλόθυτον, id eſt, ſimulachro immolatum dicunt, & vnica voce omne id intelligunt, quod cultui ſimulachrorum connexum eſt. Ab eo ergo volunt ſibi caueant Chriſtiani. Fortaſsis alluſit Apoſtolus ad illud Deutero. 7. Idolum abominatio eſt Domini Dei tui. Quaſi ſpurtitiam deteſtaberis & velut inquinamentum & ſordes abominationis habebis, quia anathema eſt. Cæterum pluribus aduerſus idolothyta ſcripſit Paulus in 1. ad Corinth. cap. 8. & 10. Plura ad Roman. 1. aduerſus ipſa idola. Quibus nos illud addere voluimus quod P. Crinitus libro de honeſta diſciplina nono cap. 9. ex libris Auguſtalibus, in hæc verba tranſcripſit, Valens & Theodoſius Auguſti Imperatores præfecto prætorio ad hunc modum ſcripſere. Quum ſit nobis cura diligens in rebus omnibus ſuperni numinis religionem tueri, ſignum ſaluatoris Chriſti nemini quidem concedimus, coloribus, lapide aliâue materia fingere, inſculpere aut pingere, ſed quocunque reperitur tolli iubemus, grauiſsima pœna eos mulctando, qui contrarium decretis noſtris & imperio quicquam tentauerint. In quo ſi quis forte authorem deſiderat, is Imperatorum decreta & edicta legat, quæ à viris doctiſsimis Triboniano, Baſilide, Theophilo Dioſcoroque & cæteris per ſatyram collecta ſunt, imperante hoc maxime Auguſto Iuſtiniano. Quod propter eos maxime annotamus, qui de ſimulachrorum cultu toties conuicti erroris, adhuc ogganniunt neſcio quas antiquitates, Conſilia, doctos, leges & iura: ſed falſo. A noſtra parte enim ſtat ipſa veritas verbum Domini, lex diuina, lex Cęſarea, Conſilium hoc primum (omnibus alijs præiudicans Conſilijs) Apoſtolicum Hieroſolymæ celebratum, ſanctorum patrum quoque, Epiphanij & Athanaſij in primis, deniq; multorum eruditorum hominum teſtimoninia. Certe Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum libro 1. capite 31. maxime ſtomachatur in eos, qui negant Chriſtū alibi præcepiſſe aut tradidiſſe vt idola confringantur, quum longe aliud perhibeat Propheta Iſaias. Atqui plura forſan dicentur & in 17. capite huius libri. Deinde in Scortationis vocabulo velut in genere reliquas illicitæ Veneris ſpecies intelligit, quas Paulus paſsim, vt Roma. 1. Epheſ. 4. & 5. ſed præcipue in 1. ad Corinthios 6. capite inſequitur. De ſuffocato autem legis Leuitici 19. Non comedetis carnem cum ſanguine: quem locum ego de ſuffocatis intelligo. Nam quæ ſuffocantur, ſanguinem retinent à morte congelatum. De ſanguine legimus Leuitici 17. Sanguinem vniuerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt: & quicunque comederit eum, interibit. Iam vero cum ipſe Dominus teſtetur illud quod os noſtrum ingreditur non coinquinare hominem, certum eſt iſtis omnibus ſuffocationem, hoc eſt oppreſsionem pauperum, rapinam, & vſuram, deinde & cædes ac parricidia prohibita eſſe: id quod & Chryſoſtomus palàm teſtatur. Vt nunc videamus pauciſsimis iſtis potiſsima religionis noſtræ capita eſſe recenſita. Primo enim commendatur nobis vnius Dei religio, damnatur idololatria. Secundo demonſtratur in Chriſto ſolo eſſe omnem plenitudinem, cuius gratia per fidem iuſtificemur, non per merita aut externas quaſdam obſeruationes. Tertio præcipitur vitæ puritas ac innocentia, contra luxum & homicidia. Illud quoq; annotan-

2. Ratio explicandi nodum de vetitis à Iacobo.

Aduerſus ſimulachra.

Conſtitutio Cæſarum de tollendis imaginibus.

Scortatio.

Suffocatum & ſanguis

annotandum quod non diu est, quod Christiani suffocato vescimur & morticina carne. Nam Beanus presbyter apud Beatum Rhenanum, & item Rabanus in Pœnitentiario, sed & quotquot de hac re supra 400. annos tradiderunt, certum pœnitentiæ tempus præscribunt, si quis Apostolicam hanc legem fuerit præuaricatus. Sed non obseruarunt illi hoc de sanguine & morticina carne præceptum, in hoc tantum impositum esse, vt Iudæi cum Gentibus in vnum Ecclesiæ corpus facilius coalescerent: quod cum tempore impetratum fuerat, non necessarium erat à cibis abstinere, quos Deus ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus creauerat, & quibus nulla infirmis ponebatur offensio. Imò Tertuliani verba in Apologetico aduersus Gent. capite 9. quibus infanticidium à Christianorum sacris repellit, magis ad ipsam præcepti significationem homicidium videlicet respiciunt, quam ad cibum, quanquam & ad cibum quoque referantur. Sic autem habent illius verba. Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis & morticinijs abstinemus, ne quo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto. Quale ergo est, vt quos sanguinem pecoris horrere conspicitis, humano inhiare credatis? Sed hæc hactenus. *Vide an verum sanguinē biberint in Sacris Christiani.*

Tunc placuit Apostolis & senioribus cum tota Ecclesia, vt delectos ex sese viros mitterent Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, cognomento Barsaban, & Silam, viros primarios inter fratres, missis per manus eorum literis in hanc sententiam.

Quod verum esse cernebant sancti, id comprobant vniuersi. Neq; hic plura loquuntur Ioannes, Andreas siue cæteri (quod & Chrysostomus monuit) neq; indignantur. Nam puræ à vana gloria erant illorum animæ: imò viderunt nihil posse dici super hac re quod Petrus, Paulus, Barnabas & Iacobus non dixissent, consulto ergo subscribunt veritati, & hoc ipso modestiam nobis contra inanem iactantiam ac vanam ostentationem commendantes. Porrò authoritatem & fidem dogmatis facit quod testes deligunt viros inter Apostolos primarios, & quod hi, ac ipsum dogma, toti probantur Ecclesiæ. At cum Ecclesiæ nomen audimus, non coniuratio paucorum intelligitur, sed eruditorum & laicorum quoq; (quos vocant) congregatio. Apostolos enim & presbyteros ceu verbi duces merito primum recenset, at protinus ijs addit TOTAM ECCLESIAM, siue FRATRES, hoc est Christianos, quos Symbolum, quod Apostolorum vocant, sanctos dixit. Nam dum Ecclesiam, quam fatemur, quæ esset, explanare vellet, dixit sanctorum communionem, id est, quæ Ecclesia aliud non est quam cœtus Christi fidelium. Hos enim Paulus sanctos vocauit, 1. Corinth. 6. Hic autem locus Lucæ non est de alia quam particulari Hierosolymorum Ecclesia accipiendus. *Concors consensus.* *Ecclesia sanctorum cōmunio.*

Apostoli & presbyteri, & fratres, his qui sunt Antiochiæ, & in Syria, & in Cilicia fratribus qui sunt ex gentibus, SALVTEM. Quoniam audiuimus, quod quidam ex nobis egressi, turbauerunt vos, verbis labefactantes animas vestras, iubentes vos circumcidi, & seruare legem, quibus non mandaueramus. Visum est nobis vnanimiter congregatis, delectos viros mittere ad vos, cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui exposuerunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris, quam hæc necessaria: videlicet, vt abstineatis ab his quæ sunt immolata simulachris, & sanguine, & suffocato, & scortatione. A quibus si conseruaueritis vosipsos, benefacietis. VALETE.

Scribuntur etiam tabulæ, ne quid deesset quod ad fidem faciendam & veritatem confirmandam pertineret. Præuidit nimirum Spiritus sanctus tergiuersatores quosdam, qui quiduis Apostolico & Spiritus sancti atque Ecclesiæ sanctæ titulo tectum, vltro essent propalaturi. Ne ergo ab istis quisquam deciperetur, scribuntur tabulæ quibus & errones Pauli hostes mendacij conuincerentur, veritati daretur testimoniū, & concordia inter Iudæos ac Gentes conciliaretur. Hic enim est huius epistolæ scopus. Primo enim post solitā subscriptionem ac epistolarem inscriptionem, perstringuntur pseudoapostoli. Subscriptio docet à quibus profecta sit epistola, ab Apostolis, presbyteris ac fratri- *Epistola concilij Hierosolymitani.*

bus. Apoſtoli autem primo loco nominantur honoris & authoritatis gratia. Nam & ipſi erant preſbyteri, 1. Petri 5. Presbyteri enim epiſcopi ſiue veritatis doctores ſunt. Fratres autem Chriſtifideles Hieroſolymitani è plebe ſunt. Hi omnes literas ſuas ijs inſcribunt, apud quos morbus erat natus. Morbum autem deſcribentes dicunt, Sunt quidam è nobis egreſsi ceu à nobis miſsi, iubentes vos circumcidi & ſeruare legem. De qua re ſatis diſputatum eſt paulò ſuperius. Iam & doctores huius dogmatis perſtringunt ac dicunt, Talibus nihil mandaueramus. Mentiti ergo fuerant quod ab Apoſtolis authoribus hoc dogma didiciſſent. Mentiuntur & hodie qui iuſtificationem multo vilioribus quam legalia fuerant, aſcribunt. Augent præterea malum, imò deprimunt iſtorum iſtitutum dicentes, ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις, id eſt, conturbarunt (verwirt) vos verbis, id eſt, offutijs & impoſturis, ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν labefactantes animas veſtras, id eſt, quibus adeo non extricarunt (quod Euangelicæ prædicationis eſt) animos veſtros aut confirmarunt & erexerunt, vt magis deiecerint, intricarint atque excruciarint. Fides enim ſerenat conſcientiam, Lex territ. Huc videtur alluiſſe Paulus in principio epiſtolæ ad Galatas, dicens, Miror quod à Chriſto qui vos vocauit per gratiam tam cito transferamini in aliud Euangelium, quod non eſt aliud niſi quod quidam ſunt qui turbant vos, & volunt interuertere Euangelium Chriſti. Deinde vt pſeudoapoſtolos perſtrinxerant, ita nunc veros Apoſtolos Paulum & Barnabam (quorum gloriæ errones derogabant) maxime commendant, imô & à conſtantia & fidelitate laudant, ſicut illos ab inconſtantia & mali ſtudio vituperarant. Iunguntur his alij duo Iudas & Silas, ne Paulus & Barnabas ſoli viderentur victoriæ ſuæ præcones eſſe. Eſt autem hic inſignis locus, quo commendatur Pauli Apoſtoli Apoſtolatus, cui & illud quoque maximum robur addit, quod Petrus, Ioannes & Iacobus, qui videbantur columnæ, dextras ſocietatis dedere Paulo, ceu fœdere ſeſe coniungentes, & vnitatem fidei teſtantes. Tandem vero paucis verbis ſubiungunt quod volunt, quod nihil illis imponant oneris, niſi illud forſan cuipiam videatur onus, quod tamen multis nominibus ſit neceſſarium, non modo propter religionem, ſed & propter charitatem & concordiam, vt caueant ſibi ab idolis & ſcortatione, & abſtineant à ſuffocato & ſanguine. Diuus Iohannes Chryſoſtomus, Et quare (ait) addit, Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, cum ſuffeciſſet dicere, Spiritui ſancto? Ne putarent humanum aliquid eſſe. Ad quem modum & Beda ſcribit, placuit & nobis, non noſtra ſolum voluntate, ſed eiuſdem ſpiritus inſtinctu.

Margin: εἰμή τινες εἰσὶν, οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς.

Illi ergo dimiſsi venerunt Antiochiam, & congregata multitudine reddiderunt epiſtolam. Quam cum legiſſent, gauiſi ſunt ſuper conſolatione. Iudas autem & Silas cum eſſent & ipſi Prophetæ, ſermone copioſo adhortati ſunt fratres, confirmaueruntque. Commorati autem illic aliquantulum temporis, dimiſsi ſunt cum pace à fratribus ad Apoſtolos. Viſum eſt autem Silæ manere ibidem.

Iam vero ne quid penitus deeſſet, exponit quomodo hæc victoria veritatis inter Gentes expoſita multum gaudij ac ſecuritatis pepererit omnibus. Prophetas autem vocauit Iudam & Silam, quod docendi officio eſſent perfecti. Dicuntur enim Prophetæ non modo illi qui futura prædicunt, ſed & illi qui docent & ſacrarum periti ſunt, 1. Cor. 14. Et dimiſsi dicuntur, quibus facultas erat data redeundi ad ſuos. Nam paulò poſt dicit Silam non abijſſe. Hactenus vero dogma fidei Chriſtianæ primarium omnigenis confirmatum eſt teſtimonijs. Hoc autem eſt illud dogma, quod Chriſtus Ieſus Dei & Mariæ filius, ſolus omnia ſit credentibus, & quod fide in eum iuſtificentur credentes, per gratiam ipſius, non per legem, merita, ſacrificia, ſacramenta, & externas obſeruationes. Audiat hoc mundus & intelligat, CHRISTVS fidelibus OMNIA SOLVS EST. Si quis aliud prædicauerit, anathema ſit, etiam ſi multis Conſilijs, doctorum calculis, & diuturno vſu à pleriſque obſeruatum atque comprobatum ſit. Hoc caput Actor. 15. quo tota ſyncerioris theologiæ ſumma compræhēſa eſt, omnibus alijs præiudicat doctrinis. Neque aliud inueniri poteſt quod firmius ſit. Si enim Conſilij generalis te mouet authoritas, ſi vetuſtas delectat, ſi Spiritus ſancti credis inſpirationi, ſi quid apud te valet Apoſtolorum dignitas & ſacroſanctæ Eccleſiæ fides, ſi ſcripturas poſtulas, reuelationes petis, miracula exigis, ſanctitatem, eruditionem, multitudinem, & ſanctorum teſtimonia probas, ſi quid apud te tabulæ, inſtrumenta ſiue literæ valent, nihil horum eſt quod hic deſiderare poſsis. Congregatur Eccleſia, adeſt Spiritus ſanctus, ſcripturas habet Iacobus, reuelationem Petrus, miracula & prodigia Paulus, definiunt ſancti, eruditi & probi viri, conſcribuntur literæ, adduntur teſtes: breuiter, nihil omittitur, quod fidem veritati addere videbatur. Valeant ergo omnia omnium hominum conſilia, ſcripta, ritus, conſuetudines, & quicquid eſt quod cum hiſce noſtris, hoc eſt Apoſtolicis teſtimonijs non conſentit aut compugnat. Veritas eſt immortalis.

Margin: *Summa & authoritas vere religionis.*

COM-

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER IIII.

PROOEMIVM.


IAM vero sequentis libri texendum est argumentum. In hoc complexi sumus peregrinationem quam vocant tertiam, hoc est, eam qua ab Antiochia digrediens comite Sila, non modo nobiles Asiæ & Græciæ vrbes peragrauit, sed & eas omnes reuisit vrbes, quas priore peregrinatione ad fidem conuerterat Christi. His enim perlustratis in Galatiam & Phrygiam se contulit, istis Euangelium prædicauit. Hic vero Ephesum proficisci deliberans, prohibetur ne in hac prædicet, ergo ad Bythinos iter instituit, sed ab his quoque reuelatione auocatus in Græciam secundis soluit ventis, & Neapolim quidem primo appulit, hinc Philippos iuit, sed virgis cæsus propter eiectum è puella quadam Pythonis spiritum, Amphipolim deinde Apolloniam, inde vero Thessalonicam venit. Orto autem tumultu demissus est Berrhœam, ab hac Athenas, atque hic cum diuersæ factionis disputans philosophis, demonstrauit, quantus ipse cum in diuinis tum prophanis vir fuerit. Ab Attica Corinthum venit, quam Cicero lumen totius Græciæ dixit, ibi rara diligentia Christum prædicat annum vnum & menses sex; tandem inuidia Iudæorum inde pulsus Hierosolymam abnauigat, vbi diem pentecostes peragit. Deinde iterum reuersus Antiochiam ex hac abit in Galatiam & Phrygiam, tandem vero peragratis omnibus superioris Asiæ partibus defertur Ephesum, atque ibi magna quædam patrat, & in maxima coniectus pericula ex insana liberatur seditione, quam & graphice descripsit Lucas. Nunc ad ipsam redimus historiam.

PAulus vero & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & annunciantes cum alijs etiam compluribus sermonem Domini. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes iam visitemus fratres nostros per omnes ciuitates, in quibus annuntiauimus sermonem Domini, quomodo se habeant.


NVLLIBI cessarunt sancti Apostoli, semper laborarunt in propaganda Dei veritate. Et quanquam alij quoq; complures essent qui & ipsi sacros codices explanarent, & sacris cōcionibus inuigilarent, ipsi tamen non otiabantur. Laudatur & Pauli diligentia & omnibus proponitur Episcopis imitanda. Hęc enim solicitudo decet Apostolicos vt ouium suarum salutem sic quærant, vt non grauentur eos inuisere, salubri doctrina reficere, consolari, errores & scelera, si quæ interim orta fuerint, tollere è medio. Scilicet hoc faciunt Episcopi nostri.

Barnabas autem consulebat, vt assumerent & Ioannem, cognomento Marcum. Paulus autem nolebat, vt is qui defecisset ab ipsis ex Pamphylia, nec isset cum eis in opus, adiungeretur. Tam acris autem fuit inter eos disceptatio, vt alter ab altero seiungeretur, & Barnabas quidē assumpto Marco nauigaret in Cyprum. Paulus vero allecto Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam ac Ciliciam, confirmās Ecclesias.

Maxima & propè diuina, non humana facta audiuimus à Paulo ac Barnaba esse patrata: iam ne quis viros tantos nesciret esse homines, aut plus illis tribueret, quam ipsa religio postulat, finit eos hoc loco Domin⁹ aliquid humani & infirmitatis pati. Infirmitatis enim humanæ erat, quod super re exigua, adeo contendebant, vt nimiam illam animi impotentiam vel gestu corporis, pallore scilicet & tremore proderent. Horrent enim ad paroxysmos corpora febricitantium. Et medico verbo vsus est hoc loco Lucas. Id autem sapientissime à Deo dispositum erat, quod non propter doctrinam contendebant, sed propter homuncionem Marcum. Si enim doctrina apud principes Apostolos venisset in dubium, certe imbecillibus hoc maximam ambigendi de doctrina Euangelica suppeditasset ansam. Contendunt ergo propter Ioannem Marcum, quem Paulus à ministro Euangelico & iner- *Dissensio Barnabæ & Pauli.*

Actor.15. tem & timidum repellebat, Barnabas vero assumendum, vt non pœnitendę spei iuuenem suadebat. Neuter hic sua sententia cedere voluit: vterq; quod faciebat, pia cura fideq; faciebat. Dum autem quiuis in suo sensu abundat, distrahuntur, nec sine maxima Euangelij & Ecclesiarum fruge. Nam dum Paulus allecto Sila in Syriam, Barnabas verò cum Marco suo in Cyprum abiret, latius propagabatur Euangelium. Et D. Ioan. Chrysost. in ea sententia fuit, vt crederet istam separationem diserte factam esse, & quod inter se dixerint, Quoniam ego non volo, nec tui vis, ne pugnemus: distribuamus prouincias. Atq; ita quidem noluisse Barnabam infringere quod Paulus ratum omnino volebat: & rursus noluisse Paulum hostilius cum Barnaba confligere: itaq; vtrunq; non gladiatorio, sed sui propositi tenaciori animo discessisse. Addit mox, nostrum nō esse vter melius consolueris pronunciare. At Beda magis inclinans ad Pauli partes, Quoniam (inquit) in ipsa aciei fronte constitutus Ioan. Marcus, nimis trepide steterat, merito eum Paulus abiecit, ne illius quasi contagione vires corrumperentur aliorum. At Barnabas interim neminem credidit esse abijciendū, de quo modo spes esset melioris frugis. Etenim lapsis deberi veniam tota clamitat scriptura. Et sane Paulus asperior erat, Barnabas multo mitior. Iā & in Prophetis videre est varios mores variasq; sententias. Erat enim Helias austerus, Moses vero mitis. Sed quid multis opus? Dominus ostendere voluit istos fuisse homines. Deinde quam graui culpa ab illis peccetur, qui dum ad Euangelij munus asciscuntur, & prouinciam subeunt prædicandi verbi Dei, repente hominum minis aut insidijs ita terrentur, vt vel loco cedant, vel veritatem, pro hominum arbitrio, tractent. Postremo discimus ex hoc dissidio non protinus veritatis doctrinam abicienddam esse, quantumuis inter se doctores nonnunquam dissentiant. At sciendum interim, quod in gratiam mutuam inter se iterum redierunt. Vides enim quod Barnabas postea multum à Paulo in Epistolis celebratur. 1.Cor.9.

CAPVT XVI.

PEruenit autem Derben & Lystram, & ecce discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris cuiusdam Iudææ fidelis, cæterum patre Græco. Huic testimonium bonum reddebant qui Lystris erant & Iconij fratres. Hunc voluit Paulus secum proficisci, & assumptū circumcidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat Græcus.

Timotheus.



ELEGANTER Paraphrastes, Paulus (inquit) nihil aliud sititiens, quam per omnem occasionem indies latius proferri regnum Euāgelicum, vndique venabatur huic idoneos negotio, non aliter quam ambitiosi reges in hoc intenti, vt ditionis suæ terminos proferant, nihil magis habent curæ, quam vt duces ac præfectos rebus gerendis aptos asciscant. Delectum ergo habet in diligendo. Nam ad hanc rem non quemlibet, sed eum recipiebat qui ab omnibus bonum habebat testimonium. Talem enim oportet esse episcopum, ne quis iure scelera & nephanda possit impingere flagitia, 1. Timoth. tertio. Plurima autem extant & Pauli de hoc adolescente testimonia, maxime in secundo ad Philip. capite, & in vtraque ad hunc eundem Timotheum epistola. Quod autem hunc circumcidit, & quam ob caussam circumciderit, difficilis semper fuit apud eruditos disputatio: sed paucis hanc rem sic accipe, Paulus in Galatis capite quinto, Ecce ego (inquit) Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Et mox, Quicunque per legem iustificamini, à gratia excidistis. Loquitur autem de ijs qui circumcisioni & legalibus iustitiam tribuebant, & hactenus circumcidebantur vt iustificarentur. Itaq; circumcidit hoc loco Timotheum, cæterum hoc pacto, vt in eam nec Paulus confisus sit, nec planè Timotheus, proinde caussam subdens Lucas, propter Iudæos eius loci circumcisum esse dicit. Hi enim patrē Timothei Græcum fuisse norant, cuius filium si incircumcisum in opus Euangelij Paulus deduxisset, offendi potuisset Iudæorum infirmitas, quod legalibus spretis palàm fauere Paganismo videretur, & procul dubio Euangelium prædicantē non audissent. Itaq; Iudæis nuper fidei doctrina erudiri cœptis tantisper in re per se innocua complacitū est, quod ad scientia sanæ doctrinę firmiores redderētur. Vnde & planissimis verbis, Propter Iudæos (inquit) qui erāt in illis locis. Alio enim in loco, nēpe in Syria, Antiochiæ, & Hierosolymis Titum suum circumcidi passus non est. Quod doctrina veritatis longè lateque iam intonuisset, & quod illi vrgerent circumcisionem ad salutem esse necessariam. Itaque in Tito exemplum pernitiosissimi erroris admittere noluit. In Timotheo autem quoniam spes erat fore, vt sanam doctrinam reciperent Iudæi, circuncisionem nihil moratus est. Quo nimirū illud Chrysostom

Paulus Timotheum circumcidit.

ſoſtomi ſpectauit, Circumcidit, vt circumciſionem tolleret. Beda ad eundem penè modum exponit. Et Diui Hieronymi atque Auguſtini ſuper hac re contentio notior eſt, quam multis ſit refricanda. Cæterum qui hoc exemplo quemuis errorem ſtabiliunt, aut animi vel pauorem, vel inconſtantiam, vel hypocriſim obnubunt, in hoc errant, quod non expendunt quæ ſit temporum & exemplorum virtus & charitatis ratio. Plurima fecerunt ſancti impune, quæ ſi tu quoque facere pergas maxime peccaueris.

Cum autem pertranſirent ciuitates, tradebant eis ſeruanda decreta, quę erant ordinata ab Apoſtolis & presbyteris qui erant Hieroſolymis. Itaq; Eccleſiæ confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

Iterum commendat nobis quod Eccleſiæ in fide & confirmatæ fuerint & creuerint: vt videamus gratiam Dei ijs non deeſſe qui in veritate verbi eius ipſum vere requirunt. Quod autem Pontificij ex hoc loco apud imperitam plebem multa de Decretis Apoſtolicis garriunt, quaſi Apoſtoli multa extra ſcripturarum decreuerint regulam, inſcitiam ſuam produnt, & quod hunc locum nondum recte intellexerunt, quod videlicet hiſtoricus de eo loquitur Decreto, quod Apoſtoli in ſuperiori capite ſanciuere. Nam Tradebant eis ſeruanda decreta, dixit pro eo quod eſt, Inſtituebant Gentes ſecundum rationem eius decreti quod Hieroſolymis communibus Eccleſiæ ſuffragijs conditum erat: nempe quod ſola Chriſti gratia citra legis præſidium conferatur ſalus, & quod abſtinendum ſit Gentibus ab idolis, ſcortatione, ſuffocato & ſanguine. Hoc poſſunt & Græcanica, quæ ſic habent, Παρεδίδουν αὐτοῖς φυλάσσειν τὰ δόγματα, τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων, id eſt, tradebant ipſis ſeruanda dogmata, ipſa inquam iudicata ſiue decreta Apoſtolorum. Explicans enim quæ illa dogmata, hoc eſt, placita Apoſtolorum fuerint, nimirum quæ Hieroſolymis iudicarant atque decreuerant. *Decreta Apoſtolorum.*

Cum peragraſſent autem Phrygiam & Galaticam regionem, vetitiq; eſſent à Spiritu ſancto loqui ſermonem in Aſia, profecti in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permiſit eos ſpiritus. Cum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem, & viſio per noctem Paulo viſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, ac dicens: Profectus in Macedoniam, ſuccurre nobis. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quod vocaſſet nos Dominus ad Euangelizandum eis.

Lucas feſtinans ad res in Græcia geſtas parcius ea delibat quæ in Phrygia & Galatia geſsit. Sed quod hiſce deeſt, ſarcit epiſtola Galatis inſcripta. In ea enim vniuerſam omnis doctrinæ ſuæ rationem complexus eſt Paulus, vt Lucas parcius hac cauſſa Galaticas res delibaſſe videri poſsit. Conſtat enim epiſtolam ad Galatas longo ante tempore æditam eſſe, quam hæc à Luca componerentur. Quin & eadem ſubinde ingerenda fuiſſent, ſi ſingulas Pauli quas apud quaſuis Gentes habuit conciones aſcribere voluiſſet. Contentus ergo vnam atque alteram recitaſſe, per reliqua ſuccinctius egit. Iam quod in Aſia (Aſiæ autem nomine eam intelligimus quę circa Epheſum maxime Æolis & Ionia eſt. Nam aliàs & Phrygia & Galatia in minore erant Aſia) vetiti ſunt loqui ſermonem Dei, non alia cauſſa factum eſt, quam quod in Græciā vocandi erant. Alij aliud opinantur. Verum ſententiā noſtrā confirmat quod ſequitur, Vt viſum vidit Paulus, quæſiuimus proficiſci in Macedoniā, certi facti quod vocaſſet nos Dominus ad Euangelizandum eis: vbi Chryſoſtomus monet συμβιβάζοντες ſignificare coniecturantes (quod interpres noſter vertit, Certi facti) quaſi ex multis argumentis & maxime eo, quod ab Aſia, id eſt, Epheſo erant abſtracti, & quod in terminis (Troas enim maritima Aſiæ ciuitas eſt, ſpectans Græciam) conſtituti, præterea & viſione edocti, collegerint quod vocarentur in Macedoniam, cauſſamq; inde intellexerint cur hactenus ab his fuerint abſtracti regionibus ne prædicarent. Locus tamen hinc communis ducitur, quod à Deo mittuntur veritatis prædicatores: & quod maxima reuerentia & gratitudine amplectenda eſt veritas. Nam prædicatoribus veri carere, non minima eſt infelicitas. Quod viſionem attinet, non eſt quod multis hic diſputemus, cum de hac nonnihil annotauerimus in capite 10. Breuiter, Spiritus Domini qui Apoſtolos ab Aſia prohibuit, is viſione exhibita, in Macedoniam proficiſcendum eſſe docuit. Siue iā ſpiritus vocabulo occultam vim Dei agentem in pectoribus ſuorum ſiue angelum Domini intelligas, perinde eſt. Nam in 8. capite Lucas eundem ſpiritum, vocat & angelum. Cæterum in hoc reuelationis genere prudentia maxime requiritur, qua probemus ſpiritus num ex Deo ſint. Certum eſt enim id genus ſpectris non mi-

Galatæ. *Vocatio à Deo eſt.* *Reuelatio.*

nus illudere mortalibus dæmones, quam alijs miraculis, vt iuxta vtroque falli contingat. Annotandum fortaſsis & illud quod ſancti Dei non propria virtute nobis ſuccurrunt, ſed prædicatione veritatis. Veritate ergo ſanamur.

Cum ſoluiſſemus igitur à Troade, recto curſu venimus Samothracen, & poſtero die Neapolim, & inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia.

Dirigit enim Dominus viam tuam, ſi ieris qua ille vocarit. Et nauigationis felicitas magno erat argumento, viſionem cœlitus eſſe immiſſam, & feliciſsime ceſſuram. Quæ enim Domini auſpicijs incipimus felicius quoque finimus.

Eramus autem in eadem vrbe diebus aliquot commorantes, & die ſabbatorum egreſsi ſumus è ciuitate iuxta flumen vbi ſolebat eſſe precatio, et ſedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant.

Hic iam deſcribit quædam Philippis geſta, nec omnia, ſed peculiaria tantum, nempe quomodo Lydiam conuerterit, ſpiritum Pythonis expulerit, & virgis cæſus maleque tractatus Amphipolim conceſſerit. Non aſcribit quid prædicarit. Hoc enim iam ſatis liquet ex ſuperioribus & epiſtolis ſuis: occaſionem vero prædicandi prudenter quæſitá innuit cum temporis & loci meminit, nempe quod ſabbatorum die è ciuitate egreſsi in locum, qui erat extra portas, vicinus fluuio, vbi ſolebat eſſe precatio, id eſt, vbi diuis ſuus perſoluebatur honor. Apoſtolicæ enim ſedulitatis eſt, omnem occaſionem arripere prædicandi verbi Dei. Non autem veriſimile eſt Philippis aliam quam Gentilitiam cultam eſſe religionem. Habuerunt ergo & Gentes ſuas ferias & dies feſtiuos, quos hic ſabbatorum nomine appellat. Deinde vero ex 14. cap. liquet, quod templa extra vrbem habuerunt. Rurſum creditum eſt ab illis, & nemoribus & fluminibus quiddam ineſſe Dei. Ad flumina igitur purgabantur, iuxta illa offerebant preces ſuas: in nemora ſe conferebant religionis gratia, in ijs ſacrificabant. Iſtius clariſsima indicia ſunt apud Maronem Æneid. 8. Hæc itaq; innuit Lucas fluuij mentionem faciens.

Ad flumen fiebant preces.

Et quædam mulier nomine Lydia, purpurarum venditrix ciuitatis Thyatirorum, colens Deum, audiuit, cuius Dominus aperuit cor, vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Cum autem baptizata eſſet & domus eius, deprecata eſt, dicens: Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam & manete: & adegit nos.

Lydia vocatur ad fidem.

Peculiare exemplum eſt de muliere ad gratiam Euangelicam vocata, vt & illud eſt quod de Samaritide recenſuit Ioannes in 4. ne quis putaret fœminas à ſalute Euangelica excluſas. Porro nomen illi à regione vnde oriunda erat, datum videtur. Et Thyatira in Lydia ſunt infra confluentem Pactoli & Hermi clariſsimorum amnium ſita: à quibus Thyatireni populi dicuntur libro 5. capite 30. Notatur & negotiatio eius, quod fuerit πορφυρόπωλις, id eſt, purpurarũ venditrix, à nomine πορφύρα purpura & πωλεῖν vendere. Negotiatio ergo per ſe quidem non eſt mala. Otium & inertia malum eſt: cæterum impoſturam immiſcere negotiationi id demum malum eſt. Non peccant qui mercantur, ſed qui mercatura fratres circumueniunt. De purpura pluribus Lazarus Bayfius in 3. ca. Comment. de re veſtiaria, ſcripſit, quo loco & illud ex Budæo affirmat, Purpuræ vſum nobis eſſe ignotum. Et dubium eſt cruorem ſiue colorem ne illa, an lanam tinctam, an veſtem vendiderit. Quod autem religioſa fuiſſe dicitur, perinde intelligendum eſt, vt de Cornelio diſputatum eſt. Aderat enim veræ religionis ſenſus, ſed modus ignorabatur: protinus ergo atque Paulus prædicationem Euangelij auſpicatur, intelligit illa hanc illam ipſam eſſe religionis rationem quam hactenus deſiderauit. Deus ergo qui ſui ſenſum & ſcintillam veræ pietatis in pectus abdiderat mulieris, illud ipſum pectus iam aperit, afflatus Sancti ſpiritus immittit, & maximum veræ fidei incendium in hoc excitat, adeo vt & ſe & domum ſuam baptiſmatis ſymbolo aſtringeret Deo. Id enim & veteri religione obſeruatum eſt, vt paternæ religioni conſecraretur tota domus. Legimus & Abrahamum & vniuerſam domum eius Deo & veræ pietati per circumciſionem eſſe ſubditos. Domus autem nomine ipſam intelligimus familiam, in primis vero liberos & nepotes. Ita enim inuitis omnibus Catabaptiſtis ipſe Paulus domus ſignificationem exponit in 1. ad Timoth. capite quinto. Conſtat ergo pueros etiam ab Apoſtolis fuiſſe baptizatos. Sed de hac re alibi. Poſtremo collaudat mulierculæ Lydiæ gratitudinem &

Otium & negotium.

Domus.

nem & hospitalitatem, qua illa operibus charitatis & fidei fructibus se fidelem esse testari volebat, atq; rependere quod multo maioribus ditata esset beneficijs. De hoc in 1. ad Cor. 9. Quod autem adegit eos, non ita intelligendum est, quod inciuilius aut importunius quicquam cœperit, sed notatur Pauli modestia, qui magnopere curabat, ne cui ob conuictum & domesticas expensas molestus esset, maxime quod nunquam non bonorum virorum sodalitio (in quo & Lucam historicum nostrum fuisse credimus) stipatus, non poterat modicis nutriri expensis. Illa igitur quod opulenta esset, adigit ipsos (ἐβιάσατο) hoc est, constantius vrget, vt oblato fruantur hospitio.

Accidit autem euntibus nobis ad præcationem, vt puella quædam habens spiritum Pythonis, occurreret nobis, quæ quęstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc sequuta Paulum ac nos, clamabat, dicens: Isti homines serui Dei excelsissimi sunt, qui annunciant nobis viam salutis. Hoc autem faciebat multos dies. Sed ægreferens Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi per nomen Iesu Christi, vt exeas ab ea. Et exijt eadem hora.

Quemadmodum in 13. fraudes dæmonis detexit Paulus, ita hoc quoque loco hominibus imponentem expellit. Nam veri doctoris est, non modo veritati ferre testimonium, sed & imposturam & impietatem omnem prodere atque proculcare. Posteaquam ergo aliquandiu pietatem doctrina veritatis esset professus, nunc etiam dæmonis artes detegit atq; expugnat. Nam spiritus Pythonis aliud non erat quam virtus, hoc est impostura dæmonis. Damnatur hic spiritus in scripturis sanctis Leuit. 20. Deut. 18. 1. Reg. 28. & Isa. 8. Intelligimus autem vatidicum siue veridicum, aut diuinantem spiritum: quales erant qui à veteribus consulti, responsis & oraculis imponebant, interim etiam vera canentes. Nomen autem sortitus est ab Apolline Pythio, quod in eius delubris frequentia prederentur oracula, adeo vt nunc Apollinis spiritus, aut κατ' ἀντονομασίαν Pythius, siue Pythonicus spiritus ponatur pro oraculo, aut spiritu diuinante. Cæterum ipse Apollo Pythius dictus est à serpente, quem, vt Græci fabulantur, sagittis confecit. Alij sic cognominatum volunt ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι à consultatione occultorum: quibus tamē reclamat Macrobius in 1. Satur. lib. ca. 17. L. Cœlius Lect. an. lib. 9, cap. 19. magis superiorem videtur comprobare sententiam, dicit enim, Pytheum dicebatur oraculi locus. Nam Sparthæ Pythios inuenio nuncupatos, qui Delphos ad consultanda oracula mittebantur. Suidas πύθωνα exponit per ἐγγαστριμύθους. Quales autem illæ mulieres sint, exemplo quodam tradit Cœlius in 5. cap. 10. Plura quoquē de hoc disputauit Vadianus noster in Epitome sua, vbi describit Phamphyliam. Cęterū hoc diuinandi genus & hic vaticinandi spiritus non modo proscriptus est à scriptoribus sacris & canonicis decretis, sed à prophanis quoq; authoribus. Siquidem Plutarchus in commentatione, quæ est, Cur oracula defecerint, Fatuum (iquit) ac omnino puerile censendum est, arbitrari Deum ipsum, perinde ac Engastrimythos olim Eurycleas, nunc vero Pythonas nuncupatos, insinuantem se Prophetarum corporibus, ore illorum eloqui. Et Phauorinus apud Gellium in 14, cap. 1. deterrere volens & depellere adolescētes ab ijs qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos pollicentur, nullo pacto adeundos esse consulendosque, huiusmodi argumentis concludebat, Aut aduersa euentura prædicunt, aut prospera. Si dicunt prospera, & fallunt, miser fies frustra expectando. Si aduersa dicunt, & mentiuntur, miser fies frustra timendo. Si vera respondent, eaq; sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequam à fato fias. Si felicia promittunt, eaq; euentura sunt tum plane duo erunt incommoda, & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam defloraucrit. Nullo igitur pacto vtendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus. Plurima quoque alia huius generis apud eundem legas. Quod autem malus ille & omnis salutis nostræ hostis acerrimus bonum testimonium Apostolis dat, Apostoli vero nequaquam recipiunt; monet ne fucis & phaleratis dæmonum credamus verbis. Transformant illi se in angelos lucis, sed hoc ipso superstitioni suæ robur, atq; latebras quærunt. Dissimulant aliquousq; prudenter, vt deinceps oblata occasione magis ferociant. Nihil ergo efficiunt qui superstitiosos exorcismos, & id genus præstigias, characteribus, & augustis ac plus quam diuinis nominibus benedictionibusque compositas, hoc argumento tuentur, quod nihil nisi optima quæq; verba recitentur. Quasi vero ignoremus maxima detrimenta semper ex optimarū rerū abusu pullulasse. Id vero in primis obseruandum est, quod Paulus laudes commendationemq; illius mali non modo non fert, sed maximo affectus tædio indignanter repellit. Hoc enim instituimur, ne aures adulatoribus, aut malis hominibus, quantumuis suauia canant, accommodemus, imò istorum assentationes maxima indignatione repellamus.

Dæmon expellitur.

De spiritu Pythonis.

Alia est dea Pitho apud Politianum Miscel. cap 91.

Elegans Phauorini sententia contra veridicos.

Mar. 1.

Videntes autem Domini eius,quod abisset spes quæstus sui, apprehensum Paulum ac Silam,traxerunt in forum ad principes,& offerẽtes eos magistratibus,dixerunt: Hi homines conturbãt ciuitatem nostram,quum sint Iudæi, & annunciant instituta,quæ non licet nobis suscipere, neque seruare quum simus Romani.

Qui prius dissimularat ingenium suum nunc in ijs exerit,quorum opera Apostolos insequitur. Hos auaritia incitat. Auaritia enim lætalis aculeus est,quo qui punguntur velut infernali æstro perciti, non iam insaniunt,sed furiunt etiam aduersus istos qui quæstui suo videntur aduersari.Id quod vel hodie in omni hominum genere cernas fieri. Sacrifici,nobiles,mercatores, milites, adulteri & monopolæ,hoc tantum nomine Euangelium odiunt, & ministros verbi execrantur, quod suis timent compendijs. Verum aliud prætexunt auaritiæ suæ,religionem videlicet, æquitatem,pacem publicam.Adijciunt præterea doctrinam istam & seditiosam esse,& à nouis quibusdam excogitatam hominibus.Ita & in præsentiarum ministri satanæ aliud auaritiæ suæ prætexunt & clamant: Hi homines conturbant ciuitatem nostram.Cõtemptim autem efferunt, Hi homines,quasi quis nostrum dicat,Die har verloffnen Büben vnd Kätzer.Subijciunt enim Iudæos esse.Horum enim nomen iam tum odiosum esse Romæ cœperat,& fortassis Claudij edicto,de quo in 18.audiemus,vrbe expulsi erant.Iam quod turbarum authores dixissent,hoc comprobant,quod doceant ἔθη,id est,mores consuetudines siue istituta,quæ cum Romanis pugnent Legibus.Hic verius dixissent, quæ cum auaris nostris pugnant moribus.Sed Leges Romanas malunt,quod has violare,piaculare esset. Tradunt autem historiæ vetus Legum Romanorum fuisse decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur,nisi à Senatu probaretur.Cuius rei Tertullianus in Apologet. aduersus Gentes cap. 5.meminit. Ælius quoque Lampridius in vita Alexandri Seueri, tradit Seuerum Christo templum facere voluisse,quod & Adrianus cogitasse fertur, sed prohibitum ab ijs,qui sacra consulentes repererant,omnes Christianos futuros,si id optato euenisset, & reliqua templa deserenda. Sed & Tiberium imperatorem Tertullianus refert veritatem diuinitatis Christi ex Syria Palæstinaque annunciatam, reuelasse,atque ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui detulisse, Senatum autem quia non probauerat respuisse.Quod igitur vrbi moris fuit ex lege, hoc sibi Colonia hoc in loco vendicat,quod à populo Romano deducta esset. Nam ea de caussa se Romanos esse iactant. Sed ô impia miseraque mortalium consilia, quæ diuinitatem vel à dæmonum responsis, vel ab hominum arbitratu æstimant,quibus sanè Deus & religio non placet,nisi prius hominum testimonijs probatus sit. Similia his sunt & illorum consilia,qui hodie indubitatis,hoc est, canonicis scripturis anteponunt quorundam episcoporum placita,& Consiliorum decreta: aut qui ipsam etiam Euangelicæ fidem & sacrosancta Christi & Apostolorum dogmata vilipenderent,nisi hominum accessisset comprobatio. Sed hæc est carnis nostræ temeritas atque stultitia.

His adde. 1.Timot.6.

Conuitia in veritatem.

Rom. lex de dijs peregrinis

Scripturæ (aiunt) nullæ essent,nisi consilia confirmassent.

Et cucurrit turba aduersus eos,ac magistratus,scissis vestibus suis, iusserunt eos virgis cędi.Cumq́ multas plagas eis imposuissent,coniecerunt eos in carcerem,præcipientes custodi carceris,vt diligenter custodiret eos: qui cum tale præceptum accepisset,coniecit eos in interiorem carcerem,& pedes eorum strinxit ligno.

Sæuit ignobile vulgus,mendacijs impostorum persuasum:& magistratus ipse, cuius erat sæuientes commitigare prudentia & veri iustique moderamine regere,vel superstitione cæcatus,vel pauore attonitus tumultuantis populi,innoxios cædit.Cum reuera accusatores cædendi fuerant,Apostoli vero ob collatum beneficium coronandi.Sed beneficia à mundo pro maleficis puniuntur, maleficia autem coluntur pro beneficijs. Est enim mundi iudicium plane præposterum. Id quod & Christus prædixerat Matthæi 23.& Ioan.15.& 16.Quod autem tanta exaggeratione vincula extulit, propter liberationis gloriam tyrannidisque imbecillitatem deformandam,fecit. Sequitur enim mirabilis & inexpectata liberatio.

Cæduntur Apostoli.

Media autem nocte Paulus & Silas orantes,laudabant Deum.Exaudiebant autẽ eos qui vincti erant. Subito verò terræmotus factus est magnus, ita vt concuterentur fundamẽta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & omnium vincula soluta sunt.

Orant

Orant Apostoli in medijs tentationum fluctibus. Audit autem orantes Dominus, qui se suis nonquam defuturum fore sanctè promiserat. Igitur tyrannorum infringens potentiam mirabiliter suos liberat, nō iam per angelum secreto illos educens, sed veluti iratus, fundamenta carceris concutiens. Ita enim declarabat se terræ potentem, & omnium rerum esse Dominum. Ita & carceris custodem ad fidem sanam, velut materià ampliorà cogitandi propositâ, vocabat. Siquidem terræ motus hic & Apostolorum salus & salutis carcerarij quædam erat occasio. Beda ex hoc loco colligit maximam esse iustæ orationis virtutem. De quo dictum est in capite 4. Chrysostomus verò noctes nostras ad illam conferens Apostolicam, mire inuehitur in inertiam ac somnolentiam nostram. In his enim (inquit) nihil nisi conuiuia, ebrietates & libidines. In his & vigiliæ somno molestiores. Vigilant enim alij, sed auri cura excitati, inuidia & vindictæ cupiditate expergefacti. Non ergo nō orant, sed vigilantes pessima quæq; meditantur.

Auxilium Dei præsentissimū.

Inertia nostra.

Experrectus autem custos carceris, quū videret ianuas apertas carceris euaginato gladio erat seipsum interfecturus, existimans aufugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens; Ne quid feceris tibijpsi mali, vniuersi enim hic sumus.

Parabat sibi necem carcerarius. Maluit enim ipse sibi necem semel consciscere, quàm post multa tormenta per carnificem occidi. At Euangelij præco Paulus à crudeli instituto reuocat miserum. Euangelium enim vitam & gaudium nuntiat, miseria & desperatione liberat. Qui ergo Euangelium nesciunt, ad desperationem proniores & miseriæ multo magis obnoxij sunt, quantauis interim prudentia carnis polleant.

Cōsolatio Euangelij.

Postulatoq; lumine, irrupit, ac tremefactus accidit Paulo & Silæ ad pedes, & productis illis foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in dominū Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Et loquuti sunt ei sermonem domini, & omnibus qui erant in domo eius.

Hinc colligimus omnia opera Domini plena esse sapientiæ beneficentiæq;. Vnico enim terræmotu & Apostolos liberauit, & sensum aliquem religionis pectori indidit carcerarij, vt de vera iustificatione quæstionem moueret. Sentiens enim diuinum virtutem adesse illis, qui doctrinam salutis pollicebantur, de salute sciscitatur & ait, Domini quid me oportet facere, vt saluus fiam? Hic nihil aliud respondent Apostoli, quàm, Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Vera ergo religio & ratio consequendi salutem certissima, non subsistit in creaturarū cultu, ceremoniarum obseruatione & traditionibus humanis, sed vera in Christum fide. Hoc ipsum testatus est ipse Dominus apud Ioan. in 14. cap. & Ioan. in 1. Canic. cap. 5. Petrus quoq; Acto. 2. cap. Item Propheta Dauid in Psalm. 14. & Paulus ad Heb. 11. & ad Rom. 3. cap. Seducunt ergo mundum qui per alia quàm per fidem in Christum salutem pollicentur hominibus. Iam quod præterea loquuti referuntur verbum Domini, innuit quod copiosiori sermone negotiū Christi exposuerint Gentilibus; sed non alio modo aliáue ratione quàm supra in 10. 13. & 14. cap. est expositum.

Via salutis certissima.

Et assumptis illis in illa hora noctis, abluit plagas, & baptizatus est ipse & omnes domestici illius continuo. Quumq; perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & exultauit, quod cum vniuersa domo sua credidisset Deo.

Ex fide iustitia est, non ex operibus, quæ vltrò tamen illa profert, vbi vera synceraq; esse cœperit, & quæuis proferat, non tamē ostentat, sed oculatior est in illa quæ desunt, quàm quæ adsunt, ideoque fidelis Christo suis velut neglectis, & pro nihilo æstimatis, sese confidenter in sinum ingerit misericordiæ & beneficentiæ Dei. Sed de operibus vt sponte proueniant hic exemplum habes. Vbi enim carceris custos credidit, baptismum non contempsit, plagas & vibices vapulantium, id est, percussorum seruorum Dei abstersit, in domum suam illos perduxit, mensam apposuit, atq; hæc omnia exultans peregit. Iterum autem meminit scriptura domus, hoc est, familiæ. De quo dictum in superioribus. Porrò quod nostra lectio habet, Et exultauit quod cum vniuersa domo sua credidisset Deo. Græcè sic habet, ἠγαλλιάσατο πανοικὶ πεπιστευκὼς τῷ θεῷ. Quod vetus interpres magis propriè videtur exposuisse, nempe, Et exultauit cum omni domo sua, credens Deo. Eam interpretationem imitatus est & Germanus interpres. Est qui putat commodius esse, vt πανοικὶ referatur ad participium proxime sequens πεπιστευκώς. Cæterùm magis probatur mihi vetus interpretatio, quæ πανοικὶ retulit ad verbū præcedens. Est autem πανοικὶ congregandi aduerbiū, quod non possumus vnico verbo exprimere. Nam

Bona opera ex fide.

πανοικὶ ἀναιρεῖσθαι dicuntur, qui funditus pereunt, nullo prorſus ex omnibus relicto. Dicitur ergo hic carcerarius lætus eſſe πανοικὶ, id eſt, cum omni domo ſua nemine prorſus excepto. Cauſſa ſubditur, Credens Deo, id eſt, quod Deo credidiſſet, & iam cum omni domo ſua recenſeretur numero populi Dei.

Et cum dies ortus eſſet, miſerunt magiſtratus viatores, dicẽtes: Dimitte homines illos. Nunciauit autẽ cuſtos carceris ſermones hos Paulo: miſerũt magiſtratus vt dimittamini. Nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autẽ dixit eis: Cæſos nos publicè, indicta cauſa, quũ ſimus Romani, coniecerunt in carcerem, & nunc occultè nos eijciunt? Non profectò, ſed veniant ipſi, ac nos educant. Nunciauerunt autẽ magiſtratibus viatores verba hæc: timuerũtq́ audito quod Romani eſſent, & veniẽtes deprecati ſunt eos: & eductos rogabant, vt egrederentur è ciuitate. Egreſſi autem è carcere, introierunt ad Lydiam, & viſis fratribus, conſolati ſunt eos, & profecti ſunt.

Patiẽtia iuncta prudentiæ.

Nulla hic malitia peccant Apoſtoli, neq; patientiæ virtutis ſummæ laudem impatientia deperdunt, ſed ſuæ authoritati volebant conſultum. Metuentes enim ne flagra & vincula recenter conuerſos offenderent, neue ſermo Dei deſpectui foret, veluti falſa eſſent & digna flagris quæ Paulus docuiſſet, munus temporarium, nempe ciuitatis Romanæ, per occaſionem conuertunt ad gloriam & defenſionem verbi Dei. Neque id ſanè temere, coram his præſertim qui contra leges, furientis populi clamoribus obſecuti, Romanum ciuem ſecus tractarant, quàm æquitas permitteret. Quin & malitia, ſiue verſutia huic inerat lenitati Senatoriæ. Suę enim conſulentes authoritati, & Apoſtolicã grauantes innocentiam, poſtulant vt quaſi ſibi male cõſcij Apoſtoli & è carcere elapſi, ſeſe protinus ſubducant clanculo. Proinde magna grauitate ſubdit, Non ita fiet: ſed veniant ipſi, & iure iubeant abire è carcere quos iniuria in carcerem coniecerunt. Nam Eraſmus in Annotationibus, Paulò ante (ait) occultè nos eijciunt, erat ἐκβάλλουσιν, hic diuerſum eſt verbum ἐξαγαγέτωσαν, id eſt, educant. Nam illud conueniebat clam extrudendis, hoc conuenit palàm educendis non ſine ſatisfactione. Vnde nos conijcere poſſumus errare illos turpiſſimè, qui ita loquuntur de Patientia Chriſtiana, quaſi illa quiduis perferat citraque prudentiam omnia diſſimulet, ſuſcipiat & permittat. Sed de hac copioſius forſan diſputabimus in Cap. 23.

Paulus ciuis Romanus.

Nunc quod Paulus ſe Romanum vocat, qui è Tarſo Ciliciæ oriundus erat, intelligimus Tarſenſes ciuitati donatos fuiſſe. Hoc ſiquidem beneficentiæ genere in exteros vtebantur Romani, ſi qui ob fortia facta aut alia beneficia digni ciuitati iudicati eſſent. Iam verò Publius Valerius Publicola vir optimus, legem Romæ tulit, vt nulli magiſtratui liceret corpus Romani ciuis, indicta cauſſa condemnare, liceretque damnatis ad populum prouocare.

Priuilegium ciuium Roma.

Meminit huius Legis libro 2. ab vrbe condita T. Liuius, & in libello ſuo de Legibus Pomponius Letus. Multo igitur minus in vrbe colonia, quæ legibus inſtitutisq; Romanis viueret, Romanum ciuem indicta cauſſa virgis cædi licebat. Nam M. Cicero Actionum in Verrem lib. 7 Orat. 10. Retineri enim putatis (ait) oportere iura libertatis non modo hic, vbi Tribuni plebis ſunt, vbi cæteri magiſtratus, vbi plenum forum iudiciorum, vbi Senatus authoritas, vbi exiſtimatio populi Romani, & frequentia, ſed vbicunque terrarum & gentium violatum ius ciuium Romanorum ſit, ſtatuitis id pertinere ad communem cauſſam libertatis & dignitatis. Et paulò poſt exaggerans crudelia Verris iudicia, Ceruices in carcere (inquit) frangebantur indigniſſimè ciuium Romanorum, vt etiam illa vox & illa imploratio, Ciuis Romanus ſum, quæ ſæpe multis; in vltimis terris, opem inter Barbaros & ſalutem tulit, ea mortem illis acerbiorem & ſupplicium maturius ferret. Hinc audimus Magiſtratum quoque Philippenſem ad hanc vocem, Romani ſumus, maximè expauiſſe, deprecatosque fuiſſe, vt ignoſcerent Apoſtoli quod per populi tumultum præter ius & phas factum eſſet: imò honoris gratia deducentes eos è carcere rogabant, vt ob tumultum populi vitandum, ſecederent ex vrbe Philippenſi. His autem precibus, quia iam ſatisfactum eſſet authoritati Apoſtolicæ, & fidei iacta fundamenta, obtemperant Apoſtoli, ſalutaraque Lydia & reliquis fratribus in fide confirmatis, Amphipolim contendunt. Porrò ῥαβδούχους, quod interpres noſter viatores vertit, lictores vocauit, qui ita à virgis geſtandis ſunt cognominati. Solent enim magiſtratus miniſtri, per quos quid velint denuntiant, virgas geſtare. De quibus plura Lo. Cœlius lect. Antiq. libro 4. capite. 29.

CAPVT

CAPVT XVII.

CVm autem iter fecissent per Amphipolim & Apolloniam, venerunt Thessalonicã, vbi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinẽ autem suam Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis è scripturis, adaperiens & allegans, quod Christum oportuisset pati, & resurgere à mortuis: & quod hic esset Christus Iesus, quẽ ego, inquit, annuncio vobis.

MINORES ciuitates transeunt, ad maiores festinant, vnde quasi ex fontibus quibusdam in vicinas deriuaretur sermo. Thessalonica autem metropolis erat Macedoniæ, vbi & propter hominum frequentiam erat Synagoga Iudæorum. In hanc pro more suo (quo Iudæis primo prædicabat Christũ) ingressus, negotium pietatis diligenter tractauit. Fons autem disputationis Paulinæ erat scriptura. Materia dicendi Christus. Scripturas ergo illustrabat collato lumine Christo. Ex ijsdem comprobabat quæ de Christo prædicabat. Loci autẽ disputationis hi erant. Quòd Iesus quem ipse iam prædicaret, verus esset Messias, Quòd Christum prædixerint Prophetæ passurum & resuscitandum. Hic ergo demonstrabat quomodo Iesus Christus passus esset, & quomodo à mortuis resurrexisset. Proinde eundem Christum, & eodem modo prædicauit Thessalonicen. Paulus, quomodo prædicatum audiuimus Antiochenis in cap. 13. Verè enim dixit Chrysostomus, Summam dixit sermonum, alienus ab omni superfluitate, non vbiq; conciones totas dicendo. *Disputationes Pauli quales.*

Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna, mulieresq; primariæ non paucæ. Zelo autem commoti Iudæi increduli, & assumptis quibusdam circumforaneis viris malis, ac turba coacta, concitauerunt ciuitatem, & vrgentes domum Iasonis, quærebant eos producere ad populum.

Id quod supra sæpe audiuimus, iterum hoc loco ingeritur. Euangelium alijs suauem odorem vitæ ad vitam esse, alijs fœtorem mortis ad mortem. Et in Catalogo fidelium recensentur viri religiosi atq; mulieres primariæ, ne quis subinde obijceret, Euangelio nullos nisi nouos quosdam ignotos & nullius dignitatis vel ordinis homines, adhærere, quod in Euangelio Ioannis in calumniam rapiunt Pharisæi. Cæterùm in Catalogo persequentium primas tenent hypocritæ, proximas circumforanei homines. Iudæi autem erant illi hypocritæ. Nam zelo nõ bono, sed superstitioso mouebantur ad tumultũ. Siquidem ad Rom. 10. cap. duplicis zeli meminit Apostolus. Paria de tumultibus à Iudæis excitatis audiuimus in cap. 13. & 14. Porrò ne quis illud ignoret, Circumforaneos Latini appellant, homines in foro oberrantes, & tempus inaniter conterentes, imò emptitios nebulones, viles ac circulatores. Müssiggänger/ schlüngglen vnd feil bõ Bůben. Nam Græcè est ἀγοραίων. Oportebat autem & hic vetus compleri prouerbium, Semper similem Deus ducit ad similem. Et sanè non habet Euangelium maiores hostes, quàm illos quibus vel impietas vel hypocrisis cordi est, vel quibus anima obolo venalis est, quiq; inertia & inhonesto otio ad inopiam redacti, nunc quidem optimorum hominum inhiant facultatibus. Tales enim ad seditiones excitandas, & veritatem opprimendam sunt apositissimi. Tales hic quoque in Iasonis viri optimi ædes irruere vides, sed non assequi quod volebant. *Non abiectos tantum hærere Christo.*

Et cum non inuenissent eos, trahebant Iasonem, & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Hi qui terrarum orbem conturbarunt, huc quoq; venerunt, quos clanculum excepit Iason: & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum. Concitauerunt autem turbam, & magistratus ciuitatis, audientes hæc. Et accepta satisfactione ab Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos.

Cum (inquit) non inuenissent Apostolos, ne nihil egisse viderentur, hospitem Apostolorum & alios viros bonos contra fas & ius comprehendunt & ad principes ciuitatis protrahunt, veterem canentes cantilenam, Apostolos communem rerum statum conturbare, nouum dogma docere. Cum reuera illi ipsi seditionũ essent authores, non Apostoli, sed & peregrini dogmatis assertores. Et calumnia erat quod de nouo rege inducebant. Abutebantur enim regis & regni nomine. Nam Euange-

lium non tollit magiſtratum. Sed ne ipſe quidem Chriſtus rex terrenus eſt, ſed cœleſtis eſt. De quo apud Ioannem in 18. Duo autem in primis ex hoc loco diſcenda ſunt. Primum, qui ſint ſeditionum authores. Secundum, quòd hoſtes veritatis ipſam veritatem ab initio humanis impugnarunt decretis. Cæterùm tantum potuerunt apud Senatum & plebem calumnijs, vt prorſus commouerentur omnes. At vbi Iaſon, cæterique fratres ſatis idoneam attuliſſent excuſationem, dimiſſi ſunt à magiſtratibus. Quanquam per Satisfactionem ſufficientem cautionem & velut vadimonium magis ſignificare videtur, quàm apologiam. Vades enim Latinis dicti ſunt, qui pro alio alijsue ſpondebant, vt ſi in ius vocarentur ſeſe ſiſterent. Atque in hanc ſententiam expoſuit & Budæus in Comment. Linguæ Græcæ, dicens: Actuum Apoſtolorum cap. 17. ἱκανὸν λαμβάνειν dicitur fideiuſſores in eam ſponſionem exigere & accipere, Latinorum vtique more dictum, qui ſatis accipere dicunt. Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυσαν αὐτούς. Et cum ſatis accepiſſent ab Iaſone & ab alijs iudicio ſiſtendi ſponſionis, ipſos abire iuſſerunt, &c. Liberauit ergo illos ex omnibus periculis Dominus, ſed non citra periculum & animi dolorem.

Obſcura interpretatio.

Fratres verò confeſtim per noctem emiſerunt Paulum ſimul & Silam in Berrhœam. Qui cum aduenißent, abierunt in ſynagogam Iudæorum. Hi autem erant ſummo genere nati inter eos qui erant Theſſalonicæ, qui receperant ſermonem cum omni animi promptitudine, quotidie ſcrutantes ſcripturas, an hæc ita ſe haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & Græcæ mulieres honeſtæ, & viri non pauci.

Fuga Pauli.

Non metu vllo fugit iterum Paulus aut vitæ amore, ſed propter miniſterij fructum vberiorem, ad quem his modis ſeruauit Apoſtolos Deus, qui omnia pro ſua voluntate optimè diſponit. At cum perueniſſent Berrhœam, pro more ingreditur Synagogam, vt in ea ſic prædicet Chriſtum vt apud Theſſalonicenſes prædicarat. Atque hic laudat hiſtoricus Berrhœenſium diligentiam & animi ad fidem ſuſcipiendam promptitudinem. Hos enim ingenuiores (ait) fuiſſe Theſſalonicenſibus. Probabat enim Berrhœenſes quòd à Paulo prædicabatur: at Theſſalonicenſes non modò non probare, ſed ne audire quidem dignabantur. Neque ignoro hunc locum ſecus intellectum eſſe hactenus. Pleriq; enim exiſtimarunt nobiliores Theſſalonicenſes, qui verbum Dei prompto ſuſceperant animo, à diſceſſu Pauli, doctrinam traditam adhibuiſſe ſcripturis, atque ſic probaſſe quatenus vel conueniret vel diſcreparet. Cæterùm videtur eſſe collatio quædam. Sic enim ſonant Græca, οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, id eſt, Hi verò (nempe Berrhœenſes) erant generoſiores ijs qui erant in Theſſalonica. Deinde cauſſam ſubiungit, Siquidem illi qui receperunt ſermonem cum omni promptitudine animi, quotidie ſcrutabantur ſcripturas, num hæc ita ſe haberent, vt ille dixerat habere. Atque hunc ſenſum amplexus eſt & Paraphraſtes, dicens: Hi verò generoſiores erant Theſſalonicenſibus. Nam ſermonem Euangelicum receperunt ſumma cum animi promptitudine, quotidie vacantes ſcrutandis diuinis voluminibus, vt cognoſcerent quemadmodum ea quæ didicerant ex Apoſtolorum narratione, conuenirent cum oraculis Prophetarum ac figuris Legis. Diuus Ioannes Chryſoſtomus monet non ſimpliciter dictum eſſe Berrhœenſes legiſſe, ſed omni diligentia ſcrutaſſe ſcripturas. Hoc enim ſignificare ἀνακρίνοντες. Locus autem elegantiſſimus eſt, quo nos diſcimus, nihil temere ſuſcipiendum, ſed omnia, iuxta Pauli verbum, probanda eſſe, optima verò tenenda deligendaque. Probanda autem ſcripturis, non ſpiritu ſuperbiæ, contentionis, contumaciæ aut deſpectionis. Id ſi hodie fieret, minus turbarum eſſet. Verum malumus non modo incognita damnare, ſed noſtri commodi gratia, apertiſſimas ſcripturas proſcribere. Id quod potentiſſimus & iuſtiſſimus omniſq; mali vindex Deus propediem ſumma cum grauitate requiret.

Probanda doctrina quæuis.

Cum autem cognouiſſent Theſſalonicenſes Iudæi, quòd & Berrhœæ annunciatus eſſet à Paulo ſermo Dei, venerunt, & illic quoq; commouebãt turbas. Statimq; tunc Paulum emiſerunt fratres, vt iret velut ad mare. Silas autem & Timotheus remanſerunt ibi. Porrò qui proſequebantur Paulum, deduxerunt eum Athenas vſq; accepto mandato ad Silam ac Timotheum, vt quàm celerrimè venirent ad ſe, profecti ſunt.

Iudæorum impietas.

Iterum indicat qui ſint ſeditionum authores, non præcones verbi, ſed hoſtes verbi Dei. Hi ad opprimendam veritatem, non minus ſeduli atque acres, quàm vehementes ad eam erigendam Apoſtolici ſunt. Veniunt ergo à Theſſalonica, & Berrhœam iam pacatã & in bona pace agentem conturbant homi-

bant homines nephandissimi. De quibus in 1. ad Thessalonic. cap. 2. ita scripsit Apostolus: Hi sunt qui vt Dominum occiderunt Iesum & proprios Prophetas, ita & nos persequuntur, & Deo non placēt, & omnibus hominibus aduersantur, vt expleāt peccata sua semper, perueniatq; in illos ira in finem. Cæterum Paulus iterum fide fratrum adiutus fuga sibi consulit, nobis (vt diximus) in exemplum. *Fuga.* Quin vt omnia tutiora essent, à fratribus deducitur, atq; ab ijs per eam quidem viam ducitur, quę ad maritima tendere videbatur, vt si abnauigaturum putarent Iudæi, minus persequerentur, cum tamen illi flexo itinere Athenas proficiscerētur. Hic verò præstolans collegas ac symmistas suos Silam ac Timotheon qui Berrhœa, vtpote minus Iudæorū degrauati inuidia, permanserant, vt fratres confirmarent, præcipit ijs qui se conduxerant, vt istos quàm celerrimè ad se venire iuberent. Videbat enim Athenis plurima opus esse diligentia atq; indefessa opera.

Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incandescebat spiritus eius in ipso, cum videret simulachrorum cultui deditam ciuitatem. Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis & religiosis, & in foro quotidie cum his qui ipsum forte adissent.

De Atheniensibus redditum quandoq; oraculum legimus, tanto cæteris eos fore excellentiores, quantum aues alias præcellat in nubibus aquila. Multa ergo eorum laus est apud authores cum Græcos tum Latinos, in primis verò apud M. Tullium Ciceronem in oratio. pro L. Valerio Flacco. Sunt quædam & apud Cœlium in 25. cap. lib. 10. Certe sapientiæ fama & literarum claritate perillustres fuere, à quibus in cæteras Gentes quasi corriuata traditur humanitas. Proinde Athenas spiritu Dei delatus Paulus ibidem admiranda quædam patrat. Nam summis comminus philosophis, nulli eorum cedit, & tam erudite inter eruditissimos de Deo, de religione & cultu Dei, de Christo & mortuorū resurrectione, item de futuro iudicio disserit, vt non falso de hoc Apostolo dixerit D. Hieronymus, Quotiescunq; hunc lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Videntur quidem verba eius esse simplicia, & quasi innocentis hominis ac rusticani, & qui nec facere nec declinare nouerit insidias: sed quocunq; respexeris fulmina sunt. Hæret in caussa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit vt superet, fugā simulat vt occidat. Destinato ergo Dei consilio Athenas venit tantus veritatis doctor, vt cœlestis sapientia nō iam in obscuro aliquo Cilicię loco aut inter Barbaras gētes, sed in ipsa quoq; studiorum matre, inter mundi sapientissimos Athenienses annuntiaretur atq; vinceret. Quemadmodum verò nullum aliud flagitium Deus perinde execratur atq; idololatriam, ita non inuenias sanctissimos Dei homines ob aliud scelus incanduisse feruentius, quā ob idololatriæ crimen. Testis est Moses qui ob hāc tabulas digito Dei scriptas collisit. Testis est & Helias qui propter illam multas trucidauit sacrificiorū centurias. Testis est Iosias quoq;, & ex nostris Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, cuius verba in 1. cap. ad Rom. annotauimus, imò de Paulo nostro scriptū hic legimus; Παρωξύνετο τὸ πνεῦμα, αὐτοῦ ἐν αὐτῷ, id est, animus eius in ipso incanduit siue irritabatur, siue vt Germanicè reddamus, Sein hertz entbran vnd ergrimmet vnd erzitteret in jm. Vnde & Chrysostomus, Exacerbabat (ait) pro eo quod dicimus Excitabatur. Procul enim est ab ira & indignatione donum spiritus. Non ergo furebat, sed mordebatur: quod videlicet videret vrbem in omni eruditione & religione laudatissimam, κατείδωλον, id est, simulachris supra modum esse obnoxiam. Cęterum idolorum nomine omne id cōplectitur quod ad idolorum cultum pertinet. Equidem mirandū est nobilissimā & omnis (vt aiunt) humanitatis parentem ciuitatem simulachra tantū coluisse, cum legamus Barbaras & incultas deniq; & cultiores gentes semper ista exhorruisse. Nam Crinitus lib. de hon. disc. 12. ca. 8. de Germanis ex vetustis scribens authoribus, Deorum (inquit) imagines minimè ad humanā formam faciunt, quod illa cœlestis maiestas supra humanitatē sit. Apud Seres quoq; populos (teste Eusebio) etiam lege cautum erat, ne simulachra venerarentur. In Romanorum quoq; templis, apud Clementem & Plutarchum, ex decreto Numæ annis CLX. ab vrbe condita, nulla imaginem neq; fictam neq; pictā esse legimus. Augustinus quoq; idem testatur, authore Varrone, cuius (inquit) verba clarissimè testantur nullum fuisse in vrbe simulachrum deorum per annos CLX. factumq; deinceps vt ex imaginum & statuarum multitudine religionis cultus negligeretur atq; contemptui haberetur. Persæ etiam (testibus Herodoto & Strabone) statuas non extruebant, Ægyptiorū duntaxat stultitia inuenta idola, exinde in omnes penè Gentes deriuata sunt. Cæterum illud erat mirandū quod Atheniensis populus, aliâs sapientissimus, rem vsq; adeo stultam non modicè quidē, sed ad superstitionem vsq; erat amplexus. Hinc enim paulò post illos dicet superstitiosiores. Hinc in præsentiarum simulachrorum cultui dicuntur esse dediti. Et Pausanias in Atticę descriptione testatur Athenienses in deorū cultu reliquos Græcos anteisse. Nam Protagoras Sophista (quod Cic. lib. de Nat. deorū 1. retulit) cum in libri sui principio posuisset, De dijs neq; vt sint, neq; vt nō sint, habeo dicere, Atheniensium

De Atheniensibus.

Pauli eruditio

Aduersus simulachrorum cultum.

Germani. *Seres.* *Romani.*

Persæ.

Superstitio Atheniensium.

iuſſu vrbe atq; agro eſt exterminatus. Paulus itaq; ab iſtis ſordibus nobilem vrbem repurgare cupiens, priuſquam ipſas aggrederetur Gentes, prius honoris & promiſſionis gratia Iudæos affatur, ijs prædicat Chriſtum: nimirum eo modo quo Theſſalonicenſibus. Deinde verò & cum Gentium philoſophis manus conſerit. Sequitur enim:

Quidam autem Epicuræi & Stoici philoſophi conflictabantur cum eo,

Stoicorum hæreſis.

Lyranus hoc loco, neſcio quàm bene, locos & velut capita controuerſiæ Pauli ac Philoſophorum indicat, quorum tamen Lucas non meminit, niſi quod innuit Paulum Chriſtum prædicaſſe, & in hoc vitam & carnis reſurrectionem, item coram idololatris, non plures ſed vnum eſſe Deū quem nulla imago reddere poſſit, docuiſſe. Tametſi palàm eſt Stoicorum placita, & Epicureorum deliramenta multis modis Chriſtianæ doctrinæ aduerſari. Stoici enim vitioſum eſſe dicebant condolere amicis aduerſa patientibus: & egenis commiſereſcere deſipientis eſſe dicebant. Quandoquidem miſericordiam, vtcunque notam ipſis, inter ægritudines animi & ſpecies doloris ac perturbationum referebant: velut in Zenonis vita Laertius tradit lib. 7. Atqui nemo Chriſtianus fuerit qui idem non ſit & miſericors. Præterea in virtute ſummum bonum ſtatuebant. Quæ ſententia quanquam in ſpeciem commendabilis eſt, tamen non aliud intendit, quàm ſuæ felicitatis quemuis mortalem artificem eſſe poſſe, & ſuis viribus ſaluari, modo velit. Id quod Pelagius Brito noxius hæreticus contendit. Poſtremò in deorum peruestigatione & natura mirè variarunt, plures etiam deos admittentes, quòd palàm teſtatur libro de Natura deorum 1. M. Cicero. Longè autem rudius & peruerſius Epicurei, qui vt 3. Tuſculana Cicero ſcripſit, eum beatum eſſe dicebant, qui præſentibus voluptatibus frueretur. Proinde Seneca libro de Beneficijs 4. voluptuariam Epicureorum turbam delicatam & vmbraticam vocat, apud quos virtus voluptatis miniſtra eſſet. Mortem nihil ad ſe pertinere aiebant: nō quòd inde meliora ſperarēt, ſed quòd omnia finiri & diſſolui morte affirmarēt. Deos eſſe permittebant, cæterum negabant illos curare mortalia, & adminiſtrationem demebant. Nam quod beatum eſt, (dixit Epicurus) neq; ipſum negotia habet, neq; alij præbet. Itaq; neq; ira quidem neque gratia tangitur: quippe huiuſmodi omnia infirmitatis indicia ſunt. Hūc ſequutus impugnator ille pietatis Lucretius libro de Natura 1. ſic refert,

Epicuræorū hæreſis.

Lucretij impia aduerſus prouidentiam ſententia.

Omnis enim per ſe diuum natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur
Semota à rebus noſtris ſeiunctaq; longè
Nam priuata dolore animi priuata periclis
Ipſa ſuis pollens opibus nil indiga noſtri,
Nec bene pro meritis capitur nec tangitur ira.

Philoſophi hæreticorum patriarchæ.

Proinde cum vniuerſa Philoſophorum temeritas nihil habeat cum Chriſtiana pietate admodū commune, vt verè hæreticorum patriarchas ipſos eſſe philoſophos Tertullianus dixerit, tamen plus negotij Paulo cum Epicureis & Stoicis fuiſſe conijci poteſt, quàm cum Academicis & Peripateticis. Certum enim eſt Platonem etiam Auguſtino arridere, quē ex Moſe & Hebræis profeciſſe Euſebius quoq; tradit lib. Euang. præparat. 11. Cæterum abſolutam aduerſus philoſophos diſputationem inſtituit Lactantius in ijs potiſſimum libris quos de falſa ſapientia & de Iuſtitia ſcripſit.

& quidam dicebant: Quid vult ſpermologus hic dicere? Alij verò, nouorum, inquiebant, dæmoniorum videtur annunciator eſſe, quòd Ieſum & reſurrectionem annunciaret eis.

Conuitia in miniſtros Verbi.

Quum autem Paulus illis expoſuiſſet philoſophiam Euangelicam, ab omnibus Philoſophorum placitis longè lateq; diſſidentem, quidam ludibrij cauſſa dixerunt, Quid dicit ſpermologus iſte? Eſt enim Euangelium (teſte Paulo 1. Cor. 1.) Iudæis quidē offenſio, at Gentibus ſtultitia. Budæus autem ediſſerens quis dicatur ſpermologus, Σπερμολογῶ (ait) ſignificat nugor & verba loquaciter fundo & deblatero. Et σπερμολόγος nugator, loquax, vaniloquus, blaterator, &, vt Plautus loqui ſolet, qui libens verba funditat. Ad quem modum & Eraſmus ex Heſychij authoritate ſpermologum eum eſſe dicit, qui nugatur & nouos rumores ſpargit in vulgus, & qui ad quæſtum quiduis garrit. Germanicè redderemus, Ein märytrager/lugenſäyer/ein freyheitz vnd ſprächer. Breuiter vocabulum eſt contumelioſum, vtcunq; reddamus, & planè dignum ſupercilio philoſophico. Hodie mores & conuitia philoſophica probè referunt Theologi quidam Scholaſtici, qui purioris ſyncerioriſq; theologiæ profeſſores ac Euangelici negotij prædicatores, hæreticos & neſcio quibus alijs atrocibus nominibus appellitāt.

Dæmones.

Alij verò dicebant, ξένων δαιμονίων, hoc eſt, peregrinorum dæmonum videtur annuntiator eſſe. Monuit

autem Erasmus, Athenienses ex Platonis doctrina dæmones appellasse deorum filios, quibus tribuebant quidem corpora, sed immortalia. Quò & illud spectare videtur quod sequitur, Quòd Iesum & resurrectionẽ annuntiaret eis. Plura verò de dæmonibus eaq; lectu iucundissima & eruditissima scripsit Cœlius lib. lect. antiq. 1. cap. 25. 24. & ab ijs ad 33. vsq;.

Et apprehensum eum ad Martium vicum duxerunt, dicentes: Possumus ne scire quæ sit noua ista quæ à te refertur doctrina? Noua enim quędam ingeris auribus nostris. Volumus ergo scire, quid nam velint hæc esse.

Ioannes Ludouicus Viues in D. Augustini lib. de Ciuitate Dei 18. scribens, & quid sit Martius vicus edisserens, ex Stephani de Vrbibus sententia, dicit, ἄρειον πάγον promontorium fuisse Athenis, in quo iudicia & quæstiones rerũ potissimũ criminalium factæq; necis exercerentur. Athenis enim duo fuerunt consilia, vt scribit Libanius sophista. Vnum perpetuum, quod de cædibus, iudicauit & huiusmodi rebus eo loco qui Areopagus dicebatur. Alterum quotannis mutabile, quod Rempublicam constituebat, & Quingentenarium vocabatur. De priore loquutus Suidas, Ἐκλήθη δὲ (ait) ἄρειος πάγος, ὅτι ἐν τῷ πάγῳ ἐστὶ, καὶ ἐν ὕψει τὸ δικαστήριον. Ἄρειος δὲ ἐπεὶ τὰ φονικὰ δικάζει, ὁ δὲ ἄρης ἐπὶ τῶν φόνων. Id est, Vocatus est Areopagus quod in saxo & loco æditiore est forũ. Arius verò quod de cædibus iudicatur, quibus præest Mars. Et Pausanias Areopagum dictum scribit, quia primum Mars ibi iudicium subijt cum occidisset Alirrhotion, qui fuit Neptuni filius, quòd vim intulisset Alcippæ Martis ipsius ex Agraulo Cecropis filiæ. Deinde iudicatum ibi Orestem matricidam ait, & iudicio liberatum, templum ibi extruxisse Mineruæ Areæ, quasi Martiæ. Errarunt ergo qui Martis pagum exposuerunt, ceu pagus aliquis fuerit extra vrbem, quales rusticani, qui pagi vocantur, quasi eodem vtentes fonte, qui non πάγος, sed πάγη dicitur. D. Hieronymus Areopagum in epistola illa ad Magnum oratorem Romanum, Martis curiam, nimirum ex 9. Iuuenal. Sat. vocauit. L. Apuleius lib. de Asino aureo 10. Martium iudiciũ pro seuero vsurpauit: & Val. Max. lib. 2. sanctissimum consilium appellauit: quin & Plinius Areopagi meminit in 7. lib. Sed omnium copiosissimè de Areopago & moribus Areopagitarum in Pandectas annotauit Budæus. Paulus ergo vt iudicandus de noxio dogmate Areopagum abducitur, atq; hic illi improperatur doctrina noua inauspicata siue absurda, & veluti contra vrbis edicta in medium proposita. Rectè enim monuit Erasmus ξένα vt peregrinum sonet, ita declaret & nouum & inauditum, nonnunquam absurdum. Hodie nihil aliud obijcere possunt, quàm dogma Euangelij esse nouum: sed nõ minus falluntur quàm Athenienses Philosophi falsi sunt.

Martius pagus quid.

πάγος modò eminentem locũ modò saxum significat.

Athenienses autem omnes, & qui illic versabantur hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid noui.

Inconstantiam notauit Atheniensium, & vanitatem, quo vitio etiam Alexandrini fuere infames. Imò frequentissimum est, vt vrbes quę eloquentiæ studio sunt deditæ, atq; huius gratia à peregrinis nouisq; inhabitantur hominibus, huic vitio maximè sint obnoxiæ. Apud has autem non magni penditur veritas. Quanquam enim non rarò oblectet nouitas, fit tamen vt offendat etiam & ægre admittatur. Ea de caussa scite mihi à Plinio dictum videtur, Rem arduam esse nouis authoritatem dare.

Atheniensiũ leuitas.

Nouitas.

Stans autem Paulus in medio Marcij vici, ait: Viri Athenienses, per omnia ferè superstitiosiores vos video. Præteriens enim & contẽplans culturas vestras, inueni & aram, in qua inscriptum erat, Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis.

Oratio Pauli breuis est, sed erudita. Nam ipsa breuitate copiosissima est: vnde & veteres illam omnes rhetoricissimam dixere. Apud Philosophos enim in theatro doctissimorum hominum disserebat. Nihil autem vniuersa traditur philosophia quod in hac nõ perstringatur. Beda summam eius non infeliciter colligens, Apostolus (inquit) ostendit Deum amplexandum esse, non solùm propter munera lucis & vitę, verumetiã propter cognationẽ quandam generis. Deinde opinionẽ illam, quæ est de idolis aperta ratione deuincit, quod totius mundi conditor & Dominus templis non possit includi saxeis: quod omnis beneficij largitor sanguine non egeat victimarum: quod hominum deniq; creator & gubernator omnium non possit hominis manu creari: quod postremo Deus, ad cuius homo factus est imaginem, non debeat metallis æstimari: similiter erroris remedium docens esse studium pœnitendi. Breuiter, oratio est generis demonstratiui. Vnitate enim, potentia, prouidentia ac virtute Dei, ostendit vanum esse externum cultum, vanum quoq; simulachrorum religionẽ. Deum

Summa orationis Pauli.

Scopus orationis Pauli.

fide & sanctimonia esse colendum: id quod ipse Deus filio suo in carnem misso annuntiarit orbi, per quem & orbem liberarit, & tandem omnes homines per eundem iudicaturus sit. Porrò eadem nonnihil ad suadendi & ad refutandi inclinat genus. Nam non modò id agit vt ostendat illis vnum esse Deum, sed & hoc cupit assequi, vt deserta superstitione, quam maximis oppugnat viribus, credant per filium incarnatum (hoc enim viri nomine complexus est) gratiam & salutem annuntiatam esse, & potestatem ei datam iudicij super viuos & mortuos. Trahit autem exordium à re præsenti, mira arte se auditorum animis insinuans. Est enim artificiosum dicendi genus, cum ab ijs quæ nobis ab auditore permittuntur, ad ea descendimus, quæ nostra sunt quæq; maximè persuasa cupimus. Ignotum Deum colebant Athenienses. Ignoto extruxerant aram. Iam verò Paulo impingebant quod nouorum deorum assertor esset. Hinc ergo ex re videlicet præsenti occasionem sumens, Non equidem (inquit) nouos ego atq; peregrinos deos prędico, sed cognitissimum & à vobis quoq; aliqua ratione susceptum. Extat enim apud vos ara Ignoto Deo consecrata: vt vos potius videamini nouorũ deorum cultores esse, si quis modo hoc nomine notandus erat. Et sanè, vt liberè quod sentio dicam, video vos qui in omni disciplinarũ genere laudatissimi estis, in ijs tamen quæ ad religionem pertinent plus satis superstitiosulos & incircumspectos esse. Nam dum τὰ σεβάσματα vestra lustrarem, istam aram Deo incognito consecratam reperi, testem vtique superstitionis vestræ. Nunc ergo si me audieritis, qui non nouorum deorum, sed vnius illius Dei veri assertor sum, fiet, vt posthac verè & religiosè colatis cognitum, quem hactenus superstitiosius coluistis incognitum. Et hoc est huius orationis exordium, hic status. Sunt autem multa hic præterea annotanda, principio quod & Erasmus monuit σεβάσματα quod idem culturas vertit, complecti omnia quæ veneramur, nempe aras, delubra, statuas, monumenta, à verbo σέβομαι, quod proprie ad religionem pertinet. Deinde gratius est quod dicit, Video vos ferè superstitiosiores, quàm si dixisset, Video vos omnino superstitiosos, imò idololatras esse. Mitigauit ergo dicti odium, primum aduerbio ὡς, deinde comparatiuo, ne prorsus resilirent statim in principio. Factitauit hoc ipsum ipse etiam Petrus in cap. 3. vt auditorũ animos retineret in officio. Porrò superstitiosi vocantur apud Lactant. in 4. cap. 28. non qui filios suos superstites optãt, omnes enim optamus: sed aut ij, qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstitibus, colebant eorum imagines domi tanquam deos penates. Nam qui nouos sibi ritus assumebant, vt in deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant vetusti. Eos verò qui publicos & antiquos deos colerent, religiosos nominabant. Vnde Vergilius,

Exordium artificiosum.

Cultura.

Superstitiosi qui dicantur.

Vana superstitio, veterumque ignara deorum.

Sed cum veteres quoq; deos inueniamus eodem modo consecratos esse post obitum: superstitiosi ergo qui multos ac falsos deos colunt. Nos autem religiosi, qui vni & vero Deo supplicamus. Religionis enim nomen à vinculo pietatis deducitur, quod hominem sibi Deus religarit, & pietate constrinxerit. Quia nos seruire ei vt Domino, & obsequi vt patri necesse est. Iam vero quod arã ignoto Deo dicatam attinet, monuit Erasmus ex authoritate Hieronymi, Paulum pia quadam hic vsum esse vafricie, quod nonnihil mutarit in titulo, non pauca omiserit, quo commodius detorqueret ad exordium prædicandi Christum. Titulum enim reuera sic habuisse, Dijs Asiæ & Europæ, & Africæ, Dijs ignotis & peregrinis. Iam ergo illum ex ignotis dijs Deum fecisse ignotum, & mentionem cæterorum omisisse. Et Cœlius lect. ant. lib. 12. cap. 2. Ignotis etiam dijs (inquit) fuisse Athenis erectas aras Philostratus scribit. Meminit eius Laertius quoq; in Epimenide, vt Pausaniam interim taceam. Cæterum idem ille D. Hieronymus clarius & melius hanc rem exposuisse videtur, dum in 16. Ezec. cap. scribens, Signum (inquit Dominicæ sanctificationis nomen est omnipotentis Dei, quod quatuor literis Hebraicis scribitur, & apud eos vocatur ineffabile, dum nomen eius non potest dici: cuius maiestatem etiam Gentilitas non ignorat, & Atheniensium testatur ara, Ignoto Deo. Vnde & Apostolus. Quem vos (inquit) ignotum colitis, hunc nos annuntiamus vobis. Atq; hęc quidem cum ijs quoq; congruunt, quæ ex Aristotele in cap. 4. annotauimus.

Religiosi qui dicantur.

Philost. lib. 6. de vita Apollonij.

יהוה.

Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt.

Græcè est ὁ θεὸς, quasi tu dicas: Hic ille Deus est, qui mundum & omnia in eo condidit. Nunc enim orditur ipsum de Deo negotium, demonstrans quæ sit ineffabilis illa virtus. Demonstrat autem per res creatas, dum ipsum omnium creatorem vocat. Aristoteles quidem perpetuum mundum ingenitumq; esse censuit, nepharięq; impietatis eos insimulandos esse existimauit, qui his cõtraria disseruere. Habuit autem in hac opinione qui ipsum ex philosophis sequuti, idem mordicus defendere: quos omnes hoc loco perstrinxit Apostolus, ex Mose omnium vetustissimo & probatissimo vate sua depromens, quem & Plato (authore Eusebio Euangel. Præparat. 10. cap. 9.) in Timæo suo & Legibus imi-

Deus conditor mundi.

bus imitatus, vnius Dei meminit, qui omnia potentia sua condiderit. Nec verò solus Plato mūdum creatum sentit, quin & Pythagoras ipse & Stoici genitum à Deo mundum, & suæ naturæ respectu corruptioni obiectum esse tradiderunt, sicuti Plutarchus nobilissimus scriptor refert de Placitis Phi losophorum lib.2.cap.4. Sunt & Orphei de Deo perelegātia carmina, quæ lib.13.de Præpar.Euang. citauit Eusebius, ea in hunc modum vertit G.Trapezuntius; *Orphei de Deo sententia.*

Vnus perfectus Deus est, qui cuncta creauit, "
Cuncta fouens atq; ipse ferens super omnia sese, "
Qui capitur mente tantum, qui mente videtur. "

Vnde verò Gentes vnū Deū creatorem cognoscere potuerint, exposuit Paulus ad Rom.1.In summa, hæc est mens in præsentiarum Apostoli, Vnus est Deus, qui vnitatem ac potentiam suam rebus con ditis declarauit: Vana ergo est multorum religio deorum. Plura apud Ier.in 10.& huius lib.cap.14.

hic cœli & terræ quum sit dominus, non in manufactis templis habitat.

Quemadmodum multorum deorum religionem confutauit, ita iam ostendit vanam quoq; esse templorum religionem. Veterum aliqui mundum ipsum templum Dei esse dixerunt, cuius spiritus secundum Stoicorum sententiam, per vniuersum mundum pertinet. Quod sanè & ab Orpheo proditum Euseb.asserit. Vnde illud est Lucani Pharsal.7. *Vanam esse templorum religionem.*

Iuppiter est quodcunq; vides quocunq; moueris. Et illud Arati,
Iouis omnia plena, *Quem reticere nephas.*

Longè autem ante Pauli tempora Xerxes rex à Magis Persarum persuasus Græciæ templa eò propensius inflammasse dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia patere & libera esse deberent, quorumq; hic mundus omnium templum esset & domus. Id quod Cicero 2.de Legibus testatur: idem Actio.in Ver.3.& Strabo de Situ orbis lib.15.authores sunt Persas nullam erigere statuam. Cuius quidem rei & Atheniensium Philosophi meminisse potuerunt. Iam & Zeno Citicus nobilis philosophus, cuius meminit Petrus Crinitus libro de Honesta disciplina 14. cap.12.in hæc verba de Templorum religione philosophatus est, Sacella ac templa construere nihil quidem necesse est. Nihil enim sacrum iure existimandum, neq; pro sancto habendum, quod ipsi homines construxerint. Docent ergo cùm sacri tum prophani scriptores pleriq; humanam naturā ipsosq; homines, sed puros & piè religiosos, Deo acceptissima esse templa, quemadmodum Corinthijs scribens Paulus Apostolus ait: Vos estis templum Dei. Vnde & Origenes contra Celsum multis ostendit rationibus, Templa ad verum Dei cultum veramq; religionem nihil conuenire. Et Firmianus Lactant. vetustus author ait, Non templa Deo congestis in altitudinem saxis struenda sunt, in suo cuiq; consecrandus est pectore, in quod se conferat quum adorat Deum. Vnde illud, *Zeno Citicus.*

Non habitat templis manuum molimine factis
Omnipotens, ædes aurea verus homo.

Cæterùm Apostolus Paulus hoc in loco maximè allusit testimonium Isaiæ quod extat in cap. 66. & de quo nonnihil annotatum est in huius historiæ cap.7.

nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam & halitum per omnia.

Hisce asserit Dei absolutam perfectionem & beatitudinem, qua ipsum omnium bonorum fontem esse confitemur, nullius opera aut auxilio indigentem. Iisdem autem refutantur omnia externa quæ Deo offeruntur sacrificia. Et Græcè significantius est οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται, quasi quis dicat, Neq; verò eget, vt illi humana aliqua inseruiatur suppeditatione. Germanicè forsan reddiderimus felicius, Im wirt nit pflägen mit menschlicher handreichung. Caussa. Adeo nullius rei indiget, vt nobis potius omnia impartiatur, maximè verò ζωὴν καὶ πνοὴν, id est, vitam & halitum. Posteriori enim veluti exponit quid priore intellexerit. Præterea adiecit, κατὰ πάντα, per omnia, innuens nihil extra hunc Deum subsistere, sed per hunc omnia agi, esse ac conseruari. Et Stoici quidem apud Plutarchum de Placitis Philo.lib.1.cap.7. communiter censent Deum esse spiritū per vniuersum quidē mundum pertinentem, appellationes autem identidem mutantem per vniuersæ quam peruadit naturæ confinia. Atq; hoc ipsum dogma redolent hi Maroniani versus, *Vana externa sacrificia.* *Etiam animam debemus Deo.*

Principiò cœlum ac terras, camposq; liquentes *Vergilius Aeneidos 6.*
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumq; genus vitæq; volantum,

Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus
Igneus est ollis vigor & cælestis origo
Seminibus, &c.

Quin & Aristoteles in libro de Mūdo, Vetus (inquit) sermo est à maioribusq; proditus inter omnes homines, vniuersa tum ex Deo, tum per Deum cōstituta fuisse atq. coagmentata, nullamq; naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Quocirca veterum nonnulli eò prouecti sunt, vt hæc omnia dictitarunt deorum esse plena hauririq; eorum spectra ab hominibus, oculis & auribus reliquisq; sensibus. Hactenus Stragirites ille. Quæ sanè cum ita habeant, nemo est qui non videat stultos esse qui omnium bonorū datori munera ferunt corruptibilia, quū ipse sit ab omni corruptione alienus. Verum plura de hac re Propheta in Psal. 49. & Lactant. de Vero cultu cap. 1. & 2.

fecitq; ex vno sanguine omne genus hominum, vt inhabitaret super vniuersam faciem terræ: præfinijtq; præstituta tempora, præfixitq; terminos habitationis eorum.

Homo.

Dixerat per Deum omnia spirare & esse, idem ergo consequentibus latius exponit, hominis, vt pote nobilissimæ & omnibus dominantis creaturæ, origine & regimine positis in medium. Quibus simul & Epicureorum profligauit sententiam. Negabant enim illi diuinam prouidentiam, vt supra ostensum est Lucretij carmine. Omnia insuper per se fieri dicebant & ex atomis constituta esse. Diuersum ergo hoc loco asserit Paulus, dicens: Vniuersum animantium genus à Deo (hisce enim elucidauit ista Paraphrastes) conditum est, ac per illum viuit, suum quæque genus propagantia. Sed his omnibus dominaturum ex vno homine condidit vniuersum genus hominum, vt incolerent per omnes terræ regiones, præscriptis vnicuique vitæ spacijs, quæ nemo sibi posset prorogare, ac distributis terræ portionibus, quam quæq; incoleret natio. Proinde per vnum sanguinem vnum intellexit hominem, ipsum inquam Adam.

vt quærerent Deum, si fortè palpent eum & inueniant,

Cur conditus homo.

Anaxagoras philosophus cum ab eo quæreretur cuius rei caussa natus esset, respondit, Solis ac cœli videndi gratia. Sed aberrasse illum conuincit hoc loco Apostolus. In hoc enim conditus est homo, vt Deum agnoscat, & cognitum religiosè colat. Sic enim pulchrè ab assertione Dei transit ad cultum Dei. Ioan. Chrysostomus locum hunc explicans, ita scribit, Non solum dedit vitam ac spiritum & omnia, sed etiam quod est summa omnium, duxit ad sui notitiam, dando hæc per quæ possemus illum inuenire ac comprehendere: sed noluimus quærere, quamuis ante pedes esset. Hactenus Chrysostomus. Quibus congruunt & ea quæ Paraphrastes dilucidissimè & elegantissimè in hūc eundem locum conscripsit, ad hunc modum, Quoniam autem iuxta suam naturam incomprehensibilis est (Deus) ingenijs humanis corporum mole grauatis, constituti homines ratione præditos, vt aliud ex alio possint colligere, ex visibilibus inuisibilia, ex singularibus vniuersalia, ex temporarijs æterna, ex his quæ sensibus percipiuntur, ea quę non nisi intellectu comprehenduntur, in medio rerū omnium theatro, vt ex rebus conditis, quæ perspicerent oculis, contrectarent manibus, sentirent vtilitate, vestigarent ac scrutarentur conditorem: & quemadmodum cæcutientes, palpando tandem reperiunt id quod videri non potest, ita illi ex consideratione rerum admirabiliter conditarum peruenirent ad aliquam Dei cognitionem. Similia porrò his legas ad Ro. 1. Et quod religionis caussa conditus sit homo, multis exposuit Lactantius lib. de Falsa sapientia cap. 9. & 10.

quamuis non longè absit ab vnoquoq; nostrum: Per ipsum enim viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestratium poetarum dixerunt: Nā huius progenies etiam sumus:

Deus incircūscriptibilis.

Correctionis species est. Quasi dicat: Istis autem nolim quisquam intelligat, Deum iccirco circumscriptibilem esse, aut in cœlo duntaxat residentem, obiectis ob oculos nostros syderibus & rebus conditis: quin potius omnia implet. Sic enim dicit apud Ierem. in 23. Num ego Deus sūm qui propinquius admota tantummodo videam, dicit Dominus, & longius remota minus? Num abscondet se quisquam in latebras, vt eum videre nequeam, dicit Dominus? Num non cœlū & terram ego impleo, ait Dominus? Præterea ita se homini insinuauit Deus, vt in nulla alia re creata virtus Dei magis quàm in homine elucescat. Exposuit hoc Lactantius copiosissimè in libro de Opificio Dei cōscripto. Rectè ergo dicit Deum non longè ab vno quouis nostrum abesse, quippe qui per nos operatur,

velut opifex per organum ab ipso conditum. Hic enim pertinet illa sententia, Per ipsum enim viuimus, mouemur & sumus. Nam Dei beneficiū est quod spiramus, illico morituri si ille nos destituat: nec alij debemus quod viui corporis membra suo quæq; officio funguntur, vt oculi prospiciant, pedes ambulent, manus operentur. Est ergo in vnoquoq; nostrum Deus, vt non in alijs magis, quàm in nobisipsis cognosci possit. Bedæ presbytero præsens locus obscurus visus est: at mihi planè clarus & apertus videtur. Nihil enim ab eo dissonat quod in Rom. cap. 11. sic extulit, Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia. Atque hac quidem ratione quod Deus in nobis, quod mentem indidit vegetam, quod in nobis viuit, dicimur progenies Dei. Id ne illis videretur absurdum, comprobat Arati testimonio dicentis: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Nam huius progenies etiam sumus. Monet autē Erasmus Hemistichium esse Heroicum ex Phænomenis Arati desumptum, ac mirè à Ioue ad Deum verum esse detortum. Cæterum videtur & illa sententia, Per ipsum viuimus, mouemur & sumus, ex Arati monumentis esse desumpta. Eius enim versus aliquot in hanc sententiam citauit Eusebius lib. 13. Præparationis Euang. cap. 7. *Deus in homine suo more.*

Ab Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena,
Quem reticere nephas, Ioue cuncta vtuntur, ab ipso
Nos sumus, ille fouet, cunctis viresq́; ministrat.

Quanquam & Hesiodus, & Homerus, & apud Latinos Vergilius & Horatius Iouem patrem hominum & deorum appellitant. Fuit autem Aratus, teste Strabone libro 14. Cilix, patria Solensis, Chrysippi Stoici & Pauli Apostoli conterraneus, & apud Antigonum Macedonum regem in honore habitus. Scripsit inter multa præclarum opus de Syderum positura & imaginibus, carmine Heroico, aliquando à Cicerone, demum à Germanico Cæsare translatum. Porrò quomodo homo progenies Dei sit, exposuit Moses Propheta Dei magnus, Genes. 2. cap. & post hunc Philo Iudæus, in libro suo de Mundo conscripto, præterea Ecclesiastici multi. Diuus Hieronymus autem non ineptè ex hoc loco & similibus collegit licere Christianis scriptoribus atque doctoribus vti testimonijs prophanorum authorum, sed moderatè. Pluribus ille hanc rem argumentis probabilem fecit, ad Magnum oratorem Romanum. *Aratus poeta.*

Genus ergo quum simus Dei: non debemus existimare auro & argento aut lapidi arte sculpto, & inuento hominis, numen esse simile.

Ex præcitatis pulchrè iam colligit vanum esse idolorum cultum, siue quis spectat materiam ex qua fiunt simulachra, siue formam quam referunt. Homo enim simulachrum Dei est, ad imaginem Dei creatus, non vtiq; secundum carnem aut corpus, nisi in Anthropomorphitarum hæresim inclinare velimus, sed secundum spiritum & mentem. Deus enim spiritus est. Proinde nulla re corporea effigiari potest. Scripsit autem accommoda huic loco Firmianus Lactant. lib. Instit. 2. cap. 18. & 19. dicens: Quicunq; ergo sacramentum hominis tueri rationemq; naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum, non sub pedibus quærat Deum, nec à vestigijs suis eruat quod adoret. Quia quicquid homini subiacet infra hominem sit necesse est: sed quærat in sublimi, quærat in summo. Quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem maior est homine, supra ergo non infra est: nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium quin religio nulla sit vbicunq; simulachrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est. Diuini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus: carent ergo religione simulachra. Quia nihil potest esse cœlesti in ea re quæ fit ex terra. Plura Moses Exodi 20. Deuter. 4. Isaias quoq, in 40. & Paulus ad Romanos 1. Et hæc quidem omnia ita sunt dicta aduersus Athenienses, vt in nos quoq; competant, qui cultu simulachrorum quasuis etiam Gentes superauimus. Nam quod alij obijciunt ex Gregorio simulachra non ad cultum apud nos prostitui, sed ad repræsentationem rerum inuisibilium & absentium, adhuc non intelligunt (vt interim id non referam quod palàm ad cultum apud nos proposita sunt) quod inuisibilem Deum nulla potest referre visibilis forma vel materia. Id quod non modo hoc in loco Paulus, sed & ad Roma. 1. clarissimis verbis testatus est. Impius ergo est ille colendi modus qui à Nicena Synodo (non illa quæ sub Constantino magno, sed sub Hirene Græca Imperatrice, Anno Domini D.CCXC. celebrata) præscriptus, & postea in duo illa carmina ex Græco in Latinum translatus est, *Vanum esse idolorum cultū.* *Simulachra ad repræsentandum Deum nō idonea.*

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa,
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Quomodo enim Deus id esse potest, quod imago docet? Aut quid vides in hac præter materiam & formam? Atqui neutrum horum exprimit Deum. Nihil ergo Dei habet imago, & proinde nihil nisi

impietatem & vanitatem docet imago. Impius ergo eſt imaginum vſus ſiue ad cultum, ſiue ad memorandum adhibeatur. Sole enim clariora ſunt verba Pauli, Non debemus exiſtimare, quod ipſum numen, ipſe inquam Deus auro, aut argento, aut lapidi exſculpto, aut vllo hominis inuento, ſimilis ſit: ſed redimus.

Et tempora quidem huius ignorantiæ cum hactenus diſsimularit Deus: nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique reſipiſcant: eò quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem terrarum cum iuſtitia, per eum virum, per quem decreuerat, fide præſtita omnibus, quum excitarit illum ex mortuis.

Chriſtus prædicatur. Hæc velut altera pars eſt orationis Pauli, qua temperato iam & cõmunibus teſtimonijs demulſo auditori, penitiora fidei myſteria proponit. Nam per Chriſtum hortatur ad pœnitentiam, vt ſcilicet reſipiſcentes à paganiſmo & vanis philoſophorum opinionibus verę ſe pietati dedant, Chriſtũ recipiant, quem hic propter humanam naturam virum vocauit, ſicut & Petrus Actorum 2. Errant enim turpiſsimè, imò & impietatem ſuam produnt qui ex hoc loco & ſimilibus oppidò paucis ſcripturæ teſtimonijs argumenta decerpunt, quibus diuinam Chriſti impugnant naturam. Neq; enim per pauciora plura ſcripturæ loca, ſed pauca per plura ſunt exponenda.. Præterea Iudicij horrore inuitat ad pœnitentiam, quemadmodum & Petrus Act. 3. Dicit item Chriſtum illum eſſe, per quem Deus ſtatuerit innouare ac reſtituere mundum. Proinde cum miſerit illum, præſtitiſſe fidem, id eſt, ſatisfeciſſe promiſsis. Porrò quod hic ille magnus Dei legatus ſit, liquere ex Reſurrectione, quæ diuinitatis Chriſti maximum & veriſsimum argumentum eſt. Verum cum hæc omnia acciſa ac breuia ſint, iterum claret Lucam veſtigia tantum adumbraſſe orationis Paulinæ, qua nimirum is copioſiſsimè totum negotium Chriſti expoſuit. Illud autem notandum quod prædicationem Chriſti cũ Occupatione cœpit. Ne enim obijcerent, Si ita habet religionis ratio, quî factum eſt, vt hæc ad hũc modum non citius fuit expoſita nobis? Id enim præuenit, & ait: Erraſtis ſanè & pœna digni eratis, ſed errorem diſſimulauit Deus, nõ quod illi placeret, ſed quod aliquando ad reſipiſcentiam vocare vellet. Id verò tempus iam adeſſe annuntio. Filium enim miſit Deus, lumen omnium Gentium, &c. Iam ne illud quenquam remoretur, quod dixit, Vt omnes vbiq; reſipiſcant, ſciendum eſt eiuſmodi loquutiones reſipere Synecdocham, & de electis ac credentibus intelligi, nempe quod omnes qui ſaluantur per Chriſtum ſaluantur. Præterea clariſſimis verbis teſtatur Chriſtum iudicem à Deo eſſe conſtitutum, ſed & carnem noſtram in vltima die de terra reſurrecturam, id quod Gentibus videbatur abſurdiſſimum. *Chriſtus eſt lumen mundi.* Atqui mirum erat id illis poſſe incredibile videri, quod tam apertis verbis ea teſtabantur oracula quæ apud ipſas quoq; fidem habebant. Siquidem Sybilla, ni fallor, Cumea, de iudicio & mortuorum reſurrectione ferens teſtimonium apud Euſebium ait,

ἥξει δὲ οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων,
Σάρκα πατρῶν κρῖναι πᾶσαν, καὶ κόσμον ἅπαντα,
Ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι.

Epilogus. Iam ſi ſummam rerum colligamus quæ nobili & erudita hac oratione didicimus, iam nihil aliud videmus præceptum, quàm vnum eſſe Deum, hũc verò ſolum eſſe colendum, colendum autem rebus ſpiritualibus, hoc eſt, fide & reſipiſcentia, quæ ille miſſo filio orbi annuntiarit, &c. Hiſce porrò denuo ruunt omnia quæ falſa religio tradidit de cultu Diuorum ſimulachrorum & id genus ſtultitijs alijs.

Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, alij quidem irridebant, alij verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit è medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, alijq; cum eis.

Quod ſæpe iam in hoc libro audiuimus iterum ingeritur, alios quidem credere alios minus. Multi enim vocati ſunt, pauci verò electi. Irrident ergo Philoſophi mundana tumentes ſapientia verbum veritatis: ſed & dubio reſponſo relinquunt Paulum, cum dicunt, Audiemus te de hoc iterum, quod cum ironia quadam ac contemptu mihi dictum videtur. Alij in meliorẽ partem interpretantur. Tertullianus in opere de Reſurrectione carnis, hunc locũ citans, Athenienſes (inquit) irriſerunt Paulum, nõ irriſuri omnino, ſi animæ ſolius reſtitutionem ab eo audiſſent. Suſcepiſſent enim vernaculæ ſuæ philoſophiæ frequentiorem præſumptionem. *Dionyſius Areopagita.* Iam quæ de Dionyſio hoc à doctis viris in vtranque partem diſputata ſunt, alijs contendentibus hunc illum ipſum eſſe cuius libri extant de Diuinis nominibus & Cœleſti hierarchia conſcripti, alijs prorſus abnegantibus, non video quid com-

quid commodare aut incommodare possint pietati. Proinde otiosioribus decernendi relinquo sententiam: ego ad historiam sacram redeo. Porrò Areopagitæ iudices erant Athenienses seuerissimi. Vnde postea natum prouerbium, Areopagita. De quo Erasmus Chil.1. cent. 9. Adag. 41. & Budæus in Pandect.

CAPVT XVIII.

POst hæc Paulus digressus Athenis venit Corinthum, & nactus quendā Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius, eo quod præcepisset Claudius, omnes Iudæos Roma decedere: accessit ad eos, & quia eiusdem erat artificij, manebat apud eos & operabatur. Erat autem ars illorum texere tabernacula.



POST res Athenis gestas venit ad acta Corinthi celeberrima Achaiæ vrbe patrata. Fuit Corinthus celeberrimum totius Græciæ emporium, quod Cicero vocauit Græciæ lumen: opulentum quidem, sed luxu, libidine & fastu longe corruptissimum. Id quod vel ex illo liquet prouerbio, Non cuiuis homini contingit adire Corinthum. Nec temere notauit Lucas hospitem Aquilam. Nam Dominus iussit habere rationem eorum, apud quos viuas, aut ad quos diuertas. Cæterum duos Aquilas historiæ memorant, vtrunque Ponticum genere, id est, in Ponto natum. Et alterum quidem proselytum, qui vetus instrumentum post LXX. interpretes conuertit in Græcam linguam: quemadmodum & Symachus, & Ephesius Theodotio, quorum in Ecclesiast. histo. meminit Eusebius lib.5. cap.8. Alterum Iudæum genere, cuius hic Lucas meminit & Paulus ipse ad Romanos.16. At edicti huius cuius hoc loco mentionem facit Lucas, meminit & Orosius historiæ lib.7. Suetonium (opinor) imitatus, qui in Claudio sic scribit, Iudæos impulsore Christo, assidue tumultuantes, Roma expulit. Quod quidem vtrum contra Christum (vt Beda scribit) tumultuantes, coerceri & comprimi iusserit, an etiam Christianos simul, ceu incognitæ religionis homines voluerit expelli, non satis constat. Certe C. Caligula ante Claudij tempora persequutionem in Iudæos satis acerbam mouit, cuius ex Philone Eusebius meminit Ecclesiast. histo. lib. 2. cap.5. Porrò σκηνοποιοὺς verterunt tabernaculorū siue tentoriorum textores siue artifices, loquentes de sagis coreaceis, lineis, laneis siue cilicinis, vt nunc Germanice recte vocaueris, Särgen/tapeten/ oder zeltenmacher. De Scenis autem plura Cœlius in 5. cap. 8. Verum hoc Pauli exemplo discimus laborem ornare virum bonum, otium dehonestare. Vnde Heraclides Lycius, vt scribit Philostratus in vita Sophistarum, vnum librum laudibus laboris dedicauit, sine quo dicebat nihil in rebus humanis frugiferum geri posse, adeoque probari, vt cassus etiam labor (modo non vitiosus) sit otio ac delitijs anteferendus. Et Socrates, Opus conferre dictitabat ad hominis bonitatem, otium vero vitium. Pythagoræ quoque sententia fuit, legendam esse ab initio vitam optimam ac laboribus quam maxime exercitatam, quam consuetudo paulatim ex aspera dulcem redderet. Laborem nanque voluptatem quoquo modo semper comitari. Si bona sit voluptas, ille præcedit: si autem mala, labor subsequitur. Euripides πόνος (ait) ὡς λέγουσιν εὐκλείας πατὴρ, Labor vt dicitur gloriæ pater. Nam alibi clarius, Nullo modo (dicit) quis citra laborem felix esse, neque gloriam assequi vllam nihil agendo potest. Refert ex M. Catone A. Gellius in 4. cap.12. non sine pœna fuisse, si quis apud Romanos agrum suum aut arborem aut vineam passus fuerat sordescere derelictumq; habuerat. Valerius quoq; Maximus de institutis lib.2. cap.1. Massiliensium mores referens, Omnibus (inquit) qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærunt, clausas portas habet Massilia. Non ergo quenquam in ciuium numerum censebant, qui nihil artificij nosset quo victum pararet. Quin & Corinthus ciuitas cæteris corruptior, legem habuit sumptuariam, otium damnantem quod raro est sine luxu, & commendantem laborem. Eam apud Athenæum lib.6. Diphilus, interprete Erasmo, refert hisce versibus,

Hoc lege cautum est hic apud Corinthios,
Si quempiam obsonare semper splendide
Videmus, hunc rogamus, vnde viuat, &
Quid faciat operis? Si facultates habet
Vt reditus harum soluere expensas queat,

Corinthus.

Matth.10.

Iudæi Roma expulsi.

De labore.

Lex sumptuaria Corinthiorum.

Perpetimur illum perfrui bonis ſuis.
Sin forte ſumptus ſuperat ea quæ poſsidet,
Prohibemus huic ne faciat hoc in poſterum.
Ni pariat, iam plectitur mulcta graui.
Sin ſumptuoſe viuit, is qui nihil habet,
Tradunt eum tortoribus. Proh Hercules.
Nec enim licet vitam abſq; malo vllo degere
Talem ſcias, ſed eſt neceſſe aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantum iungier commertio,
Aut in foro agere ſycophantam, aut perfidum
Præbere teſtem. Nos hoc mortalium
Eijcimus hac ex vrbe, velut purgamina.

De otio. Paulus itaque ne cui oneri eſſet, aut cuiquam calumniandi accuſandique (cum Euangelij prædicatio aliàs ſatis haberet odij) ſuppeteret, manibus laborauit: vt ipſe de ſeſe teſtatus eſt in 2. ad Corinth. 11. cap. Ad Theſſalonicenſes vero ſcribens in 2. cap. 3. damnat otioſos. At cum de Otio loquimur, de inhoneſto & illiberali loquimur. Eſt enim literarium otium præmodum honeſtum, & quod plus negotij habet quam otij. Qui ergo diligenter incumbunt literis, Verbi Dei miniſtri, non otiantur, & de Euangelio viuere poſſunt, id quod ipſe Paulus tradidit in 1. ad Corinth. 9. cap. Non enim hoc Pauli factum omnes verbi miniſtros (vt ex verbis Petri Act. 6. oſtenſum) deuincit ad mechanicas & ſellularias artes: quod ipſum & ipſe Apoſtolus palàm teſtatus eſt in 2. ad Theſſ. 3. cap. ſed nonnihil tum erat & tempori & legibus & hominum moribus dandum. Cato autem dicebat viro nobili quemadmodum negotij ſic & otij rationem extare oportere. Hoc item Seneca in Epiſtolis amplectendum ſuadet honeſto & prudenti viro. Et alibi, Crede mihi (ait) plus agunt qui nihil agere videntur. Vnde fortaſsis Bernhardus mutuaſſe videtur hanc ſententiam, Otium eſt vacare Deo, imò negotium negotiorum, vbi nullum admittitur otium. At de vtroq; cum labore cum Otio plurima commentatus eſt Solomon in Prouerbijs, & Cœlius in 6. cap. 23. Quin & Seneca lib. Epiſt. 11. Epiſtola 83. De ſacrificulis vero & monachis Papiſticis iſtud quis Horatij dictum eſſe intelligere poſsit:

Nos numerus ſumus, fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes, nebulones, Alcinoiq;
In tute curanda plus æquo operata iuuentus:
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies: &
Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam.

Dignißime ergo in hunc locum de labore Pauli annotans Eraſmus exclamat, O verè Pontificem, verè ſuiſq; dotibus maximum. Non ſatellitio, copijs, cenſu, minis, magni videri volumus.

Diſputabat autem in ſynagoga per omne ſabbatum, ſuadebatq; Iudæis pariter & Græcis. Cum veniſſent autem è Macedonia Silas & Timotheus, coartabatur ſpiritu Paulus, teſtificans Iudæis, Chriſtum eſſe Ieſum. Contradicentibus autem eis, ac blaſphema loquentibus, excuſsis veſtimentis, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum. Mundus ego poſthac ad gentes vadam.

Idem dicitur quod iam ſæpe dictum eſt, quocirca nulla copioſiore egent expoſitione, niſi hoc fortaſsis annotandum ſit quod Suadebatq; ἔπειθε poſuit pro perſuadere cupiebat: qui ardor aduentu è Berrhœa Timothei & Sile magis exarſit, nimirum quod hi felicem Euangelij ſucceſſum apud Macedonas nuntiarent, quo per motus cupiebat & in Achaia multos Chriſto lucrifacere. Alij intelligunt inuitum illum & animo reluctante id feciſſe, ceu præſentiret ſe luſurum operam. De excuſsione veſtium dictum eſt in capite 12. Cæterum præſentia Pauli verba, *Sanguis veſter ſuper caput veſtrum.* Sanguis veſter ſuper caput veſtrum, & ex 3. Ezech. ca. deſumpta ſunt, & Hebraiſmum reſipiunt, quo ſignificatur ſua culpa mori & perire illum, qui perit & moritur. Sic enim dixit Dauid 2. Reg. 1. Sanguis tuus ſuper caput tuum, id eſt, tua culpa peris, quod Chriſtum Domni interfeceris.

Et migrans inde, intrauit in domum cuiuſdam, nomine Iuſti, colentis Deum, cuius domus erat contigua ſynagogæ. Criſpus autem archiſynagogus cre-

gus credidit Domino cum tota domo sua, multiq; Corinthiorum audientes credebant ac baptizabantur.

Non sine fructu Euangelium prædicauit. Nam magnatem Crispum, virum authoritatis eximię, Iustum quoque & Corinthiorum plurimos ad fidem veram pertraxit. Huius Crispi meminit aliâs Paulus in 1. ad Corinth. 1. cap.

Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propterea quod ego sim tecum: & nemo adorietur te, vt affligat te: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. Sedit autē ibi annum & sex menses, docens eos sermonem Dei.

Non deserit suos Dominus, sed in medijs adest tribulationibus. Intelligimus enim Paulum nonnihil cogitasse de relinquenda Corintho. Proinde ne abiret & quo alacrius ministerium suum contra Iudæorum insultationem exequeretur, confortatur à Domino. Caro enim timet, pericula declinat, & mortem horret, neq; quicquam molestiæ propter Dominum sustinere potest. Proinde gratia Dei nobis opus est, qua etiam sumus quod sumus. Deus autem qui iuuenes à flamma fornacis ardentis seruauit, idem potens est nominis sui confessores ex impiorum manibus eripere. Huc cōfer ea quæ Dominus consolationis vice Apostolis dixit Matthæi decimo, & Ieremiæ, apud Ieremiam in primo. Discant autem & ministri verbi timore posito, & omni spe in vnum Deum collocata, constanti animo veritatem loqui, & nihil prorsus dissimulare. Non deerit Dominus negotio suo, qui & si pro voluntatis suæ dispensatione mortis terror subeundus sit, suorum animos ita confortare potest, vt mortem intrepide oppetant. Aduerte item Electionis ac prædestinationis euidentiam in eo quod ait, Quoniam populus est mihi multus in ciuitate hac. Iam quod integrum annum & menses sex Corinthi prædicauit, potentiam Dei commendat, quod tanto tempore inter insanientium & insidiantium furias securus agere potuit. Interim ipse de sese testatur in 1. ad Corinthios secundo capite, quod maximo inter ipsos tremore sit versatus. Vbi & omnem successum, victoriam & virtutem vni Deo tribuit.

Consolatio Domini. *Libertas dicendi.* *Electio.*

Cæterum cum Gallio ageret proconsulem Achaiæ, insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Contra legem hic suadet hominibus colere Deum.

Nequit concepta quiescere inuidia. Proinde emicat aliquando & dira in eum fundit venena quem odio prosequitur. Nequeunt ergo & Corinthiorum quiescere Iudæi, sed in hac quoque turbarum authores Paulum inuadunt, capiunt, iudici offerunt & accusant. Quod autem cæteri Iudæi hactenus Paulo impegerunt idem & hi impingunt, Legis Dei & veræ religionis esse aduersarium. Quod inde videtur enatum quod Christum prædicaret, & in hoc omnem iustitiam: quo dogmate illi credebant legem & omne id in quo veram constituebant religionem esse reiectum. Proinde accusatione, Secus (inquiunt) suadet hominibus colere Deum, quam lex Mosi tradiderit. Hæc enim ceremonias præcipit, quæ ille contemnit, vnico contentus Christo. Vide autem quomodo promissiones Dei non prorsus eximant cruce. Promiserat ille, Nemo affliget te: nihilominus affligitur, quemadmodum & Ieremias Ieremiæ 20. qui tamen audierat, Ego facio te ciuitatem munitam. Quanquam ergo promittat nobis Deus securitatem, ea tamen non sine afflictione contingit: interim vero ex omnibus malis eripit, quoniam verax est & mentiri non potest. Id quod & Paulo in præsentiarum præstitit.

Protectio Dei non sine cruce.

Cum autem Paulus iam pararet aperire os, dixit Gallio ad Iudęos, Si qua iniuria esset, aut facinus malum, ô Iudæi, merito vos sustinerem: si vero quæstio est de sermone ac nominibus & lege vestra te, vos ipsi videritis. Iudex enim ego horum nolo esse. Et abegit eos à tribunali.

D. Chrysostomus existimat Gallionem hunc defendisse Paulum. Sed si omnia propius expenderimus, videbimus Gallionem fuisse virum prorsus prophanum, qui vt Pauli dogma de Christo contempsit, iam Iudaicam superstitionem, propter rixandi libidinem, his veluti cognatam, prorsus odio habuit. Æquo ergo responso, quo suæ authoritati suoq; satisfecisse videretur officio, tumultuantes à se reijcit, & ait, Si actio esset fori mei, aut iniuriarum, aut capitis, audirem vtiq; accusationem vestrā: cæterum cum tota quæstio versetur in disceptatione de lege vestra meum non est videre de super-

Gallio prophanus.

ſtitione veſtra. Contemptim autem omnia illa pronuntianda ſunt, ſed & Catalogus quo ille capita Iudaicæ ſuperſtitionis aut accuſationis etiam, recenſet, maximum contemptum ſapit. λόγους enim, hoc eſt, ſermones ſiue verba non tantum factis oppoſuit, ſed fabulas magis intellexit. ὀνόματα vero, hoc eſt, nomina ipſas vocauit Iudaicas genealogias, & νόμον legem ipſas ceremonias. Cæterum in hoc ille non peccabat quod contentioni iſtæ ſe immiſcere, aut de incognitis temere pronuntiare, aut Iudæis in condemnando Paulo gratificari nollet, ſed in eo quod incuria quadam neglectuque iuſtiæ virum bonum eorum permittebat libidini, quorum mens & iudicium ipſi erant ſuſpecta. Verum inuenias & hodie Galliones inter proceres plurimos, qui vel odio aut contemptu religionis, vel animi leuitate, vel prophanarum rerum ſtudio, relionis cauſſas omnino audire nolunt. Inuenias alios hoc Gallione ſtultiores, qui Diplomatis & Mandatis eorum ſuperſtitionem fulciunt, quos certum eſt impios eſſe, & ſanæ doctrinæ proprij commodi ſtudio aduerſari. Vtinam tum quoque auarorum à ſe pharizæorum querelas reijcerent, ſicut vident Gallionem Iudæorum inuidam à ſe repuliſſe querimoniam.

Apprehenſum autem omnes Græci Soſthenem principem ſynagogæ, percutiebant ante tribunal, neque quicquam eorum Gallioni curæ erat.

Quanquam arbitrio eorum permiſiſſet Paulum, tamen in illum nihil audebant crudelius. Maxime quod Dominus pollicitus fuiſſet, Nemo adorietur te vt adfligat te. Proinde conatus iſtorum virtute ſua reprimebat Dominus. Quin olim quoque aduerſus Chriſtum nihil audebant Hieroſolymis, licet Pilatus dixiſſet, Accipite eum vos & ſecundum legem veſtram iudicate eum. Cæterum cum non ignorarent Soſthenem ſynagogæ principem, cuius mentio fit in 1. ad Corinth. 1. cap. Pauli promouiſſe conſilia, artibus quibuſdam concitarunt Gentium manus in caput Soſthenis, quaſi omne malum ab hoc promanarit. Perſuaſerant enim ſibijpſis Paulum nihil acturum fuiſſe Corinthi, niſi huius fauore fultum. Cæditur ergo vir optimus. Neque vero iniuriam coercet proconſul, qui ſemel decreuerat religionis negotia, aut ex religione deriuata, prorſus in forum ſuum non intromittere. Ioannes Chryſoſtomus in ea videtur fuiſſe ſententia, quod Soſthenes hic fuerit Iudæus, princeps eorum qui cauſſam aduerſus Paulum egerint. Dicit enim, O confuſionem qua confuſi ſunt. Quaſi Græci indignitate rei, & quod viderent Gallionem res Iudaicas flocciſacere, permoti, ceu victis inſultarint. Sed prior ſententia, ſi omnes expendantur circumſtantiæ magis quadrabit.

Protectio Dei eximia.

Paulus vero deinde commoratus dies multos, vale dicto fratribus, abnauigauit in Syriam, comitantibus eum Priſcilla & Aquila, poſteaquam raſerat caput in Cenchreis: habebat enim votum.

Non ſic accipiendum eſt, velut recta in Syriam nauigauerit ex Cenchreis Paulus, cum Epheſum prius appullerit, vbi Priſcillam & Aquilam reliquit, ne quis obiter intelligat illos Paulum in Syriam comitatos fuiſſe. Proinde more Hebraico ſummam hactenus propoſitam, mox per partes digerit & exponit. De voto Pauli, cuius hic meminit Lucas, nemo melius ſcripſit Paraphraſte, cuius verba hæc ſunt: Quoniam autem Paulus intellexit Iudæos ob hoc potiſsimum tumultuari, quod videretur negligere ritus legis homo natus in Iudaiſmo, priuſquam ſolueret Cenchreis (is eſt Corinthi portus) totondit ſibi caput, ſuſcepto voto, iuxta morem Iudaicum. Erat hæc non fraudulenta ſimulatio, ſed obſequium charitatis. Cupiebat enim omnes adiungi Euangelio: & ideo ſemet omnium ad fectibus quoad licuit attemperauit, vt omnes Chriſto lucrifaceret, Iudæis factus Iudæus, incircumciſis incircumciſus. Datum eſt hoc ad tempus inuincibili quorundam ſuperſtitioni, donec ſe clarius proferret Euangelica veritas. Neque enim tondere caput ex voto per ſe malum eſt, ſed huiuſmodi Iudaicis ceremonijs fidere malum eſt. Quemadmodum nec circumciſio lædit fidentem in Chriſto, nec præputium, in quibus nonnunquam obſequi charitatis eſt, ſed ad tempus, ſed vbicunque datur opportunitas reclamando. In alijs quæ per ſe mala ſunt, non oportet obſequi cuiuſquam imbecellitati. Neque enim in ſcortationibus aut in culsu ſimulachrorum Paulus vnquam obſequuturus eſt Gentibus: in commertio, in negligendo ciborum delectu, in citandis illorum poetis, nonnunquam eſt obſequutus. Hactenus ille. Locus autē de votis Iudaicis extat Num. 6. in quem cætera quæ annotanda videbantur, annotauit vir doctiſsimus & pijſsimus Chuonradus Pellicanus Eccleſiæ noſtræ Hebraicarum literarum Lector fideliſsimus in ſuis illis Bibliorum Commentarijs. Sed de votis Chriſtianorum alibi fortaſsis offeret ſe dicendi occaſio commodior. Beda presbyter codicem ſe vidiſſe tradit, qui pluratiuo numero habuerit, Totonderunt caput, & habebant votum, vt ad Aquilam & Priſcillam referretur. Quin & Eraſmus, Ex ipſo (inquit) ſermone Græco non liquet vter ſibi raſerit ca-

Votum Pauli.

Chonradus Pellicanus.

ſerit,caput,Paulus an Aquila.Ego ſane libentius retulerim ad Aquilam,vtpote proxime præcedentem,& quod participium præteriti temporis κειράμενος τὴν κεφαλήν,id eſt,raſo capite, neſcio quid huius referre videtur. Quanquam priori ſententiæ magis adminiculetur quod Aquila Epheſi relictus eſt, & Paulus Hieroſolymam abnauigauit.Cæterum nulla cauſſa crediderim hoc itineris inſtituiſſe Paulum,quam quod inuiſeret fratres,atq; Eccleſias iam olim ſua prædicatione ad Chriſtum conuerſas, confirmaret.Monuimus enim cum diligentiæ,tum prudentiæ eſſe parta tueri. Noſtri epiſcopi non raro ita adhærent ſedibus,vt ſpongias eſſe credere poſsis,ſuis annexas rupibus: nec abeunt longius, niſi aut venatio inuitet,aut lentum alliciat otium. *Viſitatio epiſcopalis.*

Deuenitq; Epheſum,& illos ibi reliquit.Ipſe vero ingreſſus ſynagogam, diſputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis,vt tempore ampliori maneret apud ſe:non annuit,ſed vale dixit illis,dicens ; Oportet omnino me feſtum quod inſtat agere Hieroſolymis,ſed iterum reuertar ad vos, Deo volente.

Vbique deſcribitur Pauli diligentia,feruor & ad benefaciendum promptitudo : in hoc vt & animi noſtri excitentur ad rerum optimarum ſtudium.Quod autem rogatus Epheſi manere,non annuit,ſed in Syriam feſtinat,ſatis magno argumento eſt, Paulo Hieroſolymis & Antiochiæ magnum aliquod fuiſſe negotium , ad quod expediendum tanto animi feruore properauit. Interim vero ne & Epheſijs pietatem veritatemque ſitientibus deeſſet,Aquilam ibi relinquit, & reditum pollicetur, ſi Domino viſum ſit. Nam cum conditione de rebus futuris loquendum eſſe docuit & Iacobus, Iacobi quarto capite.

Et ſoluit Epheſo,cumq; perueniſſet Cęſaream,aſcendiſſetq; & ſalutaſſet Eccleſiam , deſcendit Antiochiam. Et commoratus illic aliquantum temporis,profectus eſt , perambulans ex ordine Galaticam regionem ac Phrygiam,confirmans omnes diſcipulos.

Lucas hoc loco eleganti & dilucida breuitate vſus,indicare tantum loca illa voluit,ad quæ profectus eſt Paulus, velut feſtinans ad earum rerum deſcriptionem , quæ Epheſi poſt reditum Pauli contigerunt.Itaq; Epheſo ſoluentem recta Cæſaream Palæſtinæ,non Capadociæ(quod Beda exiſtimat)veniſſe tradit,mox Hieroſolymam aſcendiſſe vrbem,ęditiori loco ſitam(Iudęa enim ad Syriam Cœlem & maritima loca collata,ſublimior eſt)deinde profectũ eſſe Antiochiam,& Galatica regione Phrygiaq; peragrata Epheſum rediјſſe. Nihil autem in omnibus illis regionibus,& vrbibus egit,quã vt Eccleſias confirmaret,quemadmodum ſuperius quoq; in cap.15.& 16.factum audiuimus.

Iudæus autem quidam Apollos nomine Alexandrinus genere, vir eloquens,deuenit Epheſum,potens in ſcripturis.Hic erat inſtitutus in via Domini,& feruens ſpiritu loquebatur,& docebat diligenter ea quę ſunt Domini, ſciens tantum baptiſma Ioannis. Et hic cœpit libere loqui in ſynagoga. Quem quum audiſſent Priſcilla & Aquila,aſſumpſerunt eum atq; exactius expoſuerunt ei viam Dei.

Intertexit aliam quandam de Appollo hiſtoriam , quod hæc nonnihil faceret ad res Epheſias, & Euangelij commendationem,quod tantos habuit miniſtros. Laudat autem hunc à ſummis quibuſque donis,nempe ab eloquentia,ſcripturarum non vulgari peritia,à feruente ſpiritu,inſigni diligentia,loquendi libertate,& à tractabilitate. Humanitatis enim erat quod vir tantus & tantis pollẽs virtutibus multo inferiorum cum gratulatione inſtitutionem ſuſcipiebat.Diſcamus ergo exemplo viri tanti,à quibuſuis,quales quales ſint , ea quæ ad ſalutem faciunt,diſcere. Videmus enim non omnia vni Deum dediſſe,ſed cognitionem veritatis gradibus quibuſdam aſſurgere.Exiſtimabat Apollos ſe probe in Euanglico inſtitutum eſſe negotio,ſed deerant ipſi plurima.Hinc Lucas,Sciens(inquit)tantum baptiſma Ioannis.Arbitrabatur enim ſe ſcire doctrinam Ioannis, cum reuera nondum ſciret quemadmodum ſcire conueniebat. Hactenus enim non vno teſtimonio probauimus eandem eſſe doctrinam Chriſti & Ioannis.Proinde ſi recte Ioannis doctrina imbutus fuiſſet,proculdubio ipſi neq; Chriſtianæ doctrinæ quicquam defuiſſet. Neque enim hæc verba ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου, id eſt , ſciens tantum baptiſma Ioannis, de baptiſmo aquæ , ſed de baptiſmo doctrinæ ſunt intelligenda. Quis enim ſanæ mentis dixerit:Sciens tantũ aquam,aut de aquæ baptiſmo Ioannis? Doctri- *Apollo laus.*

Ecce hic nulla fit baptismi, sed doctrinæ mentio, ergo baptismus ponitur pro doctrina.

nam ergo intellexit, in qua Apollos non sane aut plene erat institutus. Atque hanc sententiam iuuant, & præcedentia & consequentia. Præcedentia, Hic erat κατηχημένος, id est, catechumenus, id est, rudimenta edoctus, viæ, hoc est moris & negotij Domini. Consequentia, Aquila & Priscilla assumpserunt eum, καὶ ἀκριβέστερον, id est, acuratius siue exactius instituerunt eum in via Domini. Non aliud tradunt aut in alia instituunt via, sed in eadem, sed exactius. Quod ergo deerat illi non doctrinæ culpa fuerat, sed Appollo, qui nondum ita plene negotium Christi intellexerat. Ita paulò post in 19. capite audiemus & Ephesios illos duodecim viros, nimirum huius Appollo institutione in religione doctos, respondere se Ioannis baptismo tinctos esse, id est, Ioannis doctrina imbutos, cum reuera non secius docti essent, quam quod cogerentur à Paulo primum certius discere quæ esset Ioannis de Christo sententia. Faciunt autem hæc plurimum ad robur eius expositionis, quod baptismus in cap. 10. accipiatur pro doctrina. Porrò hic est ille Apollos, cuius ipse Paul. meminit in 1. ad Cor. 1. & 3. cap. honorificã eius mentionẽ faciens, dum eum inter Euangelij ministros potissimos recenset. Et certe vir erat immortalitate & æterna gloria dignissim⁹. Cuius exemplo discimus quę sint viri optimi dotes optimæ, nõ vtiq; opes terrenæ, sed eruditio, eloquẽtia, pietas, ardorq; agendi. Sed ne illud quis ignoret, & Apollos putet in tertia Latinorum inflexione declinandum, Apollo, Apollinis, Apollini, Apollos in quarta Græcorum inclinatione, quæ Atticorum vocatur, sic flectitur. In recto, Apollos, Genitiuo Apollo, Datiuo Apollo, &c. Itaque in 1. ad Corinth. 1. Cap. Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Cephæ. Apollo Genitiuus est Atticus. Verum hæc minutula sunt & puerilia, interim tamen propter rudiores annotanda.

Quum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres scripserunt discipulis, vt susciperent eum. Qui quum venisset, contulit multum his qui crediderunt per gratiam. Vehementer enim Iudæos reuincebat publice, ostendens per scripturas, quod Iesus esset Christus.

Commendatio fratrum.

Pertinent & hæc ad laudem Apollo. At nos interim ex ijsdem discimus, quod viros spectatæ probitatis & qui frugi sunt Ecclesiæ, Ecclesijs possimus commendare. Neque vero commodum esse, vt quosuis citra optimorum commendationem recipiamus. Plurimum autem ille potuit quod pius esset, & pietati iunxisset eloquentiam cum eruditione: quæ quidem per se laudatissima, nocentissima fiunt, si incidant in hominem impium. Elegans est contra futilem loquacitatem caput Gellij in Atticis noct. lib. 1. cap. 15. Monuit autem Erasmus particulam, διὰ τῆς χάριτος, id est, Per gratiam, adiectã esse, vt intelligeremus muneris esse diuini quod conduceret Christianis: vel quod credidissent. Summa autem doctrinæ Apollo erat, quod Iesus esset Christus, id est, verus Messias & saluator. Atque hic omnium orationum & epistolarum Apostolicarum scopus est.

CAPVT XIX.

FActum est autem, cum Apollos esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, & repertis quibusdam discipulis, dixit ad eos: Num Spiritum sanctum accepistis postea quam credidistis? At illi dixerunt ad eum: Imò neq; sit ne Spiritus sanctus, audiuimus. Et ait ad illos: In quid ergo baptizati estis? At illi dixerunt: In Ioannis baptisma. Dixit autem Paulus: Ioannes quidem baptizauit baptismum pœnitentiæ, populo loquens de eo qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, de Christo Iesu. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et quum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erant autem omnes viri ferè duodecim.

Veterũ sententia de baptismo Christi & Ioannis.



AXIMAS hic locus turbas semper cum apud veteres, tum apud nostræ ætatis homines excitauit. D. Cæc. Cyprian. ad Iubaianum de hæreticis baptizandis, huius loci præsidio, contendit, semel baptizatos ab hæreticis, denuo baptizandos esse à Catholicis, quod hoc loco dicantur ij Christi baptismo esse secundo tincti, qui prius fuerint Ioannis baptismo baptizati. Diuus quoque Hieronymus aduersus Luciferianos in principio fere opusculi, Ioannes

annes Chrysostomus & Beda in hunc Lucæ locum commentantes, existimant & ipsi, duodecim hosce viros, secundo aqua à Paulo fuisse Baptizatos. Separant enim Ioannis baptismum à Christi baptismo, hac ex caussa, quod illius inefficax pœnitentiæ duntaxat baptismus: huius vero efficax & baptismus remissionis peccatorum fuerit, adeo vt nunc Ioannis baptismate baptizati, animo nō sint baptizati, sed denuo in Christi baptismate rebaptizandi. Iam & nostrorum temporum Catabaptistę ex hoc loco suum dogma de Catabaptismo aduersus infantium baptismum fulcientes, neminem baptizandum esse contendunt, nisi prius crediderit. Hinc enim Paulus (inquiunt) Ephesios secundo baptizauit, quod ad baptismum primum susceptum, non vere crediderunt. Proinde quum infantes ad primum baptismum non crediderunt, adulti iam retingendi sunt. Cæterum vt veterum opinio (pace ipsorum dixerim) incircumspectior est, ita Catabaptistarum prorsus sibi non constans vanissima est. Siquidem certo constat ne Apostolorum quidem aquæ baptismum efficacem esse, nisi signo cooperetur fides & electio Dei, quæ quidem non ab homine, sed solo Deo confertur. Nihil ergo hic disputamus de interiori spiritus baptismo, quo solus Christus baptizat, sed de externo loquimur baptismi sacramento, quod quidem vnicum esse sæpe iam probauimus. Non enim alius à Christi baptismate (de externo aquæ loquimur) est baptismus Ioannis. Illi aiunt Ioannis baptismum pœnitentiæ esse baptismum, & non remissionis peccatorum. Christi autem baptismum remissionis esse baptismum. In hoc paralogizantes quod illud aquæ tribuunt, quod reuera spiritus est. Nam & Apostolorum, qui Christi quoque dicitur baptismus, peccatum non expiat, nisi fides & electio præeant. Philippus enim Apostolus Simonem baptizauit, qui tamen à peccatis minime purgatus est. Significat ergo Christi baptismus peccatorum remissam conferri per Christum, in quem consignatur baptizatus, vt in hoc vitam quærat, & per fidem vitam suam mutet in melius. Ita enim loquuntur de baptismo sacri scriptores, in primis Matthæus in vigesimo octauo, & Paulus ad Roman. sexto. Ista vero si & in Ioannis baptismo significari deprehenderimus, quid prohibebit quo minus eundem dicamus esse baptismum Ioanis qui & Christi est? Audiamus ergo Euangelistarum testimonia, Matthæus de Ioanne testatur, quod dixerit se aqua tantum consignare, & illic hac tessera obstringere qui post se venturus esset & igni spirituque baptizaturus, id est, peccatorum remissam exhibiturus. Lucas vero multas pœnitentiæ, hoc est melioris vitæ formulas, & Ioanne præscriptas, & baptismo additas, exponit. Marcus autem in paucis omnia (vt cætera quoque) complexus, dixit: Baptizabat Ioannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Vbi ergo nunc est quod illi aiunt Ioannis baptismum non fuisse remissionis peccatorum baptismum, sed pœnitentiæ duntaxat? Hic enim audimus quod vt Christi siue Apostolorum, ita Ioannis quoque significarit pœnitentiam & remissionem peccatorum. Iam vero cum idem vtrorunque sit baptismus, quod externam sacramenti administrationem attinet, consequitur Paulum Ephesios non aquæ baptismo retinxisse. Propterea quod iam secundo baptismo, nihil plus contulisset, quam illud ipsum, quod iam antea in primo (si baptizati fuissent) collatum erat. Proinde ipsa res clamitat Baptismi nomen hic variare, & aliud quippiam innuere. De quo postea. Nunc quod Catabaptistæ ogganiunt, Nemini nisi credenti baptismum debere conferri, iam olim explosum est in capite 8. & 10. historiæ huius. Nam si illi per credentem eum intelligunt, qui vere & ex corde credit, quis ministro Ecclesiæ dicet, quando quis credat aut non credat? Si istud ex fructibus & externa confessione colligere volunt, falli poterunt, quemadmodum & Philippus in Simone mago falsus est, neque aliud hoc dogmate efficient, quam quod nemo possit tuto baptizari. Si vero ad externam confessionem omnia dirigunt, quid aliud quam incredulos quoque & hypocritas ad baptismum admittunt? id quod cum maiore iunctum fuerit impietate, quam si infantes, mortuos quidem originali peccato, sed Christi sanguine viuificatos ad sacrum admitterent baptisma. Proinde cum alienum à pietate & communi sensu sit dogma illorum, nihil roboris ipsi ex præsenti loco accedit. Aliud enim describit hoc loco Lucas. Nam nunc dicemus de genuino huius loci sensu. Audiuimus in cap. 18. (quod ibi ad res Ephesias pertinere monuimus) Apollon fidelem aliâs & magnum in Domino virum, non rite in vera Christi religione imbutum docuisse Ephesi, nimirum quod ipse hactenus doctus erat. Ceterum cum magistro plurima desunt, nihil mirum, si & discipulos plurima fugiant. Iam vero ex omnibus circumstantijs liquet hosce viros duodecim Appollo fuisse auditores. Descripturus ergo historicus res nobilores Ephesi per Paulum gestas, ab eo auspicatur, quomodo imperfectum in quibusdam Christianismum correxit. Et modum quidem per quem illis medicatus sit describit. Igitur cum illi se discipulos Domini, id est, Christianos esse existimarent, qui recta ambularent in via Domini, vtpote Apollo tanti videlicet doctoris discipuli, Paulus vti erat harum rerum expertissimus & diligentissimus explorator, probaturus num sani essent in fide, certissimam admonet probandi regulam, ipsum videlicet spiritus donum, hoc est fidei maximam vim, quæ ex spiritu est, conscientiæ securi-

Catabaptistæ.

Veterũ excussa sententia.

Christi et Ioannis baptismus vnus.

Catabaptistarum excussa sententia.

Expositio huius loci.

tatem. Nam ad Romanos quinto, Iustificati (ait) ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum
Metonymia. nostrum, &c. Hanc ergo animi securitatem indagans quæ non nisi ex vera fide est, interrogat, Num
Galat. 3. Spiritum sanctum accepistis, posteaquam credidistis? Ecce nihil de baptismo aquæ, sed de fide & doctrina interrogat. Non enim dicit: Posteaquam baptizati estis aqua. Hic iam illi produnt ignorantiam suam, & quod in vera religione Christiana adhuc rudes essent, Tantũ (inquiunt) abest vt securi
Baptismus doctrina est. & cordibus simus illuminati spiritus flamine, vt hactenus nescierimus num sit aliquis spiritus. Volens ergo extorquere erroris causas & obstruere fontem vnde ille effluebat, prærterea interrogauit, εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε, In quid ergo baptizati estis? Obserua autem laquutionis vim. Non inquit, In quo baptizati estis, sed in quod doctrinæ genus inducti estis? Sic superius in 18. capite audiuimus Apollon duntaxat sciuisse baptismum Ioannis, id est, in doctrina Ioannis fuisse institutum. Hi ergo ad doctoris morem & ipsi Ioannis baptismum, id est, doctrinam iactant. Dicunt enim, εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, In baptismum Ioannis baptizati sumus. Sed vt ille errarat & Aquilæ institutione exactius didicerat quæ esset doctrina Ioannis: ita & hi accuratius instituuntur à Paulo. Non enim hic abijcit aut contemnendam docet doctrinam Ioannis, vt inefficacem aut imperfectam, sed clarius exponit qualis sit, ostendens illos nondum intellexisse Ioannis doctrinam. Obseruabis autem quod nihil hic de elemento aquæ, disputabat, sed de doctrina: vt ex hoc velut consequẽti colligere posim⁹ superiora quoq; de
Qualis fuerit doctrina Ioannis. baptismo doctrinæ esse intelligenda. Porro istis exponit qualis fuerit doctrina Ioannis. Ioannes (inquit) baptizauit baptismum pœnitentiæ. En tibi iterum non dicit, Baptizauit in baptismo pœnitentiæ, sed ἐβάπτισε βάπτισμα. Et quid hæc loquutio polleat sequentibus exponit, Loquens populo vt crederent in futurum. Duo ergo sunt quæ docuit Ioannes, Pœnitentiam & fidem in Christum, siue Remissionem peccatorum: at cum eadem tradantur doctrina Christi siue Apostolorum, vt testatur ipse Dominus Lucæ 24. quis est qui iam non videat Ephesios istos duodecim viros non recte institutos fuisse in via Domini, quanquam se recte institutos esse arbitrarentur? Hic ergo cernentes veræ religionis speciem, sentientesque Christum esse pacem & iustitiam nostram, nunc quidem in illum aquæ baptismo, quo hactenus tincti non erant, consignantur. Ergo protinus etiam vt primitiæ Ephesiorum externo quoq; Spiritus sancti baptismate baptizantur, donati linguarum & prophetico munere. De quo dictum est in cap. 2. & 10. Hactenus autem male instituti melius instituuntur, & baptismo aquæ suscipiuntur in numerum populi Dei. Hunc vero nodum ad hunc fere modum pri-
Huldrychus Zuinglius. mus soluit felices memoriæ clarissimus vir Zuinglius, qui de hoc loco multa plura & in Commentario ad Galliarum regem, & in opere de baptismo, contra Catabaptismum, pro puerorum baptismo, conscripsit: è quibus tu si quæ his deesse videris petere poteris. Quod autem Catabaptistæ hic obijciunt, Ergo baptismum præcedit doctrina: nemo negat, sed in adultis, & apud eos apud quos nondum increbuit nomen Christi. At apud quos semel auditum est, vicissim nemo negare potest, parentes de liberorum salute anxios, hosce ad sacrum offerre baptismum, quod audiant Deum etiam infantium esse Deum. At baptismum ipsum aliud nihil esse quam signum populi Dei. Verum de hac re satis iam disceptatum est. Hæc autem sunt initia rerum à Paulo gestarum in Epheso.

Introgressus autem synagogam, libere loquebatur ad tres menses, disputans & suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur nec crederent, male loquentes de via domini coram multitudine, digressus ab illis, segregauit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennium, ita vt omnes qui habitabant in Asia, audirent sermonem domini Iesu, Iudæi simul & Græci.

Pergit reliqua quæ in Epheso gesta sunt describere, & paucis quidem omnia, quod eiusdem generis complura iam sæpius audita sint in superioribus. Libere loquebatur de regno Dei, nihil dissimulans aut tegens propter Iudæorum metum. Hi cum carnale Christi somniarent regnum, Paulus
Vide Rom. 9. & 11. cap. spirituale asserit fore. De quo nonnihil dictum in cap. 1. Quemadmodum vero in Antiochia, Pisidię, Iconio, Thessalonica & Corintho nulla potuerunt frangi diligentia & institutione, ita hic quoque indurati, omnem cœlestem contempsere sapientiam. Vt vero ibi excussis vestibus damnationem in ipsorum deriuauit capita, ita hic quoq; deserit illos: tum ne qui illorum malitia conuitijs & artibus (parum enim fermenti totam massam fermentat) corrumperentur, tum ne illorum quoq; inuidiam magis inflammaret, tum ne impotentioribus rixis ad nihilum profuturis suppeteret ansam. Vnde nos iterum discimus quid cum illis sit agendum, qui veritatem aspernantur. Cæterum scholam Tyranni cuiusdam ad sacras conciones delegit: atque in hac summa diligentia per biennium prædicauit Christũ, nec sine maximo fructu. Maxima enim multitudo cũ ex Iudęis tum Gentibus maxime, Chri-

me, Christo credidit. De Tyranni autem schola nihil certi adferre possumus, vnde nomini origo, aut cur locus sic dictus sit. Fuit quidem Corinthi Dionysij tyranni schola, cuius in 3. Tuscul. meminit M. Cicero, sed nō constat pariter docuisse vllū Tyrannum Ephesi. Attamen hoc satis certum est Lucam locum quendam Ephesi ad docendum accommodum tyranni scholam dixisse. Erasmus in annotat in suis. no. Suspicor (inquit) fuisse secessum magnatis alicuius, in quo solitus sit otiari. Quando quidem schola Græcis sonat otium.

Virtutesq; non vulgares ædebat Deus per manus Pauli, ita vt etiam super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recederent ab eis morbi, & spiritus mali egrederentur.

Verbo iunguntur miracula admirabilia, vt Gentium Iudæorumque animi frangantur & libentius hæreant prædicati veritati de salute. Verisimile enim erat istos esse salutis præcones, qui omnes morbos isto nomine quod prædicabant, depellebant. Quod autem de vmbra Petri dictum est in cap. 5. idem hoc quoque ad sudariola & semicincta Pauli congruit. Semicincta autem succinctoria Grammatici vocant, quæ medium vestiunt hominem. *Miracula.*

Tentauerunt autem quidam è circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuramus vos per Iesum quem Paulus prædicat. Erant autem quidam filij Sceuæ Iudæi principis sacerdotum septem, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus malus, dixit: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo in quo erat dæmonium malum, & dominatus eis, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem innotuit omnibus Iudæis simul & Græcis, qui habitabant Ephesi: & incidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu.

Vt apud Philippenses dæmonis artes detectas, oportuit magnam veritati conciliare gloriam: ita hoc loco Deo visum erat misero Exorcistarum exemplo, fraudes dæmonis, & malarum siue curiosarum artium imposturam detegere, & vanam in hasce res fiduciam destruere, atque cor & pectus hominis sibi soli & veritatis studio consecrare. Quod enim Ephesij Exorcistarum mulcta moniti territique, curiosæ artis libros exurunt, & Deo sese totos consecrant, huius fabulæ est Catastrophe. Porrò ἐξορκίζω Græcis significat adiuro: & ἐξορκιστὴς adiurator. Iosephus autem libro Antiquitatum 8. capite 2. tradit Deum hoc Solomoni tribuisse, vt artem hanc adiurandi aduersus dæmonas ad hominum vtilitatem institueret: qua Eleazarum quendam Iudæum præsente Vespasiano Imperatore vsum se vidisse ait. Cæterum quid ei narrationi quam ille de Solomone instituit, tribuendum sit, iudicio Lectorum permitto. Hoc ex præsenti loco constat Adiurationis rationem à filijs Sceuæ vsurpatam prorsus non fuisse diuinā. Nam explosa est: sed & libri de hisce rebus tractantes postea exusti sunt. Præterea eiusmodi exorcismi & exorcistæ ab omnibus pene Ecclesiasticis scriptoribus superstitionis titulo accensiti sunt. Ioannes Chrysostomus, Dignum est hic admiratione (ait) quomodo dæmon ille non cooperatus est errori illorum, sed refutauit eos, & omnem dolum eorum manifestauit. Mihi videtur valde succensuisse, quemadmodum si quis extreme periclitetur à miserabili & ærumnoso quodam refutetur & omnem in illum remittere velit furorem, &c. Exorcistæ itaq; illi impostores ac magi fuerunt, ex eorum numero, qui circumeunt, & ad quæstum certis ritibus ac verbis conceptis eijciunt noxios spiritus, quales nobis nonnullos nostro seculo profudit collegium, quod Lussense vocant. Et maligni isti spiritus iccirco istorum parent præceptionibus, vt plurimos decipiant, & in errore retineant. Mentiebantur illi se hanc artem à Solomone prædidicisse. Si enim quippiam huius tradidisset, nimirum nihil tale tradidisset. Ergo cum magna esset Solomonici nominis authoritas, in hoc illum suæ artis fingebant authorem, vt maiorem ex ea caperent vtilitatem. Iam vero quamuis ijsdem vterentur verbis, quibus vtebantur Apostoli, nihil tamen efficiebant. Nam deerat fides, prauum aderat institutum, præterea & institutum Domini peruerterant. Nam quæstus gratia sancta verba aliò torquebant, quàm instituta essent. Iccirco falluntur & hodie quotquot conceptis & sanctis (vt aiunt) verbis quicquam se effecturos credunt. In hisce enim rebus necessarium est, vt clarum adsit Domini præceptum, nihilq; in eo sit vel mutatū vel sinistrius vsurpatum aut intellectum, deniq; vt mens nostra non alio quam fides docet, spectet, ne deprauata sit vtq; fidei lucerna vbique *Aduersus exorcistas.* *Verborum Dei vsus ad res prophanas.*

præluceat: aliàs nihil effeceris verbis quantumuis sanctis ac efficacibus. Sed de hac re diximus in capite 16. Præterea huc quoque illud facit, quod dæmon clamitat, Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Quod Chrysostomus exponens, Vos (inquit) non creditis, sed abutentes hoc nomine, talia dicitis. Hæc dicens simul in impostores insilijt, & pœnam de ipsis condignam sumpsit. Iam sequitur Catastrophe, Ea res innotuit omnibus cum Iudæis tum Gentibus Ephesum habitantibus, & incidit timor super omnes, ac magnificabant nomen Domini Iesu, quod omnes aduersarias vinceret, & quod nullius quæstui aut gloriæ seruire vellet.

Multiq́ credentium veniebant confitentes & annunciantes facta sua. Multi autem ex eis, qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus, & supputatis precijs illorum, repererunt pecuniæ quinquaginta millia. Ita fortiter crescebat sermo Dei, & confirmabatur.

Hunc locum alij sic exponunt, Credentes venerunt & confessi sunt, id est, cum gaudio annunciarunt, quid per ipsos patrasset Deus. Ergo per τὰς πράξεις, facta, intelligunt miracula. Per Confiteri, cum laude proferre. Hoc enim posse quod sequitur καὶ ἀναγγέλλοντες, id est, & annunciantes. Cæterum *Confeßio peccatorum.* videri poterant & de scelerum agnitione exponenda esse, vt intelligamus Ephesios spiritu Dei compunctos, palam indoluisse quod errarint tantopere & tam impie: præterea ingenue confessos, errasse se, & quibus errarint modis quàmque temere vanissimis artibus fidem præbuerint stulti, & id genus alia facta sua, exposuisse. Fieri enim nequit, quin grauiter doleant, & libenter fateantur errasse se & peccasse, qui per exhibitam lucem gratiæ Dei veritatem assequuntur: imò non cessant sese damnare, qui sic resipuerunt. Iustus enim primum accusat sese, vt inquit Propheta Prouerbiorum 18. Quod ad occultorum confessionem, quam auricularem nuncupant, pertinet, nihil moror eos qui grandia quædam de hac iactantes, ipsi sese non intelligunt. Certum enim est istam neque Scripturis neque Vetustati notam fuisse, sed nuperum quorundam hominum esse inuentum. Nam vt multa interim transeam infallibilia huius rei argumenta, vnicum Ioannis Chrysosto. proferam testimonium, qui in 11. ad Hebræos capite scribens, non dico (ait) vt te prodas in publicum, neq; vt te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti, Psalm. 36. Reuela Domino viam tuam: ante Deum ergo confitere peccata tua, apud verum iudicem cum oratione delicta pronuncia, non lingua, sed conscientiæ memoria, & tunc demum crede te misericordiam posse consequi, si habueris in mente peccata tua continue, &c. Sic de occultis peccatis sentit Chrysostomus, è cuius testimonio facile quis deprehenderit, quod nulla fuerit apud eos talis, qualem Pontifici volunt confessio. Et posteriorem hunc sensum iuuant ea quę iam sequuntur, Multi autem ex eis qui exercuerant τὰ περίεργα πράξαντων, id est, curiosas artes, comportatos libros exusserunt coram omnibus. Hic enim fructus est eius facinoris quod Dominus cum Sceuæ (vt & supra monui) filijs patrauit. Constat autem ex hoc loco Ephesios curiosis artibus fuisse deditissimos. Vnde forsan prouerbio locus est datus, Ephesiæ literæ, de quo Erasmus. Beda ait per curiosas artes intelligi Magicas, incantationum, diuinationum, curationum, & adiurationum superstitiosarum delirijs confertas: quibus Genethliacorum interrogatiunculæ & coniecturæ addiuinantes accedunt, quas miræ persequitur August. in lib. quæst. veteris *Samuelis exuscitatio.* & noui testamemti. Idem quæst. 27. vet. & noui testa. & quæst. 6. ad Dulcicium Samuelis exuscitationem vocat sathanæ præstigium. Equidem 1. Reg. 28. historia narratur rei illicitæ ac lege prohibitæ. Deut. 18. Sed de magia satis dictum est in cap. 8. plura etiam apud Plinium li. 30. cap. 1. & 2. & alibi: mire enim hic Magos ac magicen insequitur. Iam quod pretium attinet librorum, Erasmus monet in annotat. Græce scriptum esse καὶ εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε. Id est, Et inuenerunt quinquagies mille nummum. At Budæus lib. de Asse & Part. eius quinto, ista ad verbum ita legi dicit, Et inuenerunt argenti myriadas, quinque, quod interpres (vt ait) recte transtulit quinquaginta millia denarium, non vt Plutarchi interpres in Antonio & Pompeio, millia nummum, pro denariorum millibus, vertens, qua ratione quadruplo minor fit summa. Hæc summa quinq; millia aureorum nostrorum (Coronatos intelligit) valet, ne temere putemus librorum summam à Luca Apostolorum scriba commemoratam. Id enim omnino admiratione dignum tanti libros adiurationũ comparatos. Hactenus Budæus, cui & Erasmus in Paraphrasi postea accessit, reddens denariorum quinquaginta millia. Ex hoc autem loco intelligimus quod veram pœnitentiã non piget vllarum rerum aduersus Deum inuentarum *Idolorum et superstitiosorum librorum incẽdium.* facere iacturam. Nam & Ezechias & Iosias principes optimi aras statuas & ornamenta deorum peregrina inæstimandis constructa impensis, neglecto pretio, cõfregerunt atq; igne concremarunt. Iam & libri hi Ephesij idololatriam resipiebant, proinde digni erant qui exurerentur. Nemo enim negat impios & malos libros esse exurendos. Cæterum bonorum incendium librorum iam olim

damna-

damnatum est in temerario Iehoiachim facinore. Hic enim preter ius & fas, vt apud Ieremiam extat in cap 36. Ieremiæ veras & prias orationes concidit & concremauit: hoc ipso significans nunquã defuturos homines improbos, qui optimos essent combusturi libros. Id si quis hodie non videt com pleri, nihil videt. Adeo enim sæuit quorundam dira in veritatem rabies, vt ne à Bibliorum quidem abstineant proscriptione & incendio. Sed propediem aderit vltor, ille qui inextinguibili igne incendiarios istos perpetuum torrebit. Sublatis autem rebus superstitiosis & impijs sermo Domini & cre scebat & confirmabatur. Si ergo in vera animi pietate è medio tulerimus quod Deo & legi eius aduersatur, non deerit suis Dominus, crescetq; verbum eius.

His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaia, ire Hirrosolymam, dicens: Postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Missis autem in Macedoniam duobus ex his qui ministrabant sibi, videlicet Timotheo & Erasto, ipse remansit ad tempus in Asia.

His per biennium (inquit) feliciter gestis in spiritu, id est, secum deliberans, apud sese statuit Hierosolymam redire & deinde Romam petere. Aut certe in spiritu dixit, quo alligatus erat, de quo audiemus in cap. 20. Præmisit autem ministros suos Timotheum & Erastum, fortaßis illum Corinthio rum quæstorem, cuius mentio fit ad Roman. cap. 16. nimirum & vt eleemosynarum (quod & Beda monuit) aliquid illic colligerent, subleuandis pauperibus qui erant Hierosolymis, & animos illorum in aduentum Pauli præpararent. Postremo audimus in præsentiarum Asiam vsurpari pro ipso Epheso ac Ionia in sacris, vt supra quoque annotauimus.

Ortus est autem illo tempore tumultus non exiguus de illa via. Nam quidam nomine Demetrius, faber argentarius, qui faciebat delubra argentea Dianæ, præstabat artificibus non exiguum quæstum: quibus conuocatis, & his qui similium rerum erant opifices, dixit: Viri, scitis quod ex hoc opificio quæstus nobis est, & videtis & auditis, quod non solum Ephesijs, sed penè toti Asiæ Paulus hic persuasit, & auertit multam turbam, dicens, quod non sint dij qui manibus fiant. Non solum autem hæc pars nobis in periculum venit, ne reprobetur, verum etiam ne magnæ deæ Dianæ templum pro nihilo habeatur: futurumq; sit, vt etiam destruatur maiestas eius, quam tota Asia & orbis colit.

Miram hoc loco & spectatu iucundam pingit Lucas tragœdiam, in qua ceu in tabula spectandum proponit crucem ex veritate emergentem, idololatrarum quoque artes & furorem, conuitia & turbas, cur tumultuentur idololatræ, quid prætexant, quid quærant: breuiter, pugnam religionis & superstitionis, vtriusq; etiam arma & ingenium, potißimum tamen superstitionis tam probe suis pingit coloribus, vt non frustra dictus sit pictor Ecclesiasticus. Quas enim res pictores, perinde vt si nunc primum gerantur, penicillo exprimunt atq; demonstrant, eas ipsas historia descriptionibus at que orationibus suis factas iam narrat atque describit. Vnde & Simonides apud Plutarchum picturam poema quoque tacens, & poema loquentem appellat picturam. Id cum stupidi isti monachi ne sciant ex Luca medico profeßione, pictorem fecerunt, cum reuera propter genium historiæ pictor à nonnullis sit cognominatus. Proprijßime ergo hunc tumultum descripsit, & primo quidem in ge nere dixit, Ortus est illo tempore, dum videlicet Paulus Euangelium profiteretur & abitum pararet, tumultus non exiguus, de illa via, id est, propter religionem Christianam Euangelicamque prædicationem. Nam supra monuimus Viam in sacris sæpe vsurpari pro religione & instituto. Deinde caussas tumultus adeoque authorem ipsum atq; ipsam orationem describit, qua ille aliorum mentes ad tumultuandum concitauit. Postremo vero miris modis ipsam pingit seditionem. Porro iam sæpe monuimus Apostolos & veritatis ministros non esse (sicuti accusantur) seditionum magistros, sed ipsos impios & idololatras. Idem hoc quoque loco traditur. Nam Demetrius ἀργυροκόπος, id est, argentarius, hoc nominis ab elaborando argento nactus, huius seditionis extitit author, non alia caussa ad hanc ram tam periculosam inductus quam auaritia. Cum enim dulubra faceret argentea Dianæ, vera autem religio externum condemnaret cultum, non mediocriter quæstui suo timebat. Con silium ergo ex re cepit, quo veritatem gliscentem opprimat. De hoc consilio pluribus in consequentibus. Nunc vero paucula quædam annotabimus ex authoribus quæ ad hunc locum conducere vi-

Lucas pictor dictus.

Seditionum authores.

Delubra. dentur intelligendum. Delubra proprie repositoria sunt statuarum, atq; etiam templa deorum. Erasmus hunc locum exponens ναοὺς quidem templa significare ait, sed Lucam hic intellexisse ædiculas seu thecas effigie templi, in quibus reponi solerent statuæ. Vnde & Chrysostomus author Græcus, Quomodo (inquit) possibile erat delubra fieri argentea? Fortassis intellexit ædiculas, & coopercula quæ ciboria vocant. Et M. Varro libro 8. rerum diuinarum, apud Macrobium libro Satur. 3. cap. 4. Sicut locū (inquit) in quo figerent candelam, candelabrū appellatur: ita in quo Deum ponerent, nominarunt delubrū. Ego vero existimauerim Templi aut Delubri nomine id omne comprehēsum esse, quod pertinet ad instrumenta ornamentaque templorum: cuius generis apud nos sunt Tafeln/ Särch/ Monstrantzen/ & id genus nugæ. De Diana autem hac ita scripsit Paraphrastes, Erat (vt diximus) Ephesiorum ciuitas magnopere dedita curiosis artibus: & Diana credita est apud Gentes in veneficijs habere numen aliquod: vnde & triformis ab illis dicitur, quemadmodum Hæcate: eoque summa religione colebatur apud Ephesios. Lo. vero Cœlius lib. 10. cap. 6. eiusdem mentionem faciens, Quia vero triplicem (inquit) visitationem faciat Luna cum surgit in cornua, & falcata dicitur, cumq; diuidua est & cum orbe circumacto, hinc propagatum autumant poeticū commentum de triformi Diana. Vnde fit & Maronis illud decantatum Grammaticis, diuerseq; pro ingeniorum captu expositum.

Diana Ephesina.

Diana Luna.

Tergeminamq; Hæcaten, tria virginis ora Dianæ.

Porrò Hieronymus in Præfatione in epistolam Pauli ad Ephesios scribit hanc Dianam non esse venatricem illam, quæ arcum tenet atque succincta est, sed illam multimamiam quā Græci πολύμαστον vocant, quamque ipsa effigie volebant omnium bestiarum & animantium esse nutricem. De qua copiosiora Politianus in Miscella. capite 51. vbi & Festum huius deæ ex sententia Xenophontis Ephesij describit. Diana itaque hæc apud illos pro ea culta est, quæ omnia viuificaret atque aleret: vnde & huic solæ vrbis suæ tutelam locarunt Ephesij. Hæc de dea, nunc de eius Templo, de quo Democritus quidam, vt refert Diogenes, integrum librum conscripsit. Iulius Solinus cap. 53. Ephesi (inquit) decus templum Dianæ est, Amazonum fabrica, adeo magnificum, vt Xerxes cum omnia Asiatica templa igni daret, huic vni pepercerit. Et Plinius hoc plenius describens libro 36. cap. 14. Magnificentiæ (inquit) vera admiratio extat templum Ephesiæ Dianæ, ducentis viginti annis factum à tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico aut instabili fundamenta tantę molis locarentur, ante calcatis ea substrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerso templo longitudo est CCCCXXV. pedum: latitudo ducentorum viginti. Columnæ centum viginti septem à singulis regibus factæ, sexaginta pedum altitudine. Ex ijs XXXVI. cælatæ, vna à Scopa, &c. Hæc de magnificentia templi Dianæ Ephesiæ. Redimus iam ad cōsilium Demetrij. Is cum sentiret frigere cultum deæ, ac templi opinionem vilescere, conuocat omnes eos qui alebantur templi luxu atque superstitioso deæ cultu, cuiusmodi sunt pictores, & qui acu & qui penicillo pingunt, fusores, plastæ, cermatistæ, idolotechni siue statuarij, & similium rerum nugipolæ, & apud hos seditiosam habuit orationem. Vbi illud quoque annotauit Chrysostomus malignitate permotum istæc cœpisse. Abundans enim (inquit) erat: vnde ipsi quidem non tantum potuit nocere religio, quantum illis quos non nisi pauperrimos conuocauit, vt tales facilius ad arma permoueret. Nā tales quotidiano templi istius opificio victitabant. Vsus est autem apud illos oratione vehementi. Nam suasoria est & ab Vtili ac Honesto locis efficacissimis ducta. Præfert autem Vtilitatem, quod hac hominum animi plus permoueantur quam honestate: sed non negligit interim honestatem, ne quid lucri duntaxat gratia dixisse videatur, & vt tota caussa maiorem habeat gratiam & authoritatem. Cęterum argumentum primum tale est. Illud omnino nobis ferendum non est, quod quæstum & victum imminuit. Imminuit autem ea religio quæ à Paulo isto (contemptim legatur) homine nouo traditur. Non itaque ferendum nobis noxium dogma. Hic vero Assumptionem paulò copiosius exponit, quasi dicat: Quæstus ac victus noster paratur idolorum cultu, pictura, & id genus artibus. Cæterum Paulus ille & ipsos deos & ipsa deorū simulachra, imò quicquid in horum instituitur honorem, contemnit & inutilia deoque ingrata esse docet: quæstum ergo ac victum à nobis tollit. Aduersatur autem hic quoque locus imaginum vsui. Nam quis tam vecors est, vt statuas ab hominibus fusas aut sculptas pro ipsis dijs Demetrium habuisse existimet? Sciebat enim & ipse æreas esse illas, aut metallicas, aut cedrinas, aut virigineas, aut tiliaceas. Cæterum pro diuinis habebat venerabundus, ideoque propter eos quos significabant, & propter miracula cum plura tum etiam ingentia, quæ dæmonum arte ex illis aut iuxta illas ædebantur, item quod simulachrum illud quod in eo colebatur Templo, è cœlo lapsum fama esset. Hæc præterea nostrorum quoque hominum & aduersariorum verbi mores & consilia describunt. Videmus enim monachorum & sacerdotum concursare collegia, clamitare, Si sic perrexerit vt cœpit Euangelica fides, iam Missa vna cum diuorum cultu perijt:

Vide Macrob. de Sole siue Apolline.

De templo Dianæ Ephesiæ.

Istud biennio diruit Paulus Euangelij præsidio, maxima ergo vis & gloria est euāgelij

Consilium Demetrij.

Aduersus imaginum vsum.

perijt:cessarunt & oblationes,sacrificia, vota,peregrinationes,& omnis generis anathemata. Vnde ergo posthac equos,canes,scorta, famulitium, Sybariticas mensas,bombicinas vestes,ædes amplas, & Adonidis parabimus hortos? Hic ergo omnis generis homines,omnes gradus,breuiter omnes omnium animos in Euangelij concitant odium. Principibus, opulentioribus, & tenuioris fortunæ hominibus, singulis inquam exponunt qua in re ipsis Euangelica doctrina incommodare possit: atque hac in re plusquam rhetores præstant & plus nimium officiosi sunt.Iam & ad honesti locum accedimus.Hunc autem superiori pulchra transitionis formula sic attexit. Non solùm autem hęc pars (inquit)in periculum nobis venit,ne reprobemur,verumetiam ne magnæ Dianæ templum pro nihilo reputetur.Sic enim vtili,speciē honesti nectit. Nam quid honestius,quid decētius videri queat, quàm publicam pietatem tueri, quàm patrij numinis maiestatem defendere? Hanc speciem pietatis mire quàm callidè ac versutè, prætexere auaritiæ suæ hodie solent episcopi quidam & prælati, dum sacrosanctæ Ecclesiæ authoritatem iactitant. Magnam Deiparam virginem,templa,simulachra,ac cultum eius instructissimum deuotissimumque irrideri atq; conculcari clamitant. Equidem omnia Demetrij verba,sicut & illorum,eximium pondus habēt.Nam Dianam magnam vocat. Templum verò & cultum eius, iam non templum aut simpliciter cultum eius nominat, sed maiestatem eius appellitat,& à totius Asiæ reuerentia, quòd scilicet ad hanc ex tota Asia conflueret innumera hominum turba,commendat. Quasi dicat, Neq; verisimile est tot hominum millia aberrare,neq; ferendum vt tam diuturna, sancta, & communi omnium regnorum comprobata religio, ita abrogetur. Quid verò nostri aliud quiritantur? Nihil discriminis in istorum & nostrorum inuenias querelis. Colligimus autem ex hoc loco apud omnes penè Gentes & in religione quauis superstitiosas institutas fuisse ad deos peregrinationes. Nam vt Epidaurum, Delphos & innumera alia transeam loca, certè Asiani repetebant Ephesum, Israelitæ verò Bethel,reuera Bethauen,Berseba ac Gilgal. Vnde & apud Prophetam legimus, Quærite me & viuetis. Et nolite quærere Bethel,ad Gilgal nolite intrare,& ad Berseba ne transieritis, Amos 5 cap.Hic enim Propheta cum Osea miris modis insectantur istud idololatriæ genus.Atqui neglectis istis omnibus videas hodie apud istos qui maximè Christiano gaudent nomine, pro vna Diana decem coli Marias, neq; verò vulgari more aut incelebri fama,sed ædificiorum splendore, simulachrorum nobilitate, signorum miraculis,& peccatorum condonationibus. item & locorum delectu ac sanctimonia illustrissimas. Et vt olim vna Diana iam Agrotera,mox Coryphea,deinde Laphyra,item Corythallia,Ephesia quoq; Auidensis & Pergea dicebatur:ita apud nostros varia Mariæ indita sunt nomina. Alia enim Lauretana,alia Heremitana,alia Aquensis,alia Ripensis,alia Campensis,alia Rosacea,alia Liliaca à vanissimis hominibus propter stultas opiniones superstitionesque est nuncupata. Et vt de Diana variæ erant fabulæ,cuius generis & illud est quod Ephesiæ simulachrum cœlo delapsum dicebatur:ita de Diuæ virginis idolo & sacellis eius varia traduntur. Hoc enim aiunt ab ipsis angelis ex Orientis partibus in extimas Occidentis delatum oras:illud verò ab angelis vel fabricatum, vel consecratum,vel auctum,vel ab hostium incursione defensum.Pręterea hoc simulachrum virginis à Luca pictum,aliud à sancto quopiam sculptum,& aliud ab angelis inuentum & reuelatum, item aliud sua sponte,sed miraculosè enatum,iam & multa cœlo delata esse mentiuntur. Quædam item alia Christi,Virginis & Diuorum idola finxerunt esse immobilia, quædam lachrymas profundentia, quædam verò quæ vel pingi vel in alia loca poni renuerint, vel translata redierint in locum pristinum,quale ego quondam celebre hisce manibus meis,pio Dei zelo commotus, in gloriam Christi confregi. Quid quod quædam finxerunt vel animaduertisse in hostes, quædam reddidisse de se fulgorem, quædam manasse cruorem, quædam item sudasse stillas aquæ prægrandes, tremuisse quoq; alia? Quis verò omnes omnium nugas recitet? Vana sunt ista omnia,sed propter quæstum nobis sacrosancta,at reuera & huius loci robore prorsus proscripta & à Deo damnata. Erasmus huic orationi Demetrianæ Epilogum,à Luca breuitatis gratia omissum, attexens, sic scribit, Itaque si prudentiam esse iudicatis consulere quæstui vestro, si pium esse iudicatis ab iniuria vindicare patrios deos, hic præstate vos fortes viros, & venienti malo occurrite.

Peregrinationes ad Diuos.

Bethel domus Dei, Bethauen, domus vanitatis.

His auditis,repleti sunt ira,& exclamauerunt,dicentes: Magna Diana Ephesiorum.Et impleta est ciuitas tota confusione,et impetum fecerunt vno animo in theatrum,correpto Caio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

Hic demum graphicè ipsam pingit seditionem, quæ ab vno atque altero nebulone incipit, deinde totam vrbem inuadit. Tum verò furiunt miseri cum de Diana audiunt & de lucri iactura. Tales enim sunt populi mores,qui facile terreri & incitari solet. Populus enim belua est multorum

capitum & ad omnia facile afficitur. Exclamationē autem & inuocationem cōplectitur & vlciscendi consilium indicat. Iccirco & Gaium & Aristarchum Pauli comites corripiunt, vt de ipsis ..nquam diuum contemptoribus supplicium sumant. Idem enim his vsu venit, quod Iasoni apud ..ssalonicenses. Huius rei gratia & in theatrum protrahunt. Porrò theatrum locus erat amplus, sic accommodus ludis spectandis, vt & multi eminus etiam cernere possent. Grāmatici enim Theatrum (inquiunt) hemicycli specie constructū erat, ἀπὸ τοῦ θεάματος, quod est video appellatum. Latinè dici spectaculum potest. In genere verò pro quouis amplo & patenti loco in quo conciones siue comitia celebrantur, dicitur.

Theatrum.

Paulo autem volente intrare ad populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & ex Asiæ primoribus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes, ne se daret in theatrum.

Cur Paulus se seditioni misce re voluerit.

Hoc facto commendatur nobis constantia, fidelitas ac sapientia Pauli. Nam in hoc in cœtum prodire voluit, vt comitibus opitularetur, & populo veram exponeret religionem. Quin & in illis legibus Solonis antiquissimis quæ Athenis axibus ligneis inscitæ sunt, quasque latas ab eo Athenienses vt sempiternę manerent, pœnis & religionibus sanxerunt, legem esse Aristoteles refert scriptam, ad hanc sententiam: Si ob discordiam seditio populi in duas partes fieret, tum qui in eo tempore in eoque casu ciuilis discordiæ non alterutra parte sese adiunxerit, sed solitarius separatusque à communi malo ciuitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exul extorrisq́, esto. Voluit ergo pro sapientia & animi sui constantia in globum furientium irruere, si forsan præsidio veræ religionis tumultuantes posset componere atque sedare. Sed aliud visum est Christianis & quibusdam Asię primoribus, quibus Asiatici mores erant perspectiores. Iis autem Apostolus obsecundabat, qui nullibi in rebus externis sui sensus tenacior aut plus æquo præfractior fuisse legitur. Expendebat hic secum furienti populo neminem vlla ratione aut expurgatione quantumuis luculenta posse satisfacere, denique periculum in re tam ancipiti susceptum Euangelico negotio parum commodare, at incommodare plurimum posse. Prudenter ergo sua discedens sententia aliorum obsecutus est consilijs. De lege autem Solonis, qui plura eaque lectu vtilia & iucunda velit, legat Gellij noct. Attic. lib. 2. cap. 12.

Paulus aliorum consilijs obsecutus.

Alij quidem igitur aliud clamabant. Erat enim concio confusa, & plerique nesciebant qua ex causa conuenissent.

Quantum malum seditio siue discordia.

Veluti hypotyposis est dissensionis. In hac enim istud in primis culpandum est, quod excusa omni ratione, omni consilio omnique prudentia, affectus quorumlibet dominantur, imò tumultuantur, dum quisque sui animi consilium omnibus obtrudere contendit. Nihil ergo in quauis vrbe calamitosius, nihil in vlla gente pestilentius est, quàm ciuilis & intestina seditio, quam & Arbiter Petronius eleganti hoc carmine ad hunc modum depinxit,

Intremuere turbæ ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos stygium caput, huius in ore
Concretus sanguis contusaq́, lumina flebant.
Stabant irati scabra rubigine dentes.
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora.
Atq; inter toto laceratam pectore vestem.
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

Ex quibus omnibus constare potest, quàm sit diligenter & assiduè laborandum, vt istiusmodi seditiones atque discordias effugere possimus, quoniam id à Catone ciuitatis venenum verissimè est appellatum, sicuti & M. Agrippa asserit, qui multum se debere Salustianæ sententiæ, professus est, quo loco egregiè ac prudenter inquit, Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

De turba autem protraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudęis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat rationem reddere populo. Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox orta est vna omnium, fermè ad horas duas clamantium, Magna Diana Ephesiorum.

Censent alij Alexandrum hunc instructum fuisse à Iudæis ad dicendum pro Paulo & suis. Alij volunt ab hostibus Pauli fuisse institutum, vt contra Paulum diceret, sed tumultum ita incruduisse, vt iam ne ipsi quidem seditionis authores quicquam in tanta (vt fit) potuerint frequentia. Vtcunq; verò

verò res habeat, hoc certum est, ne Iudæos quidem Dianam coluisse: ea de re parantem dicere noluerunt audire, & in priore perstiterunt exclamatione.

Quum autem sedasset scriba turbam, dixit: Viri Ephesij, Quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ deæ Dianæ, & à Ioue delapsi simulachri? Cum igitur his nemo contradicat, oportet vos sedatos esse, & nihil præcipitãter agere. Adduxistis enim homines istos neq; sacrilegos, neq; contumeliosos in deam vestram. Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, cõuentus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent inuicem. Si quid autem de rebus alijs quæritis, in legitima concione dirimetur. Nam periculum est, ne seditionis hodiernæ rei fiamus, cum nulla subsit causa, vnde poterimus reddere rationem concursus istius. Et quum hæc dixisset, dimisit concionem.

Dominus qui leonum commitigat ferociam & tumultuantes maris componit procellas, idem & ferocientem componit concionem, ne illa vel in multorum innoxiorum, vel Apostolorum ac Apostolicorum vergeret detrimentum. Facit autem illud opera scribæ Ephesij, boni, vt apparet, viri: quamuis sint qui scribam impetrasse credant silentium, porrò Alexandrum perorasse. Oratio autem qua ille siue scriba vrbis, siue Alexander Iudæus fuit vsus, elegans est, & ad persuadendum, imò sedandum tumultum aptissima. Nam principio quo citius tranquillaret multitudinem, Dianæ nomine insanientem, mox à cõmendatione pietatis Ephesiorum exorsus, indicat neminem esse qui ignoret Ephesios esse cultores magnæ Dianæ, & simulachri non cuiusuis, sed à Ioue delapsi. Quasi dicat, Quorsum verò pertinet hæc vociferatio, cum nemo neget Dianam esse magnam, aut simulachrum eius cœlitus esse delapsum? Duo aũt in primis obseruãda annotauit hoc loco Erasmus. Prius, Græcè legi νεωκόρον, vbi nos legimus cultricem. Illam autem vocem compositam esse ex νεὼς, quod Attice sonat templum, & κορῶ purgo siue verro, authoribus Hesychio Etymologico & Suida. Solere autem qui impensius deditæ sint alicui Diuæ, aram illius varijs ornamentorum generibus cohonestare, quemadmodum facit apud Apuleium Psyche. Posterius, διοπετοῦς non ad Dianam referri, sed ad ἄγαλμα, id est, statuam Dianæ quæ hic intelligatur. Διοπετὴς autem Græcis dici, quod à Ioue delapsum sit ac è cœlo venerit. Opifices enim simulachrorum, quo maior esset superstitio vulgi, finxisse ea cœlitus esse delapsa. Cuius generis infinita confinxit mendax monachorum colluuies, quibusdam etiam in monumenta relatis. Numa idem de Ancylibus persuasit Romanis. His autem ad hunc modum præmissis mox ipsum orationis suæ statum, & quid ab eis impetratum cupiat, subiungit, & ait: Cum his igitur nemo contradicat, oportet vos sedatos esse, & nihil præcipitanter agere. Rursus ne ob captiuos tumultuarentur, purgat eos, ac dicit, Nec est quod propter istos (ceu iusta ex caussa) concurratis, vt de ipsis tanquam deæ contemptoribus sumatis pœnam. Neq; enim sacrilegi neq; blasphemi sunt aduersus Dianæ numen. Est autem sacrilegium furtum rerum dijs consecratarum. Et quanquam nihil sacrilegij admisissent Apostoli, nisi forsan dixeris sacrilegium, quod Diuis docerent nihil prorsus esse dedicandum aut offerendum, tamen à blasphemia (vt interim blasphemiam vocemus) in fictos Gentium deos non erant alieni: dicuntur ergo hæc ad sedandum furientis populi turbam. Hodie nihil perinde impingitur Euangelij studiosis ac illud quod blasphemi sint in Diuos, & sacrilegi in Diuorũ ædes seu peculatores facultatum Ecclesiasticarum. Cum reuera hi non sint sacrilegi, quæ tradunt simulachra, quæ oculos habent & non vident, nares & non odorant, ora & non comedunt, membra & non frigent, minimè honoranda esse vel lumine, vel thure, cibo, veste aut alio quopiam munere, quin potius viuis Dei simulachris pauperibus talia esse offerẽda. Illi ergo digniores sunt hoc cognomine, qui Ecclesiasticis opibus ad luxum abutuntur, & pauperes interim inedia perire sinunt. Sed de hac re aliâs. Hinc verò tacitè carpit Demetrium & reliquos conspirationis socios, quod rem quam sine tumultu coram iudicibus agi oportuisset tam seditiosè & præcipitanter egerint. Hoc autem agit dum suadet petendos esse forenses conuentus, & ad Proconsules prouocandum. Id quod & honesti speciem habet. Postremo deterret etiam ab instituto, tandem ceu epilogo colligens, Cum ergo nulla causa iusta sit, ob quam tam furiosè concurratis, profectò periculum est, omnes nos hodie, si sic furere perrexerimus, seditionis reos fieri, & iccirco dignos quoq; qui secundum leges puniamur ab Imperatore. Hac oratione adeo furientis populi animos flexit atque sedauit, vt quisq; eo vnde venerat rediret, delusa interim spe Demetrij. Hinc autem liquet quanta sit iustæ eloquentiæ laus, de qua Cicero egregia quædam conscripsit de Oratore libro 1. quæ & mirificè huc quadrant.

Sedatur seditio.

Sacrilegium et sacrilegi.

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER V.

PROOEMIVM.

HOC in libro explicabimus quartam illam Pauli peregrinationem, qua is Macedoniæ et Achaiæ ecclesias reuisit, iterumq́ in Asiam soluit, Troadem delatus, in qua Eutychũ qui inter concionandum è tertio ceciderat cœnaculo, restituit, postea verò aliquot vrbibus emensis Miletum venit, in qua mire eleganti ac pia, nec minus vtili oratione presbyteros Ephesiorum & circumiacentis agri instituit. A quibus tandem auulsus, & per varias mediterranei maris insulas Cæsaream delatus, postremò Ierosolymam deuenit. Hic porrò audiemus quomodo fratrum precibus euictus votum susceperit, templum ingressus, ibi à Iudæis, tumultu excitato, captus, & iamiam ab ipsis interficiendus, à Tribuno Lysia, è manibus eorum ereptus sit. Rursus quomodo permittente Lysia apologiam apud Iudæos frustrà pararit: deinde verò ad Ananiam productus vapularit, interim ipsis inter sese Pharisæis ac Sadducæis hostiliter digladiantibus. Audiemus præterea quomodo structas sibi insidias declinarit, & armata militum manu cinctus Antipatridaq́ deductus, tandem Cæsaream venerit ad præsidem Iudææ Felicem, coram quo & causam suam accusante ipsum Tertullo oratore graui, egerit, adeoq́ & euicerit, sed in gratiam Iudæorum nihilominus in vinculis sit dententus.

CAPVT XX.

POstquam autem cessauit tumultus vocatis ad se Paulus discipulis, complexusq́ illos profectus est, vt iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit in Græciam: & ibi peractis mensibus tribus, cum essent illi structæ insidiæ à Iudæis soluturo in Syriam, habebat in animo, vt reuerteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum vsq; ad Asiam, Sopater Berrhœensis, Thessalonicensium verò Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbeus, ac Timotheus: Asiani verò Tychicus & Trophimus. Hi cum præcessissent, expectarunt nos Troade: nos verò abnauigauimus post dies azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem intra dies quinque, vbi demorati sumus diebus septem.

VETVS translatio habet, Exhortatusque illos valedixit, nimirum quod maxima affinitas sit inter παρακαλεσάμενος & προσκαλεσάμενος. Hoc autem significat complexus est, illud verò exhortatus est. Vnum ergo in alterum mutari librariorum incuria potuit. Sanè vetus interpretatio probatur & Chrysostomo dicenti, Ab hoc tumultu multa consolatione opus erat. Hoc sanè & facit. Erasmus in Paraphrasi vtrunque exponens ait, Exhortatus est eos, vt constanter pergerent in his quæ cœpissent, & complexus illos, ac vale dicto profectus est, vt iret in Macedoniam. Neque in hac aliud agere, quàm fratres voluit confirmare. Idem & in Græcia, hoc est, Achaia fecit: verum insidias declinans in Macedoniam redit, vt inde soluat in Asiam. Quod autem Pauli comites non citra eximiam laudem nominatim recitantur, indicat quanta sit Euangelij gloria & quanta Pauli authoritas, cui tot eruditi ac pij viri adhæserint: quorum ille vicissim magnam habuit rationem, longa experientia edoctus, quantum bonum sit, doctum & pium reperisse, aut ad manum habere virum, quoties id Ecclesiarum postularit necessitas. Hi autem præcedentes procurarunt ea in Asia, quæ videbantur necessaria: expectantes Paulum vnà cum reliquis, in quorum numero & Lucas fuisse videtur, Troade, quò & non multis post diebus Paulus secundis deuenit ventis.

Plin. lib. 4. cap. 7.

Vno autem die sabbatorum cum conuenissent discipuli ad frangendum panem

panem Paulus differebat eis, profecturus postridie, protraxitque sermonem vsque in mediam noctem. Erant autem lucernæ multæ in cœnaculo, vbi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus in fenestra, quum degrauaretur somno profundo, disserente diu Paulo, magis depressus somno, decidit ex tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Cum descendisset autem Paulus incubuit super eum, & complexus dixit Nolite turbari, anima enim eius in ipso est. Cum ascendisset autem, fregissetque panem, ac degustasset, diu colloquutus vsque ad diluculum, ita demum profectus est. Adduxerunt autem puerum viuentem, & refocillati sint non mediocriter.

Obiter & in transcursu describit hoc in loco & disciplinam Ecclesiasticam, & miraculum quodpiam non vulgare. Ad disciplinam Ecclesiasticam pertinet, quod sabbatorum die conueniunt, quod prædicationem audiunt, & panem frangunt. Videntur autem hæc Dominica die esse gesta. & Vna sabbatorum (vt & in Euangelica historia & 1. Cor. 16.) positum esse pro prima. Video enim & Hieronymo aduersus Vigilantium placere, Vna die positum esse pro Dominica die. Per Fractionem autem panis aliud nihil intellexit, quàm ipsa (quod & Beda sentit) Christianorum mysteria, distributionem corporis & sanguinis Christi mystici, quæ distributio sine oratione & diuini verbi prædicatione esse nõ potest. Siquidem Dominus instituit, vt frangentes panem, in memoriam mortis suæ frangamus. Et Paulus, Quotiescunque (ait) comederitis de hoc pane & poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis. Verbo itaque docenda est mors & redemptio Christi, qua & excitetur gratiarum actio, peccatorum agnitio, & fides in Christum. Nulla porrò mentio hic fit vllius aræ, cantus, Missæ, sed prædicationis & Eucharistiæ. Sed de hac re dictum est in cap. Actorum 2. Quanquam hic locus superiorem confirmet, quod tanto iam elapso tempore detritoq; in Euangelica prædicatione Paulus nihil noui assuit ritui veteri. Videbat enim id longè absolutissimum esse quod ipsa Dei sapientia Christus discipulis suis tradiderat. Atque vtinam & hodie sacrosanctum illud Christianorum mysterium, auctionibus & additamentis non ita locupletassent quidam, imò deprauassent Non piguit Paulum prædicationi totam insumere noctem: at isti infinitas etiam suarum Missarum myriades celebrantes, ne semel quidem mysteria Christi vera & Euangelica prædicatione rudi populo exponunt. Tota ergo religio ipsumque sacrum mysterium apud illos ad circulatoriam, gesticulationesque corporis, ac ceremonias inanes, denique ad infrugiferam conceptorum verborum recitationem redactam, nihil commodi adfert spectatoribus, nisi quis ornatu, quo apud istos omnia admirabilia sunt, afficiatur. Illud quoque annotandum Fractionem panis & verbi Dei prædicationem nec loco nec tempore alligatam esse. Hoc enim noctu fecit Paulus, quod nos die solemus. Præterea nõ in templo, sed in cœnaculo domus forte oblatæ, Christũ suis & prædicauit & dedit. Hoc non dixerim quod putem morem nostrum malum esse, sed vt indicem liberum esse Ecclesijs, de tempore & loco decernere. Id quod ipse etiam Augustinus in Epistola ad Ianuarium, quæ ordine 118. est, liberum esse voluit. Porrò nemo audiens hic lucernarum mentionem fieri arbitrabitur istas religionis gratia fuisse accensas. Nam ipse quoque Hieronymus Vigilantio respondens, negat cereos alia caussa accendi in Ecclesijs, quàm ad solatium nocturnæ caliginis. Et Lactantius libro Institut. de Vero cultu 6. cap. 1. Num igitur (inquit) mentis suæ compos putandus est, qui authori & datori luminis candelarum ac cerearum lumen offert pro munere? Aliud verò exigit à nobis lumen, & quidem non fumidum, sed (vt ait poeta) liquidum atque clarum, mentis scilicet. Et quæ sequuntur. Cæterum ad miraculum pertinet restitutio Eutychis, quem Latine vocare posses Fortunatum, in quo nonnulla nobis traditur socordiæ increpatio ac pœna. Beda, Inter verba (inquit) prædicationis occurrit occasio sanationis, vt dulcedine miraculi, & doctrinæ sermo firmetur, & vigiliarum labor arceatur, & memoria magistri iam discessuri penitius infigatur. Vbi ergo ille decidisset, accursum est (vt fit) à cæteris, sed repertus est mortuus, ac sublatus in domum. Id vbi cognouit Paulus, descendit, & nihil arrogantius iactans, sed cum humilitate accedens, ad Heliæ Prophetæ exemplum, incuruato corpore incubuit super eum, veluti complexu suo fouens exanimem. Atque hic diuina virtute restitutus sibi Fortunatus, respirare cœpit. Quare mœrentes consolatus Apostolus, rursus ascendit cœnaculum, ac tum primum distribuit sacrosanctum symbolum, ipseque sumpsit cum cæteris. Deinde verò interruptum redintegrans sermonem, hunc vsq; ad diluculum protraxit: ita demum profectus est. Pudeat ergo nos nostræ inertiæ, qui ne in die quidem verbum Domini audimus, imò si aliquoties audire contingat, vix horã aut dimidiatã patienter audimus. Omnis mora in concionibus nobis

Dominica dies

Fractio panis.

De lucernis in æde sacra.

Socordiæ increpatio.

Sermo salutis non debebat esse occasio mortis.

molestissima, at in conuiuijs aut spectaculis ludicris nulla satis longa est. Nemo in his dormit, nemo frigus aut æstum caussatur vt in concionibus sacris. Adeo increuit malitia nostra.

Nos autem conscensa naui soluimus Asson, inde excepturi Paulum. Sic enim ordinauerat ipse per terram iter facturus. Cum autem conuenissemus Assen, recepto eo venimus in Mitylenen. Et inde nauigantes, sequenti die venimus contra Chium. Postridie verò appulimus Samum, & commorati Trogillij proximo die venimus in Miletum: proposuerat enim Paulus præternauigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia. Festinabat enim, si posibile sibi esset, vt diem Pentecostes ageret Hierosolymis.

Labor Pauli. Nullibi comperias Paulum fuisse delicatulum: ergo hoc loco pedes iter instituit, prorsus episcopis nostris dissimilis, qui nisi equis selectissimis aut vehiculis Persico luxu instructis vehantur maiestatem prælaticā violari atq; dehonestari credūt. Reliqua petantur ex Epitome. Porrò Hierosolmam propterea contendebat ad Pentecostes peruenire diem, quod tunc, ex more, frequentior esset ex omnibus Iudææ partibus concio. At qui priusquam solueret, Asiaticis episcopis Ecclesias ita cōmendare voluit, vt omnes posteri in hoc exemplum ac institutionem haberent, quid sequi deceat. Lucas ergo rem nobilissimam mira describit diligentia.

A Mileto autem missis Ephesum nuntijs, accersiuit presbyteros Ecclesiæ: qui cum peruenissent ad ipsum, dixit eis: Vos scitis à primo die quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate: cumq; multis lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum, vt nihil suffugerim eorum quæ essent in rem vestram, quin annuntiarem vobis, & docerem vos publicè ac per singulos domos, testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga Deum est, pœnitentiam ac fidem, quæ est erga Dominum nostrum Iesum.

Episcoporum institutio. Oratio ergo Pauli quam hoc loco descripsit Lucas, supra modum elegans est nec minus vtilis, in primis (vt diximus) ijs, qui præfecti Ecclesijs satis periculosum sustinent prouinciam, qui si sapiunt & sibi consultum volunt hanc Pauli orationem noctes atq; dies animo voluent. Cæterum expositoria est, plurimum vbique habens exhortationis & consilij immixtum. Huc tamen referuntur omnia, vt in sana veritatis doctrina permaneant, hanc Ecclesijs fideliter dispensent, labores non horreant, sua non quærant, & ab hæreticis caueant, sed & omni parte bene aduigilent. Vbiq; autē (pro more suo) immiscet caussas, & stimulos, vt persuadeant. Tota verò paternum quendam & amore maximaque cura flagrantem resipit animum. Quemadmodum ergo diximus, tota hac oratione sua Paulus aliud non docet, quàm quales esse debeant episcopi, hoc est, ministri Euangelij, quibus animarum salus credita est. Cuius rei vt exemplum habeant, seipsum imitandum proponit. Res itaque suas breui enumeratione exponit, vt quid ipsos deceret in promptu haberent, quos succèssores in labore verbi Dei relinquebat. Principio autem citra omne lenimen aut exordij blanditias auspicans ab ipsa re, coram illis, quibus veritas charior esse debebat, quàm vt pluribus essent oratione instructa permouendi, dicit, Non est necesse, fratres, vt multis fidelitatem Asiaticis Ecclesijs in ministerio verbi exhibitam vobis commendem. Ipsi enim nostis quomodo seruierim Domino, quid passus sim, & quanta diligentia & sedulitate egerim omnia. Seruiui enim illi μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης cum omni *Modestia Pauli.* inquam animi modestia, nihil altius de me sentiens, sed ad exemplum præceptoris Christi humilis & omnibus inseruiens, multa etiam ab aduersarijs verbi patiens, quorum tamen duritia plures excussit lachrymas, quàm execrationes. Et quanquam multorum vrgerent insidiæ, nihil tamen veritatis subtraxi vobis, aut territus afflictionibus, quicquam vel periculi vel laboris detrectaui, sed quæcunque ad salutem videbantur necessaria priuatim & publicè tradidi, vtcunque se ferebat occasio. Iam verò *Summa Euangelij.* vt summam quoque Euangelicæ prædicationis collectam attexeret, subdit, Testificans Iudęis simul ac Græcis eam quæ ad Deum est pœnitentiam siue reuersionem, & fidem quæ est in Dominum Iesum. Duo ergo sunt quæ Euangelio traduntur, Pœnitentia, quæ animi & vitæ est resipiscentia: & Fides, quæ est firma in Christum Iesum mortuum & exuscitatum fiducia. Quæ quidem non Iudæis modò, sed omnibus Gentibus prædicanda sunt. Sed de istis omnibus copiosius dictum in epistola ad Romanos.

Romanos. Loci autem qui hinc colliguntur hi sunt. Quod Apostoli omnem nobis veritatem exposuerunt. Quod nihil aliud quàm vitæ innocentiam & fidem docuerunt. Quod qui piè in Christo viuere volunt persequutionem patiantur. Nihil veri à viro pio ac forti mortis metu detrectari. Humilitatem animi Deo placere, 1. Pet. 5.

Et nunc ecce ego alligatus spiritu, proficiscor Hierosolymam, quæ in ea obuentura sint mihi ignorans, nisi quod spiritus sanctus per singulas ciuitates testificatur dicens, quod vincula & afflictiones me manent. Verum nihil me mouet: neq; vita mea chara est mihi ipsi, vt consummem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à domino Iesu ad testificandum euangelium gratiæ Dei.

Quorsum verò hæc tam altè repetita pertinent? Huc nimirũ, quod iam discessurus sum, amplius non rediturus. Volui ergo prius commendare vobis Ecclesias. Cæterum alligatum se dicit spiritu, qui ductu spiritus voluntati Domini obtemperabat, atque volens hunc monitorem ductoremque sequebatur. Idem spiritus per ora sanctorum hominum in singulis vrbibus, per quas proficiscebantur, palàm testabatur Paulum Hierosolymis in vincula esse conijciendum. Iam verò ne nimium tristarentur consolationis vice subiungit, Nihil autem curo vincula, aut ipsam etiam mortem. Nam ipsa vita mea temporalis, non est mihi charior Christo ac veritate, in quo æternum viuam, si in finem vsque non deero functioni mihi impositæ. Neque verò aliud mihi cordi est, quàm vt fideliter exequar munus mihi impositum, vt gratiam inquam Dei per Christum orbi exhibitam summa propagem sedulitate & animi promptitudine. Hæc obsecro legant Episcopi, qui metu mortis adeo pauent, vt ab omni prorsus veritate resiliant. Mors equidem amara est, & carni plus quàm dici possit horribilis, sed confortanda mens cœlestibus bonis, quæ procul dubio consequuntur qui terrestria contempserint. Si vel moriendo fuerit, vel prodenda veritas ac viuendum, mortem potius quàm vitam eligere debes. Nam salus tua tibi vita charior erit, si sapis. Itaque & Paulo ministerium suum vita sua sibi erat charius. Malebat hanc periclitari, quàm illud non exequi strenue. Obserua autem admirabile Dei consilium, quò fit, vt Apostolus qui hactenus toties fugerat, & discipulorum precibus obtemperans sese subduxerat, nunc omnium preces surda aure transeat, & virtute Dei intus rapiente, ad supplicij locum properet. Id ceu per nebulam viderat, qui dixit, Fata volentem ducunt, nolentem trahunt. *Metus mortis.*

Et nunc ecce ego scio, quod posthac non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui, prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierno die, quod mundus ego sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annunciarim omne consilium Dei vobis.

Redit & absoluit quod prius cœperat, nam hic demum absoluitur sensus, qui hactenus suspensus fuit. Hoc autem dicit, tam altè petito principio iccirco vsus sum, quod Spiritus sancti instinctu certo edoctus noui quod faciem meam, id est, meipsum, posthac amplius non sitis visuri. Volui ergo istis protestari prius, quod quicquid ad veram absolutamq; pertinet pietatem plenè tradiderim, vt nunc omni culpa caream si quis vestrũ aliud doctrinæ genus sequens perit: sua enim culpa, non mea perit. Ego enim ab omnium sanguine purus sum. Vsurpauit autem Sanguinem sicuti in 18. cap. audiuimus, sed & allusit ad 3. cap. Ezech. Prophetæ. Miror autem quid ad hæc vsq; adeo aperta respondere possint, qui garriunt Apostolos non omnia omnibus tradidisse: iccirco multa plurimos post annos à Consilijs & patribus esse adiecta, quæ & ipsa sint ad salutem necessaria: quæ tamen si ijs conferantur quæ Apostolorum literis & gestis prodita sunt, ex diametro, vt aiunt, dissident. *Omnia tradiderunt Apostoli.*

Attendite igitur vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Postquam ergo exposuisset, quod posthac ipsum nõ essent visuri amplius, & quod omnia ea tradidisset, quæ ad salutem consequendam pertinerent, nunc nudato pectore & verbis apertissimis hortatur, vt in suscepta & confessa veritate ipsi persistant, & in hoc toti sint aduigilentque vt in eadem & ipsorum perseuerent Ecclesiæ. Primum enim est, vt quisque sibijpsi persuaserit quod alijs persuasum cupit. Porrò fideles gregis cognominat vocabulo, idque per allegoriam ex Prophetis & verbis *Episcoporum officium.*

Domini petitam. Notissima enim sunt quæ Ezechiel de hac re scripsit cap.34.& quæ ipse Dominus apud Ioannem dixit in capite 10. atque 21. Plurima autem simul miscet, quæ ad vigilantiam ipsos excitent. Huius generis est, quod dicit, Attendite gregi, cui præfecit vos spiritus sanctus, ipse inquam Deus. Quasi dicat. Maximus & potentissimus, imò & oculatissimus est princeps, cui seruitis, accuratius ergo seruite, memores eius cuius serui estis. His palàm iungit nomen rei, dicens, In quo vos posuit Episcopos. Nunc enim Episcopos vocat quos paulò ante vocarat presbyteros. Est autem ἐπίσκοπος, id est, Episcopus, speculator & obseruator & custos & præfectus. Cicero enim ad Atticum libro 7. Vult enim me (ait) Pompeius esse quē tota hæc Campania & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus & negotij summa referatur. Athenienses quos ad stipendiarias subditasque ciuitates mitterent, vt quid in quaque ageretur diligenter inspicerent obseruarentque, Episcopos dixere & φύλακας. Præfectus annonæ iureconsultus Archadius Episcopos nominauit. Sunt qui ἐπὶ in eo nomine redundare arbitrentur, de quorum numero est Eustathius Homeri interpres, & σκοπὸν, & ἐπίσκοπον idem esse: at reuera deriuatur ab ἐπισκοπέω considero, vel ἐπισκέπτομαι visitare. Inde iam est Episcopus, οὓς οἱ λάκωνες (vt ait Suidas) ἁρμοστὰς λέγουσι, id est, quos Lacones vocant Armostas. Ad expositionem quoque huius pertinet quod sequitur in Luca, ποιμαίνειν, quod plerique verterunt regere siue ad regendum Ecclesiam Dei: verum id verbi superciliosius est quā quod huc pertineat, maximè nostris temporibus, in quibus Episcopi nostri Episcopatum aliud non esse putant, quàm dominandi libidinem. ποιμαίνειν ergo est pastorum more gubernare & curare, siue pascere, id est, verbo veritatis reficere. Sumpta Metaphora à pastoribus, idque ad præscriptum (vt diximus) Prophetarum & verborum Christi, quæ postea Petrus clarius expressit in priore sua Epistola cap.5. Quin hic quoque adijcitur, Ad pascendum Ecclesiam Dei. Iam ergo Ecclesiam vocat, quam superius gregis nomine adumbrarat, Ecclesiam autem Dei. Ecclesia enim Dei est, nō hominis pastoris. Pastor alienarum ouium pastor est, non suarum. Oues Dei sunt, cuius ille (ni mercenarius & prædo sit) imperijs subest, & Ecclesiæ minister, non dominus est, qui pabulo verbi Domini gregem reficere debet. Dominus enim Iesus pro Ecclesia mortuus est, & hanc proprio sanguine purgauit, ipsamque sibi in coniugem copulauit, vt ipse in Ephesijs quinto capite docuit. Non est igitur committendum, vt merx tam care empta Deo, pastorum pereat negligentia. Hæc porrò Episcopis Pontificijs ita laruam detrahunt, vt nisi iam olim illorum animi in superstitione, mendacio, auaritia & luxu obriguissent, sortis suæ plus quàm pigeret puderetque.

Episcopi nomenclatura. *Congrue gubernantes.* *VOS AUTEM NON SIC.*

Ego enim noui hoc, quòd ingressuri sint post discessum meum lupi graues in vos non parcentes gregi. Et ex vobisipsis exorientur viri, loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se, propter quod vigilate, memores quod per triennium nocte ac die non cessauerim cum lachrymis monere vnumquenque.

Caussam subiungit, cur tam anxie hortetur ad vigilantiam, quod scilicet certo norit impostores plurimos fore exorituros. Imò quo magis istorum, imò omnium nostrū mentes excitet, periculum ipsum maximè auget, & Metaphora ex verbis Christi petita, extollit, dum istos lupos appellitat, nec quosuis, sed graues, id est, rapaces, quos Germani vocamus, wärwölff. Christus enim Matt. 7. Attendite (inquit) vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in pellibus ouillis, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Lupis autem peculiaris est voracitas. Notat ergo scriptura inexplebilem pseudoprophetarum ingluuiem & auaritiam, vtpote quibus ipse Dominus Iesus & vita æterna (huius enim se venditores iactitant) obolo venalis sit. Imò ne quis allegoriam minus intelligeret, eius expositionem subiungit & ait, Ex vobis ipsis, id est, ex ijs qui se Christi discipulos & Ecclesiæ membra iactant, exorientur viri (ecce hi sunt isti lupi) docentes διεστραμμένα, id est, distorta & obliqua, hoc est minimè simplicia minimeque syncera. Talia enim sunt hæreticorum dogmata, vt si scripturis conferantur, aut dissideant ex diametro, aut à simplicitate plurimum varient, & ad humanas affectiones inclinent, adeoq; & lectorum conscientias intricent. Iccirco autem in pura simplicitate Euangelica nō persistunt, quod aut sua quærunt, aut alij videri volunt, quàm sint. Propterea enim discipulos post se abducunt, vt apud hos sint in pretio. Pulchrè ergo D. Augustinus cap.1. ad Honoratum de Vtilitate credendi, Hæreticus est (inquit) mea sententia, qui alicuius temporalis commodi & maximè gloriæ principatusq; sui gratia falsas ac nouas opiniones vel gignit vel sequitur. Ad quæ omnia si ad[...]beas atq; probes qui nam ex ijs qui hodie dicuntur hæretici, hæretici sint, comperies opinor minus hæreticos esse qui dicuntur. Consulantur præterea loci de pseudoprophetis apud Isaiam in 56. cap. apud Ieremiam in 23. apud Ezechielem verò in 13. apud Micheam quoq; in 3. item apud Paulum ad Rom. 16. ad Philip.3. in 1. Timoth.4. & in 2. ad Timoth.3. & 4. cap. item apud Petrum in 2. cap. & 3. Postremò illatio-

Aduersus pseudoprophetas. *1. Ioan. 2.* *Hæreticus quis*

mò illationem infert. Proinde vigilate:iterum addens ſtimulum, Memores quod triennio iam hoc ipſum noctes atque dies,nec citra lachrymas ſubinde ingeſſerim, nec in genere tantum, ſed ſingulis quoq; peculiariter inculcarim. Vigilate ergo fratres,vigilate inquam:quo enim plus periculi imminet,hoc attentius vigilate.Quid obſecro dici vel ſcribi potuit ardentius? Vtinam autem ſta in pectore paſtorum tam ardeant, quàm vehementer in auribus ſonant. Atqui rationem aliquando reddemus,ô fratres,paſtorum principi Chriſto. Væ autem nobis ſi illos noſtra inertia aut puſillanimitate perdiderimus,pro quibus Chriſtus fuerat mortuus. Vigilemus ergo,ô fratres,& cum timeamus qui & corpus & animam præcipitat in tartara.

Et nunc commendo vos fratres Deo,& ſermoni gratiæ ipſius,qui potēs eſt ſuperſtruere & dare vobis hæreditatem inter ſanctificatos omnes.

Iam verò dolorem illum in quem de periculis diſſerens,coniecerat,commitigans addit, Cæterum non eſt quod timeatis vos in hac pugna ſuccubituros; Deus enim potens & miſericors eſt, qui Eccleſiam non deſtituet,neq; miniſtris verbi ſui deerit. Commendo igitur vos Deo, vtpote ei,qui fundamento Chriſto poterit ſuperſtruere firmum & elegans Eccleſiæ ædificium: præterea cōmendo vos ſermoni,qui eſt de gratia per Chriſtū collata orbi,è quo ſi quid deerit,petatis. Lucerna enim pedibus noſtris verbum eius & lumen ſemitis noſtris.Duo itaq; ſunt quæ in hac lucta certantes contra hæreticorum diaboli & mundi incurſiones ſolantur, Potentia ac præſentia Dei,& verbum veritatis.Age ergo,ô fratres, fidamus omnipotenti Deo,inuocemus illius auxilium, innitamur verbo eius, & procul dubio vincemus. Porro niſi domum aſſeruet Dominus, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.

Arma paſtoralia gratia & verbum Dei. 1.Cor.3. Eph.2.

Argentum & aurum,aut veſtem nullius concupiui, imò ipſi ſcitis, quod neceſsitatibus meis,& his qui mecum ſunt ſuppeditauerunt manus hæ. Omnia oſtendi vobis,quod ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos,ac meminiſſe verborum domini Ieſu,quoniam ipſe dixit;Beatū eſt dare potius quàm accipere.

Ex auaritia procerum Eccleſiæ maxima oriuntur mala,ſicuti in Iuda comprobatum eſt.Et auaritia,teſte Paulo,omnium malorum radix eſt. Hinc in calce huius orationis vt penitius figeret aculeum aduerſus auaritiam diſſerit, & quod alibi vno verbo dixit Epiſcopum turpis lucri non debere auidum eſſe, id hic mira copia miraq; euidentia explicat, iterum ſeſe exemplum proponens imitandum.Paria his prorſus legimus & de Samuele 1.Samuelis lib.cap.12.Tantum abeſt(inquit Paulus) vt à quoquam quicquam extorſerim, vt ne concupiuerim quidem vnquam vllius facultates: imò dum neceſſitas vrgeret,& ipſum Domini verbum dicens,Operarium dignum eſſe mercede ſua,non obſtaret, attamen manibus hiſce (δεικτικῶς) paraui mihi meiſque ſodalibus ea quæ erant neceſſaria: vt hoc ipſo vobis exemplum præberem, infirmos ſumptibus (ſi ſic ferat occaſio)grauandos non eſſe,ne illis occaſio detur deſciſcendi à fide. Monuit enim Eraſmus ἀντιλαμβάνεσθαι propriè eſſe porrecta manu retinere lapſurum alioqui aut abiturum. Iam vt omnia maiorem apud iſtos haberent authoritatem, ſententiam Domini Ieſu adijcit, Beatius eſt dare, quàm accipere, quæ tametſi conceptis verbis nullibi deſcripta legatur, tamen apud Lucam in capite decimoquarto eleganti de inuirandis parabola. beneficia ita conferri vult,vt omnis abſit melioris aut paria conſequendi ſpes. Apud eundem in 6.cap. Mutuum(inquit Chriſtus)date,nihil inde ſperantes.Sed ô Deum immortalem quantum abſunt noſtri præſides à Pauli innocentia. Hodie non niſi magnarum acceſſione opum æſtimantur Epiſcopatus,nec authoritas adeſt nec dignitas, niſi amplæ reſpondeant facultates,adeoque nec virtuti amplius nec eruditioni ſuus eſt honor, ſed fortunæ & pompæ mundanæ tribuuntur omnia:vnde & veriſſimum eſt quod vulgo dictum eſt, Religio peperit diuitias,& filia deuorauit matrem.Copioſiora autem de functione Epiſcoporum qui velit,legat vtranq; Pauli ad Timotheum, & vnam ad Titum Epiſtolas,hac de re potiſſimum conſcriptas. Hoc ſaltem adiecerim,Mendicantium monachorum ſectas,hac Chriſti ſententia,Beatius eſt dare,quàm accipere,prorſus eſſe ceu ſacro fulminis telo transfixas.

Aduerſus auaritiam & luxum epiſcoporum.

Monachi.

Et cum hęc dixiſſet,poſitis genibus ſuis,orauit cū omnibus illis.Magnus autē fletus coortus eſt omnium: & ruentes in collum Pauli,oſculabantur eum dolentes:maxime ob ſermonem quem dixerat,quod amplius faciem eius non eſſent viſuri.Et deducebant eum ad nauem.

Nihil citra orationis præſidium cœpit aut peregit Paulus vnquam. Siquidem ſine Dei auxilio *Preces Pauli.*

nihil possumus. Cæterum is orari vult. Proinde vbique nobis commendatur sanctorum oratio, vt discamus etiam nos indefessis perpetuisque inuigilare precibus. Quod autem præterea narratur de Christianorum dolore ex interitu Pauli concepto, de lachrymis, osculis & conductu, humanitatem nobis commendant, quam nisi quis fratribus præstiterit, haudquaquam Christiano nomine dignus erit. Illi sanctissimum Apostolum, oculis etiam quoad licuit prosequuti sunt nauigantem. Sic inquam in hisce agentes terris auellimur tandem à charissimis quoque. Nulla ergo certa infallibilis & æterna post Deum in orbe restat spes. Ab hoc vno in æternum si vel semel illi arctius hæserimus non separabimur.

CAPVT XXI.

CVm autem factum esset, vt soluissemus, auulsi ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram. Et nacti nauem, quæ traijceret in Phœnicen, ea conscensa soluimus. Cum autem cœpisset nobis apparere Cyprus, relicta ea ad sinistram nauigauimus in Syriã, ac venimus Tyrum: nam huc nauis exponebat onus. Repertisq́ꝫ discipulis, mansimus ibidem diebus septem. Qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascẽderet Hierosolymam. Et expletis diebus, profecti ibamus deducentibus nos omnibus vnà cum vxoribus & filijs, donec exissemus ciuitatem, & positis genibus in littore precati sumus. Et consalutatis nobis inuicem, conscẽdimus nauim: illi autem redierunt ad sua.

Dulcißimus fidelium affectus erga doctorẽ.

CETERVM remittimus ad Epitomẽ, vt ex ea petas, quæ Chorographiæ sunt. Beda hóc in loco annotauit, nullam vnquam ciuitatem maiori dulcedine Apostolum suscepisse, tenuisse, dimisisse, quàm Tyrum. Denique hodie etiam (ait) monstratur in arena locus vbi pariter orauerint. Equidem indicauit locus hic quàm viuax dictionis spiritus in crescentis Ecclesiæ fratribus sororibusq; fuerit, quantumq; per omnia officij & synceritatis. Nos qui hodie non minus Domini Apostolos Paulum & reliquos, viua vtique ipsorum scripta atque colloquia habemus, prorsus frigidè erga tantum afficimur thesaurum, propterea quod parum Christiani amoris rerumque honestarum studio flagramus. Porrò D. Ioannes Chrysostomus, dies quorum hic subinde fit mentio, computans, sic scribit, Post Azyma in Troadem venerunt diebus quinque, deinde ibi fuerunt dies septem, & habes dies duodecim: deinde in Assum in Mitylenen, contra Chium in Trogyllium, in Samum, in Miletum, & erunt decem & octo dies: postea in Choum, in Rhodum, in Pateram, en viginti & vnum dies: deinde illinc per dies quinque in Tyrum, vt sint dies viginti sex: mox illic morantur dies septem, colliguntur que triginta & tres dies: postea in Ptolomaidem vno die pertingunt, & fiunt triginta & quatuor dies: deinde Cæsareæ manet pluribus alijs diebus, & tunc abit Hierosolymam, & sic complentur dies Pentecostes & ibi illa facit, sicuti illam superius in 20. cap. facere instituerat. Hæc propter curiosulos annotauimus, ne credant dierum numerum frustra esse à Luca recensitum.

Dierum computatio.

Nos verò nauigatione explicita à Tyro, descendimus Ptolemaidam: & salutatis fratribus, mansimus diem vnum cum illis. Postridie verò nos qui eramus cum Paulo, venimus Cæsaream. Et ingressi domum Philippi euangelistæ, qui erat vnus è septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.

Sancti episcopi exemplum.

Vbiq; charitatis officia exhibent fratribus atq; mutuo suscipiunt. Nam Dominus in Euangelio dixerat, In hoc cognoscent vos quod mei sitis discipuli, si charitatem inter vos mutuam habueritis. Porrò Philippus hic idem ille est, cuius mentio facta est in huius operis Cap. 8. atque 6. Hic domicilium apud Cæsarienses habuit, nimirum Ecclesiastes eius Ecclesiæ. Quod ergo de episcopis scripserat Paulus in 1. ad Timoth. 3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris maritum, modestum, hospitalem, alienũ ab auaritia, qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat in subiectione cum omni reuerentia: id totum in hoc Philippo ceu viuo exemplari videmus. Nam irreprehensibilis est

bilis est, hospitalis est: excipit enim Paulum cum illo nobili & satis numeroso sodalitio: vnde ipsum & ædes & opes possedisse verisimile est: item filias habet prophetantes, liberos inquam probè institutos. Non autem intelligimus istas prophetasse, id est, docuisse, id enim Pauli, imo Domini præcepto vetitum est, vt liquet 1. Corinth. 14. & 1. Timoth. 2. Prophetissæ ergo dicuntur, quæ prophetiæ, id est, verbo Domini prorsus deditæ se in vera pietate exercuerint. Ita & Anna filia Phanuel apud Lucam prophetissa dicitur, Ein Gottsförchtig weyb/das dem wort Gottes flyssig anhienge. Quin & in 1. ad Corin. 11. cap. palàm prophetandi verbo vtitur Paulus pro prophetiam audiendi. Cæterũ in filiarum mentione, nimirum illud inclusum est, quod Philippus vnius fuerit vxoris maritus. Possunt ergo ministri verbi vnius vxoris esse mariti. Scortationis ergo patroni sunt Pontificij, cum presbyteris coniugio interdicunt, interim verò ad scortationem eorum longe impudentissimam conniuent. Quod autem dicunt apostolos repudiasse aut reliquisse vxores posteaquàm verbi Dei ministri facti sint, palàm mentiuntur. Id autem probamus hisce Pauli verbis, quæ leguntur in 1. ad Corinth. 9. cap. An non habemus potestatem ἀδελφὴν γυναῖκα, id est Christianam coniugẽ circumducendi, quemadmodum & cæteri apostoli, & fratres domini, & Cephas? Item, Propter scortationem vitandam ἕκαστος τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, quisq; suam sibi vxorem habeat. Item, Melius est nubere quàm vri. Item oportet episcopum vnius vxoris esse maritum. Aut si illos humana plus mouent, audiat vetustissimum illum Clementem apud Eusebium Ecclesiast. hist. lib. 3. cap. 31. aduersus eos qui nuptias spernunt, inter cætera ita scribentẽ, An verò & apostolos improbãt? Petrus etenim ac Philippus, & vxores habuerunt, & filias etiam nuptũ viris dederunt: sed & Paulum non tædet Apostolũ in quadã epistola sua (ad Phil. 4.) mentionem vel salutationem facere comparis suæ, quam se ideo negat circumducere, vt ad prædicationem Euangelij expeditior sit. Hic Clemens vixit sub Commodo Imperatore, anno Domini C X C V I I. Porrò si obijciant illi, nuptias quidem presbyteris in primitiua Ecclesia licitas fuisse, aliud autem interim Patribus & Consilijs visum atq; decretum esse: suam produnt stultitiam, imò impietatem. Paulus enim in 2. ad Corinth. 10. capite non aliam sibi sumit potestatem in Ecclesia, quàm quæ ad ædificationem data sit, & non ad destructionem. Idem in 1. ad Corinth. 7. nemini hac in re laqueum vult inijcere. Cur ergo id isti audent, aut cur istis licuit, quod Apostolis non licuit? An verò illi sanctiores sunt Apostolis? An nostrum seculum primitiua Ecclesia purius est? An verò coniugium quicquam impuritatis habet? Vide amice Lector, quò bestiæ istæ ferantur. Paulus palàm dixit, Honorabile est coniugium apud omnes, & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Illi verò coniugium prohibent, & ad scortationem conniuent. Ex instinctu ergo satanæ (id quod & Paulus clarissimis verbis in 1. ad Timotheum quarto capite edicit) profecta est lex contra coniugium ministrorum verbi lata. Quod si quid post legem Dei valere debet Consiliorum aut Patrum authoritas, nos pro nostra parte solidiora, clariora & firmiora habemus testimonia, nempe, vt reliqua omnia transeam, Nicenæ Synodi canonem. De hac Sozomenus apud Epiphanium in Tripartita historia libro 2. cap. 14. in hanc scripsit sententiam. Synodus autem corrigere volens hominum vitam, & in ecclesijs commorantium posuit leges, quas Canones appellamus, in quorũ tractatu videbatur aliquibus introducere legem, vt episcopi, & presbyteri, & diaconi, & subdiaconi, cum coniugibus quas ante consecrationem duxerant, non dormirent: surgens autem in medio Paphnutius confessor contradixit, honorabiles confessus nuptias: & castitatem esse dicens concubitũ cum propria coniuge: suasitq; Consilio, ne talem ponerent legem, grauem asserens esse caussam, quæ aut ipsis aut eorum iugalibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit, Synodusque laudauit sententiam eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vniuscuiusq; voluntate, non in necessitate dimisit. Hæc hactenus.

Prophetantes Philippi filiæ.

Coniugium sacerdotum.

Vetustissimi verba [illegible] fratres & sorores [illegible] Christianos nominari

Ecclesiastica potestas.

Heb. 13.

Canon Synodi Nicenæ de coniugio sacerdotum.

Et cum permaneremus dies complures, aduenit quidam à Iudæa propheta, nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit cingulum Pauli, & alligans sibi pedes ac manus, dixit: Hæc dixit spiritus sanctus: Virum cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymæ Iudæi, tradentq; in manus gentium. Cum autem audissemus hæc, rogabamus & nos, & cęteri qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. Tunc respondit Paulus, ac dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego verò non solum vinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis pro nomine domini Iesu.

Dominus suis tormenta & crucem prænuntiat, non vt terreat, sed vt confirmet, atque aduersus imminentia pericula præparet. Hoc consilio & hac caussa venit Agabus ille, qui superioribus annis & Antiochiæ famem prædixerat venturam, atque vaticinatur Paulum Hierosolymis in vincula fo-

Cur dominus pericula præ nuntiet.

re conijciendum à Iudæis quidem,sed à Romanis variè diucxandum.Idque non verbis tantùm,sed ex veterum Prophetarum more, eandem rem visibili quoque symbolo statuit ob oculos,cingulo videlicet Pauli sibijpsi pedes atque manus vinciens, & mixta hac χρείᾳ significat Paulum fore capiendum. Huius generis plura inuenias apud Ieremiam, qui iam catena,mox amphora, iugo nonnunquam in medium prolato,significabat impios breui fore vastandos,atque sub iugum mittendos.Cæterum fideles & ipsi commiserationis & amoris affectu erga tantum doctorem veritatis ebrij,dehortabantur, non secus atque Petrus olim non mala mente à cruce dehortabatur Christum. Quocirca Paulus exponens ipsis Domini consilium & fatum immutabile,dicit,Plus me excruciant vestræ lachrymæ,quàm ipsum quod impendet periculum.Oro inanibus lachrymis cor meum affligere desinite.Stat animo semel Hierosolymã petere. Hoc etenim ipse poscit Dei spiritus,qui nouit quid hisce meis vinculis velit,nimirum quàm latissimè Euangelij gloriam propagare.Non ergo horreo vincula, qui lucrum æstimo esse pro nomine Christi mortem fortiter oppetere. Vinciatur ergo Paulus, imò occidatur,modo quàm latissimè propagetur gloria nominis Iesu.Hæc obsecro præfigant sibi Episcopi, qui periculorum metu familiariumque lachrymis euicti, multa detrectant, quæ ad gloriam nominis Dei facere videbantur, & discant Dei gloriam,posthabitis amicis ac necessarijs,vita deniq; ipsa contempta, & charissimis quibusuis neglectis, intrepida mente alacriq; vultu,per ignem & per enses,fortiter promouere. Aderit autem Deus fideliter laborantibus.

Constantia Episcopi.

Cum verò illi non persuaderetur,acquicuimus dicentes: Domini voluntas fiat.

Hæc vox verè Christianorum est. Oportet enim post conflictationem illam,quæ consilijs carnis aduersus consilium spiritus esse solet,reiectis illis,hoc sequi,& voluntati Dei captiuam carnis infirmitatem subijcere: quemadmodum & Christum fecisse videmus,qui dixit, Verum non mea,sed tua voluntas fiat.

Post dies autem istos sublatis sarcinis,conscendebamus Hierosolymam. Venerunt autem vnà quidam ex discipulis à Cæsarea nobiscum, adducentes secum,apud quem hospitaremur Mnasonem quendam Cyprium,antiquum discipulum. Et cum venissemus Hierosolymam,libenter exceperunt nos fratres.

Hospitalitas.

Laudatur hic Mnason Cyprius à fide & quod in hac iam diu perstitisset, & quod per hanc hospitalis esset. Fides enim sine operibus mortua est,eademque nisi sana sit, quantumuis interim vevetusta sit,laudem meretur nullam.Itaque sodalitio sancto Hierosolymam appulit Paulus apud sanctum hospitaturus hospitem. Quin & Hierosolymitæ venientes alacriter exceperunt,vbique & in omnibus charitatis præstantes officia.

Postero autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum,omnesq; cõuenerunt presbyteri.Quos cum salutasset,narrabat per singula quæ Deus fecisset inter gentes per ministerium ipsius. At illi cum audissent,glorificabant dominum.

Iacobus frater Domini.

Describit iam quid Hierosolymis gestum sit cum Paulo,& quomodo in vincula coniectus varia perpessus sit pericula. Fuit autem hic Iacobus cuius meminit Lucas,qui & Iustus & minor & frater Domini cognominatus est,frater (vt 1.Cap.monuimus) Iudæ Apostoli,& Hierosolymitanæ Ecclesiæ 30.annis antistes: vir tantæ sanctitatis & celebritatis in populo, vt propter eius necem creditum sit subuersam esse Hierosolymam, quemadmodum ipse quoque Iosephus Antiq.lib.vlt.cap.20.apertis verbis prodidit. Septimo enim Neronis anno (sic referente Beda) cum Iudæi indies magis magisq; furerent in Christi ministros, & Paulus, cuius sanguinem mirificè sitierant, ex eorum manibus iam olim elapsus esset, omnem furorem suum in vnum effundunt Iacobum virum optimum, eumq; de pinna templi præcipitatum,lapidabant,clamantem ac inuocantem, Rogo Domine Deus pater,remitte eis peccatum,nesciunt enim quid faciunt. Meminit enim eius rei ad hunc modũ Eusebius ex Egesippo nobili & vetusto historico lib.Eccles.hist.2.cap.23. Porrò quod refert omnes conuenisse Hierosolymorũ presbyteros ad laudem ac dignitatem facit Apostoli Pauli.Indicat enim non grauatim cõuenisse illos,audito quod venisset Paulus,vt exciperent eum.Et rursum ipsius officium prodit,qui cum pro more presbyteros salutasset,narrare eis cœpit Euãgelij profectũ ac ministerium

suum.

ſuum. Vtrinque autem eximia quædam relucet cura & ſolicitudo ſuper incremento fidei ac veritatis, quæ ſanè vel maxime ad presbyteros pertinet. Nam vt hic exultãs narrauit ſic illos magno cum gaudio accepiſſe intelligimus, atq; adeo glorificaſſe Dominum, non Paulum. Huius enim miniſterium erat, illius incrementum, quemadmodum ipſe de ſeſe teſtatur in 1. ad Cor. 3. Deniq; Chryſoſtomus, Non (inquit) Paulum extulerunt neque admirati ſunt, ſed Deum glorificauerunt, quia & ipſe quicquid meruit Deo acceptum retulit.

Dixeruntq; ei: Vides frater, quot millia ſunt Iudæorum qui crediderunt, & omnes ſtudioſi ſectatores ſunt legis. Audierunt autem de te, quod defectionem doceas à Moſe, omnes qui inter gentes ſunt Iudæos, dicens: non debere eos circumcidere filios, neque ſecundum inſtituta viuere. Quid eſt ergo? omnino oportet conuenire multitudinem: audiunt enim te veniſſe. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe. His aſſumptis, purifica te cum illis, & impende ſuper illis, vt radant capita, & ſcient omnes, quod quæ de te audierunt nihil ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. De his autem qui crediderunt ex gentibus nos ſcripſimus, decernentes, ne quid huiuſmodi obſeruent, niſi vt caueant & ab his quæ ſunt immolata ſimulachris, & à ſanguine, & ſuffocato, & ſcortatione.

Intelligimus in hæc verba pro ſua & aliorum ſententia Iacobum dixiſſe. D. Aur. Auguſtinus in erudita illa epiſtola qua D. Hieronymo de legalium obſeruatione reſpondit, ſic locum hunc exponit, Non (vt opinor) obſcurum eſt (inquit) & Iacobum hoc ideo monuiſſe, vt ſcirent falsa eſſe quæ de illo audierant, hi qui cum in Chriſtum ex Iudæis credidiſſent, tamen æmulatores erant legis, ne per doctrinam Chriſti velut ſacrilega nec Deo mandante conſcripta, damnari putarentur quæ per Moſen patribus fuerant miniſtrata. Hoc enim de Paulo iactauerant non illi qui intelligebant quo animo à Iudæis fidelibus obſeruari iſta deberent, propter commendandam videlicet authoritatem diuinam & ſacramentorum illorum Propheticam ſanctitatem, non propter adipiſcendam ſalutem quæ iam in Chriſto reuelabatur & per baptiſmi ſacramentum miniſtrabatur: ſed illi hoc de Paulo ſparſerant, qui ſic ea volebant obſeruari, tanquam ſine his in Euangelio ſalus credentibus eſſe non poſſet. Ipſum enim (Paulum) ſenſerant vehementiſsimum gratiæ prædicatorem & intentioni eorum maxime aduerſum, docentem non per illam hominem iuſtificari, ſed per gratiam Ieſu Chriſti, cuius pronunciandæ cauſſa illæ vmbræ in lege mandatæ ſunt. Et ideo illi inuidiam & perſequutionem molientes concitare tanquam inimicum legis mandatorum diuinorum criminabantur. Cuius falſæ criminationis inuidiam congruentius deuitare non poſſet, quam vt ea ipſa celebraret, quę damnare tanquam ſacrilega putabatur, atque ita oſtenderet, nec Iudæos tunc ab eis tanquam nepharijs prohibendos, nec Gentiles ad ea tanquam neceſſaria compellendos. Haſtenus Auguſtin. quem in ea ſententia eſſe videmus vt exiſtimet Iudæos qui credidiſſent ſanè nec libertatis ignorantia, nec conſcientiæ infirmitate legalia cuſtodiſſe, ſed magis vt hoc facto ſuo teſtarentur ceremonias legis damnandas nō eſſe velut nociuas, ſi quis in eas nihil ſideret, & poſt fidem Chriſti aliquouſq; ſeruari poſſe arbitraretur. Nam paulò poſt, Legalia (inquit) ſicut defunctorum corpora, neceſſariorum officijs deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, non autem deſerenda continuo vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morſibus proijcienda. Iam ne quis contenderet eadem & nobis eſſe obſeruanda, in eadem hærens ſimilitudine ſubdit, Proinde nunc quiſquis Chriſtianorum, quamuis ſit ex Iudæis, ſimiliter ea celebrare voluerit, tanquam ſopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel baiulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator. Hæc de Auguſtini non prorſus inepta expoſitione. Cæterum ſimplicior ſenſus eſſe videtur, quod & Iacobus & Paulus plus nimiam infirmorum fratrum habuerint rationem. Plura enim charitatis oratio ſiue cohortatio Iacobi tota in hoc eſt, vt perſuadeat Paulum, tantum ſe infirmis impendat fratribus, ipſiſque omnibus in hoc vno gratificetur, vt votum in ſe ſuſcipiat, & eatenus approbet ſe non eſſe legis contemptorem. Nam hic huius conſilij finis eſt, non quod crederent externo legis ſacrificio expiari hominem. Sic enim paulò poſt ſequetur, Et ſcient omnes quod quę de te audierunt, οὐδέν [illegible] nihil ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. Iam vero expende quam probè huc omnia Iacobi referantur argumenta. Principio. Vides ipſe (inquit) frater quot millia hic ſint Iudæorum qui crediderunt, ſed ita interim vt non nihil adhuc legi hæreant. Nam ζηλωταὶ ſunt legis, & impotentius adeoque & ſuperſtitioſius & animi

Auguſtini ſententia de conſilio Iacobi.

Plura huius generis indicata in 16. et. 18. ca.

Conſilium Iacobi.

quodam morbi huic hærent. Deinde attexit quod hanc sententiam absoluit, Atqui hic audierunt de te, quod non modo à lege prohibeas Gentes, quin & Iudæos in lege natos à Mose, hoc est ab ipsa lege ceu sacrilego dogmate & noxio auertas. Id autem supra modum offendit eos. Iam redi ad superiora. Horum autem tot sunt millia, vt non facile contemni possint. Siquidem quantam Christianus curam fratri debeat, Christus ipse docuit, cum per similitudinem doceret nonagintanouem oues à fido pastore relinqui, vnam vero erraticam summa diligentia inquiri. Si ergo vnius hominis tanta est habenda ratio, quanto maior multorum millium? Nunc pergit: Quid ergo in hac re commodissimum fieri potest? dissimulatione aut silentio nihil proficiemus. Nam posteaquam te aduenisse audierint, omnes turmatim aduolabunt, vt tecum expostulent. Nullum ergo præsentius consilium est, & quo vno ac semel omnibus satis facere possis, quam hoc, vt votum in te suscipias. Aque huc iam trahit occasionem vt facilius persuadeat. Ad manum enim esse viros quatuor qui votum habeant. Rursus ne Gentium nomine tergiuersaretur Paulus atque obijceret hoccine voto suo offendi Gentes, aut ex hoc facto suo colligi posse Gentibus quoq; ad expiationem necessaria esse, Iudaica sacrificia, mox præoccupat & ait, De his autem qui crediderunt ex Gentibus, &c. Ex quo facile liquet hoc consilium pro tempore, & infirmorum ex circumcisione fratrum gratia, esse narum vsurpatumque, non purificandi caussa. Nam etiamsi dicat Iacobus, Purifica te cum eis, attamen communi genere dicendi vsus est. Siquidem & scriptura eas ceremonias eosq; ritus purificationem vocat, quibus deuoti purgabantur. Sic ipsa virgo Maria vna cum fœtu suo Christo dicitur purgata, quæ tamen nihil immundi ex conceptione sancta contraxerat.

Supra cap. 15.

Tunc Paulus assumptis viris, postero die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.

Hisce fratrum precibus euicta mens Pauli, quæ aliâs ad omnia vt multos Christo lucrifaceret erat promptissima, votum in se nec tamen sine difficultate recipit. Grauius enim quippiam in se suscipit, quam pro superioribus diebus in Petro (vt extat ad Galatas 2.) culpauit. Sed fratrum, vt diximus, precibus euictus & inter saxum & sacrum constitutus, noluit fratrum spem fallere, totque Iudæorum millia vnius voti gratia (siquidem per illud illis medicari posse videbatur) periclitari, qui aliquando dixerat, Veritatem dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea, per Spiritum sanctum, quod dolor mihi sit magnus & assiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Igitur spe ampliora melioraque consequendi & Euangelij negotium quam latissime promouendi studio, rem nouam & inexpectatam facit, præterea quod plus nimio amaret gentem suam. Et sane nouum est quod tantus vir se in tantum demittit errorem. Errorem enim & ipse Augustinus appellat, sed tollerabilem propter charitatem & veritatis confessionem. Porró de purificandi ratione plura inuenies, quod & supra annotaui, Numeri sexto. Ex istis autem liquet, quam imprudentes sint qui hac Iacobi & Pauli indulgentia ad defensionem abutuntur errorum suorum: quasi vero ipsi Missare, idola colere, & alia nescio quæ impune possint facere, propterea quod Paulus Iacobi consilio semel & iterum in se votum susceperit. Cum interim ipse videas Pauli factum longe aliud esse quam quod ita vsurpari possit.

Paulus sacrificium pro se fieri permittit.

Dum autem septem dies iam penè essent expleti, hi qui ab Asia erant Iudæi, cum vidissent eum in templo, conturbarunt totum populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: Viri Israelitæ, succurite. Hic est ille homo qui aduersus populum & legem, & locum hunc omnes vbique docet: insuper & Græcos induxit in templum, & prophanauit sanctum locum hunc. Viderunt enim Trophimũ Ephesium in ciuitate cum ipso, quem existimauerunt quod in templum introduxisset Paulus. Commotaq; est ciuitas tota, & factus est concursus populi. Et apprehensum Paulum, protrahebant è templo, statimq; clausæ sunt fores.

Quod Prophetæ iam diu futurum prædixerant, in hoc loco Lucas Paulo accidisse scribit. Mirus autem est in descriptione tumultus huius, tam proprie & perspicue exponit, imò oculis proponit singula. Principio ipsos pingit seditionis authores Iudæos Asiaticos. Deinde vero adumbrat accusationis capita, quæ non sunt alia, quam quæ hactenus Paulo & Stephano impegerant Iudæi.

Seditio.

Calumnijs

Calumnijs ergo in vulgus disseminatis, turbas mouent. Atque hic modum quoque ob oculos statuit, quo illi Paulum tractarunt indignissime. Apprehensum enim, ait, è templo in furibundam pro trahebant turbam, clausisque templi foribus vel ne effugij pateret locus, vel ne templum noxio fœdarent cruore, iam iam ad necem miseri parantur. Hæc enim est egregia illa hominum religio qua exterior poculi patinæque pars purgatur, interioris autem nulla ratio habetur. Ergo sacrum templi pauimentum sanguine nolebant aspergere, interim vero nullam eius rationem habebant, quod sese & animas innoxio commacularent cruore. Præterea verisimile est istos credidisse Deuteronomij 23. Gentibus templo interdictum fuisse, vnde & ansam tumultuandi acceperunt liberiorem. Quod ergo Paulus Trophimum in templum non induxit, non propterea fecit, quod se ista re peccaturum crederet, sed quod calumniam Iudæorum declinare vellet. *Matth. 23.*

Quærentibus autem illis eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis, quod tota conturbata esset Hierosolyma. Qui statim assumptis militibus ac centurionibus decucurrit ad illos. At illi quum vidissent tribunum ac milites, cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens tribunus, apprehendit eum, & iussit alligari catenis duabus, & interrogabat quis nam esset, & quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra. Et cum venisset ad gradus, contigit vt portaretur à militibus propter violentiam turbæ. Sequebatur enim multitudo populi clamans, Tolle eum.

Magistratus in hoc à Deo ordinatus est, vt tumultuantes ferocientesque compescat, sedatos vero ac probos homines ab illorum vi asserat. Proinde Dominus non raro huius præsidio suos ex impiorum eripit manibus, quemadmodum nunc Paulum Romanis tuetur ac seruat armis, & olim Ieremiam per Nabuzardan liberauit. Magna autem fuit Tribunorum militiæ authoritas. Nam & consulari potestate creabantur, & ius dabant militibus. De qua re videre est Fenestellam de Mag. Rom. capite 16. & Petrum Crinitum de honesta discip. lib. 11. cap. 2. iucunda lectu & vtilia quædam ex Aurelij Imperatoris sententia annotantem. Præterea annotauimus in 10. huius historiæ caput, Romanorum legiones in Syria alitas fuisse, partim contra Parthorum incursiones, partim vero vt in fide retinerentur prouinciæ, & Iudæorum seditiosa impatientia coerceretur. Hac de caussa & Hierosolymis impositam fuisse cohortem, ex hoc loco apparet. E quo item intelligimus quanta pro nomine Dei patiantur sancti. Paulus enim per aduentum tribuni in spem erectus, iam ab hoc duabus vincitur catenis, ceu maleficus aliquis latro aut patriæ proditor. Præterea declaratur quanta sit furientis & semel concitati in tumultum populi insania. Væsanum enim & horrendum quippiam clamitat, vt nemo certi quicquam possit intelligere, tantum furit, ingruit, vrget, & cæde omniumque rerum proculcatione gaudet. Hic enim ad gradus vsque castrorum (castra enim in excelsiori loco ad excubias erant collocata) prosequuntur vinctum, & clamant, Tolle hominem pestiferum, occide hæreticum, lania impostorem. Proinde maxime nobis (quantumque fieri potest) cauendum à seditionibus quæ raro feliciter finierunt. Sed de hac re dictum est in cap. 19. *Magistratus est defendere contra iniuriā.* *Tribunus.* *Crux sanctorū*

Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Licet ne mihi loqui ad te? Qui dixit: Græce nosti? Nonne tu es ille Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum Sicariorum? Dixit autem Paulus: Ego sum homo quidem Iudæus Tarsensis non obscuræ Ciliciæ ciuitatis ciuis. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, alloquutus est lingua Hebræa, dicens:

Vide mi Lector, quantum in hoc homine gentis suæ, licet erga se ingratissimæ, fuerit studium, quantaue caussæ confidentia, quantus denique veritatem propagandi ardor. In medijs afflictionum procellis, in catenis, in insanientium clamoribus, interque satellitum arma, adhuc de satisfactione & Iudæorum salute cogitans, dicendi postulat facultatem, si vel aliquos oratione luculenta & vera posset lucrifacere. Ergo ad Tribunum conuersus cum reuerentia debita dicendi facultatem suppliciter poscit. Hic Tribunus rerum quæ gerebantur, vtpote homo prophanus, plane ignarus, aliud suspicatur, vt fit in istiusmodi casibus, Paulum fortassis illum esse Ægyptium, de quo Iosephus in 2. *Pietas Pauli in patriam.*

De Aegyptio. de bello Iudaico, capite 12. ad hunc fermè modum scripsit, Ægyptius quidam falsus Propheta, cum venisset ad Iudæam, homo magus, fidem sibi Prophetæ magica arte consciuit, & continuo ad triginta millia virorum congregans & ductans eos per desertum, peruenit cum ipsis ad montem Oliueti, paratus inde irruere Hierosolymam, & vi ac potestate vrbem tenere, simulque Romanorum præsidia ac plebem tyrannidi suæ subiugare, fretus per omnia his quos secum duxerat militibus. Sed conatum eius prævenit Felix, confestimque ei cum armatis obuiam pergens, secum etiam plebe reliqua conspirante, congressus cum Ægyptio, hunc cum paucis in fugam vertit: peremptis vero alijs. alijs etiam captis, temere cœpta facile restinxit. Nec pugnat Lucæ narrationi, Iosephi historia. Potuit enim fieri vt primo cum paucis hisque clam seditionem mouentibus adueniens, plures sibi postea publicata fraude coniunxerit. Cui id adminiculatur, quod idem ille Iosephus refert etiam fusis Ægyptij copijs crebra vbique exercita fuisse latrocinia. Porro Sicarij grassatores & latrones sunt *Sycarij. Tarsus.* dicti à sica, quæ vox breuem gladium siue pugionem significat, quo illi incautos sauciabant. Tarsum vero quam hic non incelebrem (οὐκ ἀσήμου πόλεως) Ciliciæ ciuitatem nominat. Stephanus in vrbibus ἐπισημοτάτην, id est, primariam atque præter cæteras insignem appellat. Igitur posteaquam audisset hunc non esse illum quem putauerat, facultatem dicendi permitit. Quo & æquitas & humanitas nobis prohani hominis probatur. Atque hic se rarum & admirandum offert spectaculum. Siquidem Paulus iam iam in templo probe contusus, & insanientium turbis sibijpsi destitutus, præterea & catenis degrauatus, pone iudicem, & inter terrifica militum arma coramque ipsis astans hostibus suum impense sanguinem sitientibus, tam terse, prudenter & scite disserit, vt animi probe sibi constantis, multarumque dierum videri posit apologia. Est autem illa apologia quam ad ipsos Hebraica dicebat lingua.

Mirum Pauli ingenium.

CAPVT XXII.

VIri fratres & patres, audite meam, qua nunc apud vos vtor, excusationem. Cum audissent autem, quod Hebræa lingua sibi loqueretur, magis præstiterunt silentium. Et dicit: Ego quidem sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, cæterum educatus in hac ciuitate ad pedes Gamalielis, institutus accurate in patria lege, sectator Dei, sicut & vos omnes estis hodie, qui hanc viam persequutus sum vsque ad mortem, alligans ac tradens in carceres viros pariter ac mulieres, sicut & princeps sacerdotum mihi testis est, & totus seniorum ordo, à quibus etiam epistolis ad fratres acceptis, Damascum pergebam, adducturus & illos qui illic essent vinctos Hierosolymam, vt punirentur. Accidit autem mihi iter facienti & appropinquanti Damasco circiter meridiem, vt subito de cœlo circumfulguraret me lux multa, cecidique in solum, & audiui vocem dicentem mihi: Saul, Saul, quid me persequeris? Ego vero respondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Et qui mecum erant lumen quidem viderunt, & exterriti sunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Dicebam autem: Quid faciam Domine? Dominus autem dixit mihi: Surge ac vade Damascum, & ibi tibi dicetur de omnibus quæ ordinata sunt tibi vt facias. Et cum non viderem præ gloria luminis illius, per manum deductus à comitibus qui erant mecum, veni Damascum.

Scopus huius apologiæ.



VONIAM accusatus erat Paulus quod aduersus populum & legem & locum hunc, id est, Hierosolymam templumque omnes vbique doceret, vt pauló ante Lucas prodidit, sic obiectas sibi calumnias præsenti oratione diluit, vt indicet primum se virum esse Iudæum in celebri loco natum, vt inde intelligatur se gentem & stirpem suam odire non posse, sed pro Iudæorum ingenio amare. Deinde subindicat se ad pedes Gamalielis educatum fuisse, idque Hierosolymis, vt verisimile esse non posit Paulum aduersus eum locum dicere aut docere potuisse, in quo tam liberaliter educatus tamque accurate institutus fuerit. Secundum patriam enim

his locis potiſsimum fauere ſolemus,in quibus aut educati aut inſtituti ſumus. Poſtremo,quia aduerſarium legis Aſiani Iudæi ipſum eſſe dixerant,id abunde hoc vno purgat, quod ait ſe non modo accurate inſtitutum in lege patria, verumetiam perſequutorem fuiſſe ſæuiſsimum eorum qui legi videbantur aduerſari. Atq; hic mira quadam ratione ad expoſitionem conuerſionis ſuæ delabitur. Hac enim approbat ſe non leui aliqua cauſa,velut paratus ad apoſtaſian,ſed mirabili facto ad profeſſionem nominis Ieſu & fidei quæ in eum eſt perueniſſe. Neque dubium eſt quin plura de religione Chriſtiana attexuiſſet,ſi per tumultum licuiſſet.Nam occlamantes tumultuantesq; ſtrepitu barbaro orationem interturbarunt. Cætera petantur ex capite 9. In eo enim capite eandem hanc hiſtoriam pari ſenſu narrauit Lucas, licet alijs interdum verbis. Verum nulla eſt in ſenſu diuerſitas,quod tamen illi cauſſantur,quibus adeo dolet ſcripturas tam frequentes vulgatasque eſſe factas. *Odioſa nobis apoſtaſia temere facta.*

Ananias autem quidam vir pius, ſecundum legem teſtimonio probatus omnium illic habitantium Iudæorum,veniens ad me,& adſtans,dixit mihi:Saul frater, recipe viſum: & ego eadem hora recepto viſu vidi illum. At ille dixit: Deus patrum noſtrorum præparauit te, vt cognoſceres voluntatem ſuam, & videres id quod iuſtum eſt, & audires vocem ex ore eius, quia eris teſtis illi apud omnes homines, eorum quæ vidiſti & audiuiſti. Et nunc quid contaris? Exurge & baptizare,& ablue peccata tua,inuocato nomine Domini.

Hæc paulo copioſius exponuntur quam in 9.cap.ſint expoſita.Principio autem laudatur pietas & probitas Ananiæ,ne Iudæi hunc per quem Paulus erat baptizatus, ceu leuem & nihili hominem aſpernarentur,Paulumq; ipſum dicerent fuiſſe ſtolidum,qui homini nulla authoritate præditi conſilio fuiſſet obſequutus. Dicit ergo, Ἀνανίας δέ τις ἀνὴρ εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον, μαρτυρούμενος ὑπὸ πάντων τῶν κατοικούντων Ἰουδαίων,id eſt,Ananias autem quidam vir pius,ſecundum legem, bonum habens teſtimonium ab omnibus illic habitantibus Iudæis.Poteſt enim particula Secundum legem, vel ad ſuperiora referri,ſic:Ananias fuit vir pius in lege·vel ad inferiora ſic, Ananias probatus fuit in lge omnium etiam Iudæorum teſtimonio.Atq; hoc plurimum faciebat ad expurgationem Pauli, & ad comprobationē quod lex & Euangelium ſibi non aduerſarentur.Siquidem doctus in lege(inquit)ſuaſit vt Euangelium amplecterer.Huc pertinet quod is ait,Deus patrum noſtrorum, quo titulo nihil erat Iudaicis auribus ſuauius.Is inquam præparauit te.Non ergo apoſtaſiæ aut humanæ erat induſtriæ quod conuertebatur Paulus.Iam vero ſequitur ad quid præpararit, non vtiq; vt aduerſarius Dei & legis eius eſſet,ſed vt cognoſceret voluntatem eius.Quid hoc? Vt videres τὸ δίκαιον,id eſt,iuſtitiam, vel id quod iuſtum eſt,vel iuſtum illum videlicet Chriſtum Dominum. Vnde vero hoc diſcitur? Ex voce oris Dei.Nam ad Rom.1.teſtatur Euangelium prædictum eſſe per Prophetas in ſcripturis ſanctis. Præterea ad Galatas 1.indicauit ſe Euangelium non ab hominibus,neq; per hominem, ſed reuelatione Ieſu Chriſti didiciſſe.Porro quod de peccatorum ablutione per baptiſmum ſcribitur in 8.cap.expoſitum eſt.Non enim aqua abluit peccatum,ſed gratia quæ ſignificatur per aquam.Imo aquę ſiue ſigno per allœoſim ſacramentariam tribuitur quod reuera rei hoc eſt gratiæ & electionis eſt.Atq; huc pertinet quod mox ſequetur,Inuocato nomine Ieſu. Inuocatione enim,id eſt,fide(nam pro fide accipi oſtendit Paulus ad Rom.10)abluitur. *Laus Ananiæ.*

Factum eſt autem,cum eſſem reuerſus Hieroſolymam,& orarem in templo,vt raperer extra me,& viderem eum dicentem mihi, Feſtina & exi velociter Hieroſolymis,quoniam non recipient teſtimonium tuum de me. Et ego dixi:Domine, ipſi ſciunt quod ego pertrahebam in carcerem, & cædebam in ſingulis ſynagogis eos qui credebant in te. Et cū funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego quoq; adſiſtebam & aſſentiebar morti illius,& cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.Et dixit ad me: Vade,quoniam ego ad Gentes procul mittam te.

Monui in capite nono profectionem in Arabiam,cuius meminit in Galatis, hanc reuelationem præceſsiſſe.Dubium autem eſt ſit ne hic is ille raptus,cuius meminit in 2.ad Corinth.12.capite. Sed nihil attinet noſſe fuerit ne an minus, cum non ſit dubium electionis vas Paulum non ſemel fuiſſe raptum. Cæterum in hoc denuo ſtudium in gentem ſuam exponit, quod alio vocanti Domino, veluti reſponſarit: & Hieroſolymis manere maluerit, propterea quod bona ſpe detineretur, fore vt plurimum apud eos proficeret,propterea quod omnes noſſent quanto zelo pro lege contra Chriſtia *Studium Pauli in gentem ſuā.*

nos exarserat,& quid pro legis defensione fecerat. Itaq; quum hæc non ignorarent, sperasse illos quoque facile perspecturos non temere mutatum esse, multosque futuros qui suum exemplum imitantes, Mesiam amplecterentur. Atqui id quidem noluisse Dominum, qui ad Gentes procul ipsum ablegarit: quo iam abierit, non odio (quod interim illis videbatur) aut contemptu Gentis suæ, sed Domini imperio, qui omnes gentes voluerit ad cognitionem veritatis venire.

Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum. Atque sublatis vocibus dicebant: Tolle de terra hominem istiusmodi: non enim fas est eum viuere. Vociferantibus autem eis, & proijcientibus vestimenta, & puluerem iactantibus in aerem, iussit tribunus induci eum in castra, & imperauit eum flagris examinari, vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei.

Odiosum enim erat Iudæis Gentium nomen, adeo vt essent qui ne Christum quidem prædicari permitterent nisi ad Iaudaismum venientibus. Proinde mire illos commouit Paulus, cum innueret se à Iudæorum consuetudine auocatum ad gentes ablegatum fuisse. Id enim contumeliosum videbatur ipsis, quasi ipsi indigni essent veritate, immundæ autem Gentes promissionum hæredes. Inde iam erant illa indignationis plena verba. Tolle de terra hominem istum, nec enim fas est talem viuere: item quod vestimenta & puluerem iactarent in aera summa incandescentiæ signa. Quibus & tribunus permotus, nescio quid flagitij commissum existimans, iubet Paulum induci in castra, ne hostilius quidpiam molirentur furiosi, & vt satellites flagris ex eo verum extunderent. Suspicabatur enim hunc hominem aliquid magni alere monstri, Quo & temeritatis siue imprudentia iudicis, & sanctorum afflictio ac patientia notatur. Fuit autem moris apud illos, sicuti & apud nos esse videmus, vt verum tormentis extorquerent dissimulantibus.

Et cum astrinxisset eum loris, dixit adstanti sibi centurioni Paulus: Num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito, centurio accessit ad tribunum & nunciauit ei, dicens: Quid facturus es? hic enim homo Romanus est. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi: num tu Rumanus es? At ille dixit: Etiam. Et respondit tribunus: Ego multa summa ciuitatem istam comparaui. At Paulus ait: Ego vero & natus sum. Protinus ergo discesserunt ab illo qui eum fuerant examinaturi. Tribunus quoq; timuit postquam resciuit quod Romanus esset, & quod vinxisset eum.

Hunc locum exposuimus in capite huius operis decimosexto, vt non sit necesse eadem semper oberrare chorda.

Postero autem die volens scire certum, qua ex causa excusaretur à Iudæis, soluit eum à vinculis, & iussit principes sacerdotum conuenire, totumq; concilium, ac deductum Paulum sistebat coram illis.

CAPVT XXIII.

INtentis autem oculis in concilium Paulus ait, Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum coram Deo vsque in hodiernum diem. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi, vt percuterent os eius.

HISCE vero pingit iniquum iudicium & iudices tyrannicos, atque iniqua istorum facinora, vt simul & innocentia Pauli, & Iudæorum malitia reluceret, quæ & quamuis superat ethnicam tyrannidem. Tribunus enim ethnicus vir iustitiæ & æquitatis studiosus, producit Paulum in consessum religiosorum ac eruditorum, sperans nihil hic aliud agendum fore, quam quod iustitia & æquitas postularet: cæterum maximam apud illos iniquitatem dominari, rursus insignem constantiam & innocentiam Pauli cum ex dictis tum factis eius deprehendit. Dum

dit. Dum enim hic in tam frequentem & religione verendum productus esses consessum, & iam iam in tantorum consisteret corona virorum, non modo cordata oratione sese expurgare incipit, quin & toto corporis habitu innocentiam suam prodit. Hinc enim Lucas, Intentis autem (ait) oculis in consilium Paulus. Siquidem oculi animi speculum sunt. Vnde illud poetæ, *Constantia & innocētia Pauli.*

Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu.

Totus autem in hoc est, vt innocentiæ suæ prædicatione aduersariorum sese opponat calumnijs, idq; nec ambitiose nec cum fastu, sed pro gloria veritatis. Nec seipsum laudat Paulus, sed vt res habet confitetur, quod sane fieri oportere etiā Rhetores permittunt, vbi de capite agitur. Et hactenus de constantia & innocentia Pauli: nunc de tyrannide & malitia Pontificis Ananiæ. Est hic Ananias quem lib. antiq. 20. Iosephus Ananum vocat, eius Anani pater, sub quo Iacobus frater Domini Hierosolymis è pinnaculo templi præcipitatus est, velut indicat ex Clemente D. Hierony. in Catalogo scriptorum illustrium. Hic ergo carnifex verius quam pontifex, quia sibi de hypocrisi & errore esset conscius, tum quod non vehementer doleret tam masculum, solidæ nimirum orationis, exordium, & quod nihil honoris præfatus esset ipsi, præcepit astantibus vt percuterent dicentis os, vel in vindictam eius quod contempsisset pontificem, vel vt dicentem perturbarent, ne illi cogerentur (quod timebant) turpiter in hac palestra referre pedem. Hunc Ananiam hodie referunt, qui ad tribunal productos Euangelij confessores, prius damnant quam audiant, imò vero quàm sint qui accusent. Non enim nunc referam quod multi sunt, qui palàm in confessorum expuunt faciem, hoc tantum nomine, quod aduersus impias hominum constitutiones scripturarum testimonia producant. *Tyrannis pontificis.*

Tunc Paulus dixit ad eum: Percussurus est te Deus, paries dealbate. Et tu sedes iudicans me secundum legem, & contra legem iubes me percuti?

Ad hanc contumeliam, quæ nec in Ethnicorum iudicijs fieri solet excandescens Apostolus, dicit, τύπτειν σε μέλλει ὁ θεὸς τοῖχε κεκονιαμένε, id est, percutiet te Deus paries dealbate. Prouerbiali autem figura Paries dealbatus dicitur ille, qui aliud simulat & aliud est, vt si quis à facie & habitu iustitiam quandam ostentet, intus autem spurcus sit & impius, quales hypocritæ apud Matthæum in 23. cap. erant, quos sepulchris dealbatis assimulat Dominus. Ad expositionem huius pertinet quod sequitur: Tu sedes iudicans me secundum legem. Hæc est albedo illa, hic candor ille quod iudicis sustines speciem. Legitimus debebas esse iudex, qui secundum leges, non secundum faciem, iudicare debebas: sed hoc neglecto, contra legem iubes me percuti, atq; ita iam factus es paries dealbatus. Dealbati enim parietes caduci esse solent, cæterum ne tales videantur esse quales sunt, dealbantur fidelia. Huc ergo allusit Apostolus qui hisce tam asperis hypocritę laruam detrahit. Iam magna semper fuit apud veteres de hoc loco disputatio. Chrysostomus putat hæc verba Percutiet te Dominus paries dealbate, magis esse libere loquentis, quàm iracundi: quem postea imitatus Beda, Percutiet te Deus, non dixit Percutiat. Indicatiuo vtique modo hoc futurum significans, non Optatiuo maledicens. Non enim perturbatione animi motus hæc dixit, sed vtiq; prophetando loquutus, quia significabat hypocrisim & Iudaicum destruendum esse sacerdotium. Quod & Aug. ad Marcillinum asseuerauit. D. autem Hieron. adducens hunc locum in Dialo. contra Pelag. excusat quidem Paulum, attamen palàm fatetur eum non præstitisse eam mansuetudinem quam Christus præstitit. At Aur. Augus. hunc locum omnium (vt apparet) simplicissime exponens lib. aduer. Faustum 22. cap. 79. dicit, Virtus patientiæ quam docet Dominus Iesus, dicens, Si quis te percusserit in maxillam tuam dextram, præbe illi & sinistram, potest esse in præparatione cordis, etiamsi non exhibeatur gestu corporis & expressione verborum. Quandoquidem Apostolus palma percussus potius Deum rogauit, vt iniurioso homini in futuro seculo parceretur, in præsenti autem illa iniuria non relinqueretur inulta, quam vel præbuit ferienti alteram partem, aut vt iterum feriret admonuit. Tenebat certe interius dilectionis affectum, & exterius requirebat correctionis exemplum. Hactenus Augustinus. Ergo Paulus vere maledixit impio pontifici, sed non hoc animo quo vulgus irritatus solet, sed Apostolico spiritu. Neque patientiæ interim gloria excidit. Non enim omnis tolerantia protinus Christiana dicetur patientia: quemadmodum nec illa statim iustitia vel constantia vel fortudo vera est, quæ dicitur. Notissimum enim est vel illud tritum sermone Prouerbium, Summum ius summa iniuria. Et pertinacia quidem Constantia dici affectat, sed quia destituitur prudentia, vitium est non virtus. Duritia quoque à fortitudine natura distat, fallit similitudine. Ita & μαλακοί, quos Latine vocamus molles, hoc est, effœminatos, pusillanimes, teneros, & minime constantis & virilis ingenij homines, patientes videri volunt, sed quia deest animi fortitudo, patientia istorum animi vitium ac morbus est. Duritia quoq; catabaptistica patientiæ titulo sese venditat, sed cum ex opinione falsa emergat, nihil distat vel à Ze-

Paries dealbatus.

An pontifici maledixerit Paulus.

De vera patientia.

Valerius lib. 3. cap. 3.

nonica, vel Indica. Nobilissimus quoque historiæ Scriptor Salustius, de Lucio Catilina prodit, quod patiens inediæ, vigilæ, algoris supra quam cuiquam credibile est fuerit, quodque hisce sibi apud suos magnam fortitudinis & patientiæ famam parauerit: cæterum cum idem mox subiungat, Animus illi inerat audax, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator & dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: quis tam cæcus qui ex his non intelligat Catilinæ patientiam nihil minus quam virtutem extitisse? *Modus in virtutibus.* Vt enim quædam inter se virtutum connexio est, sic & suus cuique virtuti modus inest. Id quod & sacri & prophani scriptores monumentis prodidree. Nam Flaccus, Virtus est (inquit) medium vitiorum vtrinque redactum. Quin & omnium philosophorum sententia semper fuit, μεσότητας ἀρετάς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι, moderatas inquam esse virtutes, excedentes modum atque mensuram inter vitia deputari. Vnde & vnus è sapientum numero, μηδὲν ἄγαν, id est, Ne quid (ait) nimis: quod etiam tam celebre factum est, vt Comico quoque versu expressum sit. Ioannes Chrysostomus in præsentiarum de natura patientiæ non infeliciter differens, Sunt (inquit) vitia cognata virtutibus, & iuxta dicendi libertatem pullulat temeritas, & iuxta ἐπιείκειαν æquitatem, mollities. Et probe considerandum ne quis putet se virtutem possidere, qui vitia apprehendit, quemadmodum si quis opinatur se iungi dominæ, & iungitur ancillæ. *Patientia inter sapientiam & fortitudinem media.* Patientia itaque veluti media inter sapientiam & fortitudinem, ijs quasi limitibus quibusdam concluditur. Sapientia autem cauet, ne patientiæ subrepat duritia aut superstitio aut alia quæpiam opinio falsa. Fortitudo autem non admittit vt quicquam indecori per pusillanimitatem aut mollitiem designetur, sed facit vt solida iusta & vera sit patientia. Nam ea iure vocatur fortitudo qua vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur aut inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, sed mentem quietam & ab affectibus puram tranquillamq; conseruat. Sic enim & Ambr. In his (inquit) consistit animi robur, vt primum fide & vera exercitatus sapientia quisque modo corde quod verum & honestum est videat. Deinde nullis cupiditatibus fluctuet, sed in iusto perseueret. Postremo si quid acciderit auersi idque graue & acerbum putetur, ita vt ferat nihil insperati accidisse existimet. *Patientia quid.* Ex istis autem si iam emaneat patientia istisque ceu marginibus ducatur, nemo est qui iam non videat hanc non esse carnalem vel affectatam tolerantiam, vel ignauam abiecti animi desperationem, sed virtutem quæ ex fide quidem existat, sapienti autem & forti robore animi quæque aduersa superet atque confringat. Hæc in transcursu aduersus eos maxime dicta sint, qui quamuis tolerantiam, patientiam esse putant, simulque ita loquuntur de patientia vt semel omnem tum iustitiam, tum fidem, tum fortitudinem tollant. Quod si ea esset quam illi putant patientia, iam nemo prorsus virtutis nomine dignaretur, quippe quæ & oppressionis iustitiæ, & proscriptionis veri omnisque mali occasio foret. Non talem præstiterunt sancti Dei Prophetæ & patriarchæ patientiam, quin potius prudentiam & constantiam sic coniunxerunt patientiæ, vt nullibi verum aut iustum prodiderint, sed vbique malo malisque intrepide resistentes nullum periculum detrectauerint. *Simile extat Actor. 16.* Quæ cum infinitis comprobari possint testimonijs, vnicum tamen præsens Pauli exemplum pro cunctis satis fuerit. Redimus ergo ad historiam.

Et qui adstabant, dixerunt: Summo sacerdoti Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres, quod pontifex esset. Scriptū est enim: Principi populi tui non maledices.

Sed & hunc locum varie exponunt. Alij enim censent Paulum vere nesciuisse Ananiam esse Pontificem. *Ironia vehementem increpationē habet.* Sed quomodo nescire potuit, qui ipsum propter pontificatum & functionem, parietem dealbatum vocauit? Ironice ergo assentatoribus respondit, Nesciebam illum esse pontificem. Quasi dicat: Pontificem summum summa decebat æquitas & iustitia. cum ergo summam ille mihi irrogarit iniuriam, non putabam illum esse summum pontificem. Iam quæ sequitur sententia, Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices: non Pauli est, sed Lucæ historici, qui pro more historico exponere voluit, cur astantes tam confidenter obiecerint, Et qui audes summo sacerdoti maledicere? Nam in lege (inquit) Iudæorum Deuteronomij 22. præceptum erat ne quis principibus populi maledicerct. *Quomodo magistratui non liceat maledicere.* Atqui ea lege (vt & alijs scripturæ locis) abutebantur. Siquidem aduersus maledicos & impios rabulas, qui & bonis quibusque viris, & omni honestati reluctantes obmurmurant, lata erat, pro authoritate iusta boni magistratus asserenda, non aduersus viros pios pro impiorum tyrannide confirmanda, quasi illis huius legis prætextu tuto quidlibet liceret. Videmus enim sanctissimos Dei Prophetas legis Dei obseruantissimos nemini pepercisse, in primis vero reges & sacerdotum primores pessimis etiam proscidisse conuitijs, sed Prophetica maiestate & illorū quoq; malitia dignis. Lucas ergo de suo hanc adiecit sententiam, quemadmodum & paulò post exponet quæ fuerint Sadducæorum placita.

Sciens

Sciens autem Paulus, quod vna pars esset Sadducæorum, & altera pharisæorum, exclamauit in concilio: Viri fratres, ego pharisæus sum, filius pharisæi, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cum hoc dixisset, facta est dissensio inter pharisæos ac Sadducæos, & dissecta est multitudo. Nam Sadducæi quidem dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum neque spiritum: pharisæi autem vtraque confitentur. Factus est autem clamor magnus: & cum surrexissent scribæ de factione pharisæorum, depugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto. Quod si spiritus loquutus est ei aut angelus, ne repugnemus Deo. Et cum magna seditio coorta esset, veritus tribunus, ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit millites descendere & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

Vafricies Pauli. Sicut vnitas bonorum bonis semper vtilis est, sic malorum vnitas semper bonis fuit noxijs. Cum ergo Paulus desperaret de æquitate apud illos, qui in malum & veritatis excidium certo iam coniurauerant, humana arte dirimit eos, vt saltem à se auerteret, inter se mutuo autem sibijpsis committeret. Qua in re nonnihil humani passus est, sed tamen citra dolum malum. Tale enim hoc Pauli factum esse videtur, quale illud est, quod de Iacob legimus Geneseos 30. decorticante virgas atque proponente gregi in canalibus potatorijs aquarum, non vt Laban deciperet, sed vt perfidiam Laban æquitate temperaret adeoque & mutaret. Et perfidia & conspiratio erat quicquid agebat Hierosolymorum magistratus. Proinde non admodum peccauit Paulus, quod ipsos sibijpsis committeret. Consilium autem quo illud potuit, tale erat: Sciebat Pharisæos ac Sadducæos (quantumuis iam concordes esse viderentur) capitaliter inter se dissidere. Nam Sadducæi resurrectionem (vt copiosius exponit Iosephus in 18. antiquitatum libro capite 2.) spiritum & angelos esse prorsum negabant. *Plura Act. 4. cap.* Quæ interim omnia confitebantur pharisæi. Hic igitur nonnihil declinans ad pharisæorum placita Paulus, vtpote Christianæ fidei magis consentanea, id palàm confitetur, in quo illi dissidebant, resurrectionem mortuorum. Porrò in superiori apologia meminerat reuelationis cœlitus factæ. Quibus omnibus ita exasperabantur Sadducæi, vt iam præ iræ impatientia rumpi potuissent. Pharisæi contra non minus cõtentionis æstro perciti, sua iam dogmata aduersus Sadducæos mordicus tueri satagebant: ita fiebat, vt ipsi inter se commissi, Paulum desererent, interim ita inter se mutuo digladiarentur, vt Tribunus vir aliàs æquus & iustus è medio abduceret Paulum, quod videret omnia in istorum consilijs non rationibus agi, sed vi ac clamoribus. Proinde noluit istis rixatoribus salutem Romani ciuis committere. Itaque euasit Paulus manus eorum, ipsi vero admodum confusi sunt. Vide autem quid possit in præiudicijs huius aut illius esse factionis. Quod aliàs dissimulabant pharisæi, hic factionis Sadducaicæ odio palàm confitentur dicentes, Nihil mali inuenimus in homine isto. Hæc est potentia Dei & imprudentia humana. Sic eludit dissoluitque Deus humana consilia.

Sequenti autem nocte adsistens ei Dominus, ait: Bono animo esto Paule. Vt enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari.

Consolatio sanctorum. Paulus 2. ad Corinth. 1. capite, Sicut (inquit) abundant afflictiones Christi nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Id quod ipsa re hoc loco impleri videmus. Dum enim Paulus maximis periculorum fluctibus adobrutus mœreret, vtpote homo, à quo nihil humani alienum, statim adest Dominus, qui aliquando dixerat, Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, & suo alloquio siue per visionem, siue per angelum, siue per spiritum reficit lassum, ac dicit, Θάρσει Παῦλε, Confidenter Paule. Quod verbi cõsolantium est etiam apud nos, Biß mannlich vnd dapffer ô Paule: Significanter ergo transtulit interpres, Bono animo sis Paule. Sic in 18. dicebat, Ne timeas. Videmus præterea efficacissimam dispositionem Dei in omni opere mortalium eo quod ait, Vt Hierosolymis testificatus es, sic oportebit te & Romæ testificari, vt necesse fuerit Paulum Romam venire, etiamsi fortasse id cuique videatur contingens. *Prouidentia Dei.* Sed omnia geruntur prudenti consilio prouidentiaque Dei. Hac ipsa factum est vt contra validissimas Iudæorum conspirationes, principum quoque consilia, per varia maris pericula, multo post tempore, attigerit Romam. Vnde iterum conijcimus promissionem ac defensionem Dei nos non eximere omnibus periculis sed in omnibus periculis iuxta suam voluntatem seruare. Hoc enim est quod alibi Paulo dictum est, Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea per infirmitatem perficitur.

Facto autem die, collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes, neque esuros se, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autē plures quam quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant. Qui accesserunt ad principes sacerdotum ac seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos ipsos, nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo vos significate tribuno & concilio, vt cras producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognituros de eo. Nos verò priusquam appropinquet, parati sumus interficere illum.

Iam vero maxima pericula enarrare incipit, è quibus tamen omnibus liberauit eum Dominus. Ex quibus nos patientiam & spem discimus, videntes quam æquo & constanti animo omnia ferat Paulus, quam item friuolus sit hominis aduersus veritatem conatus, quem tamen Deus pro sua gloria permittit & disponit, videlicet vasis perditionis vtens ad declarationem suæ iustitiæ, vt palàm fiat frustra fremere Gentes, & inania populos meditari, vbi aliud decreuit voluntas Dei: rursus vt appareat falsam esse religionem quæ non nisi proditionibus, coniurationibus, latrocinijs & omni mendaciorum genere omnique iniustitia nititur. Annotauit Ioannnes Chrysostomus Iudeos tales fuisse vt qui in rebus bonis ægre & rarissime consenserint, in malo tamen facile coaluerint. Vide autem ardorem illorum in malo. Deuouerunt se diris plus quam quadraginta viri, & deuouerunt quidem se neque esuros neque bibituros, ni prius occiderint Paulum. Iam ne hoc quidem publice moliuntur, sed clanculo, prætexentes latrocinio suo æquitatis speciem. Postulant enim à primoribus suæ inuidiæ complicibus vt Paulum in iudicium siue publicam disputationem prouocent, se enim istum aduenientem gladijs excepturos, atque hanc litem pugione dirempturos. Vide amice Lector quid non audeat impietas. Altera enim manu ius obtendit, iniuriam vero librat altera. Atque hæc iniquitas & simulatio, defensoribus atque cultoribus falsæ religionis veluti congenita, multis viris bonis exitio fuit. Nam vt è multis hoc exempli vice referam, Pollicebatur olim Cardinalium ac Prælatorum chorus complurima sancto martyri Dei Io. Hussio, sed venientem & multa pro Christiana fide dicere parantem, crudelissimo mortis genere intercepit. Nemo ergo istorum hominum pollicitis facile credat. Simulant vt occidant. Neque enim veritati, iustitię & æquitati fidere possunt, qui istas sibi habent aduersissimas. Iniuriæ ac neci fidunt, ijs vincunt, istas vt exerceant, in ius prouocāt: atqui vbi veneris illorum ius iniuria est. Porrò deuotione deuouimus nos, conduplicatio est Hebraica, amplificationem in se continens & auxesim, hoc est, intentionem eius, quod dicitur, innuebant enim conspiratores illi, se maxime & certissime deuouisse. Est autem deuouere execrari sese & libera malorum imprecatione animum ad certam aliquam rem peragendam addicere. Cæterum non probat huiusmodi vota temeraria ac impia Chrysostomus. Dicit enim, Tales sunt venandi artes diabolo, qui prætextu pietatis laqueos tegit: Ecce enim ieiunium illorū homicidij mater est. Sicut & Herodes etiam iuramento sibijpsi necessitatem induxerat, ita & hi. Proinde ex hoc loco colligimus non omnem vouendi rationem placere Deo. Atqui vt hoc loco nonnihil digrediamur & breuem de votis sententiam inferamus, Ego quidem votum nihil aliud esse video, quam liberam earum rerum, quas possumus & quas Deo acceptas esse scimus, pollicitationem. Neque enim negamus votum in re pia & honesta fieri posse: neque iubemus pium & æquum votum rescindere. Vbi illud interim ceu præscitum & indubitatum præsumpsi, nemini nisi vni Deo licere vota nuncupari. Nam si vnus Deus duntaxat colendus est atque in rebus omnibus spectandus, vtpote cum ex illo & per illum & in illum sint omnia, certe vni tantum vota nuncupanda sunt. Quod autem dixi votum pollicitationem esse liberam, propterea dixi, quod de Christianorum votis loquor, apud quos fidei libertas prohibet ita sese elementicis obstringere rebus, vt inde non possimus citra salutis emergere periculum. Vt nunc vouere nobis liceat abstinentiam, sed libere, hoc est, vt retractare liceat, cum libet, iusta de caussa, retractatamque non putemus nephas iustæue damnationis esse caussam. Exemplo sit ea Pauli indulgentia quæ extat 1. Cor. 7. de coniugum abstinentia. Hanc enim si mutuus adsit consensus, suscipere licet, ac se Deo ceu voto quodam obstringere, sed ita vt ne quid nimis: vt inquā ad tempus fiat, rursumque conueniamus in vnum, ne tentet nos sathanas. Quo exemplo summa certe libertas proponitur, sed iusta, ob caussam iustam, & in caussa iusta. Dicis autem id quidem votum non esse, sed liberum animi propositum, adeoque & perpetuum Domini mandatum, vt scilicet ab omni abstineamus scortatione & immunditia. Atqui hoc ipsum istis demonstratum volui, votum videlicet nobis non esse perpetuum quoddam fatum & ineuitabilem necessitatem, sed liberam & extemporalem animi deliberationem, ad nutum Dei compositam, atque ita compositam, vt is qui nouit, semper possit melioribus

Ioānes Hußius.

Coniuratio aduersus pietatē.

Temeraria vota.

Votum quid.

Votum sit liberum.

melioribus occurſantibus & rebus ipſis ſubinde aliud ſuadentibus, votum mutare in melius. Quid quod prorſus vanum atque ſtultum eſt vouere, quod non eſt in poteſtate noſtra, aut quod præterea & illicitum eſt? Vouebat Iacob patriarcha ſe Deo decimas exhibiturum: ſed eorum quæ daturus erat Deus. Quid porrò habemus quod Deus non dederit? Niſi ergo Deus opes dediſſet, nihil vouiſſet Iacob. Proinde ea vouit, quæ per Deum potuit. Iam vero quemadmodum ſtulta ſunt vota, quibus ea vouemus quæ non habemus, ita ea impia ſunt quibus ea Deo vouemus quæ Deo aut ingrata aut contraria ſunt. Gratum autem eſt quicquid ad præſcriptum verbi ſui exigitur, & quicquid fit ex fide. Nam quicquid non eſt ex fide peccatum eſt: quemadmodum & illud Deo contrarium eſt, quod à ſcripturis (quæ voluntas Dei eſt) alienum eſt. Et cum voues noſti Deo votum tuum aut acceptum eſſe aut non eſſe. Si noſti Deo acceptum eſſe, certe cauſſam quoque noſti cur illi ſit acceptum. Habes igitur verbum Domini. Quod ſi verbum Domini non habes ſuper voto tuo certum, reuera non noſti votum tuum Deo acceptum eſſe. Niſi diuinarum rerum cognitio à nobis, & non tantum à ſpiritu Dei proficiſcatur, quod tamen vt omnis ſcriptura aſſerit, ita illud Paulus 1. ad Corinthios 2. capite prorſus pernegat. Si autem non noſti votum tuum Deo gratum eſſe, proculdubio ſtultum eſt: vtpote quod ipſum rationem ſui imò ipſum ſeſe neſcit. Omnia ergo quæ vouentur aut ex Deo ſunt, aut ex Deo non ſunt. Si ex Deo ſunt, ex fide vtique & libera ſunt. Si ex Deo non ſunt, impia ſunt. Iam quis tam ſtultus qui impietatem Deo placere credat? Itaq; vota Chriſtianorum eiuſmodi quidem ſunt, hoc eſt, libera, Deo dedicata ſoli, ex fide profecta, item eorum quæ poſſumus, Deoq; grata eſſe nouimus, & nulla neceſsitate perpetua, ſed per cauſſas iuſtas verſibilia. Hinc vero colligimus vota Pontificia, veluti ea ſunt quæ diuis nuncupantur, & Monaſtica dicuntur, idq; genus alia, prorſus à Chriſtiana religione eſſe aliena. Nam ea quæ diuis fiunt, contra religionem Chriſtianam veniunt. Religio enim Chriſtiana docet vni Deo per Chriſtum eſſe adhærendum, vni ſupplicandum & fideli oratione ac iuſtitia litandum: ab hoc eſſe cum corporis tum animæ ſalutem. At qui diuis voto paciſcitur, non citra impiam ſtipulationem paciſcitur, nempe ſi ſeuent, aut imperium, aut amplas facultates prouehant, aut ſi iuuiſſe credantur. Hac enim ex cauſſa anathemata ſiue munera eorum templis & vrbibus (eò enim væſaniæ ventum eſt, vt regna priuatæq; vrbes ſeſe dijs conſecrauerint tutelaribus) non citra modicum & facultatum & vitæ diſpendium inferuntur. Hic enim ad Galitiam ſeſe recipit Iacobum ſalutaturus. Alius Hieroſolymam procurrit fictitia ſaluatoris veſtigia adoraturus. Hic vero Romam inuiſit ſupplicaturus Apoſtolorum primatibus. Huc vero ſeſe voto ſuo diuis nuncupato per omnia conſtringi ſacra credit. At cum ſolius Dei ſit ſeruare, alere, curare, & per omnia conſeruare, iſq; fide non pedibus accedatur, ſpiritu quoq; non externo cultu colatur: conſequitur vota diuis nuncupata prorſus eſſe impia. Nam etſi in poteſtate tua ſit vel eximium munus ſtipulari, idemq; præſtare, item Romam aut Compoſtellam tranſire, diſplicet tamen Deo creaturarum cultus. Quo fit vt votum eſſe nequeat, quod cum voluntate Dei pugnat. Ad Monaſtica venimus, quæ etiamſi voueantur Deo, nō tamen ſoli, ſed aut Benedicto, aut Dominico, aut Franciſco alioue uouentur, præterea libera non ſunt, neq; in poteſtate noſtra conſtituta. Nam quo pacto vocaueris ea libera, in quæ iureiurando iuratur, & ſic iuratur, vt niſi diſtrictim per omnem vitam & citra omnem retractationem ſeruentur, perijſſe videatur is qui vouit? non enim nunc referam quod votis noſtris ſalus tribui cœpta eſt, quæ ſumma eſt impietas. De caſtitate clamat ipſe Dominus Ieſus, non omnium eſſe donum. Teſtatur Paulus bonum commodúmue eſſe mulierem non tangere, ſed ſi quis carnis tentigine non vexetur. Si enim quis iſta vexetur, ſatius eſſe vxorem ducere quam vri. Quod ſi in poteſtate noſtra non eſt caſtitas, ſanè ſub votum cadere non poteſt. Conſequitur ergo caſtitatis votum aut ſtultitiam eſſe, ſi neſcias quid voueas, aut impietatem, ſi non ignores carnis tuæ impotentiam, nihilominus tamen voueas. Quid enim hoc aliud eſt, quam Deo vouere perpetuam ſcortationem & perſeuerantiſsimam immunditiam? Et de paupertate ea quid dicam, quæ totius penè orbis opes & reditus ſuis inſcripſit rationarijs? Iam vbi inuenias otium ſuauius, inſtructiores aut lautiores menſas, commodiorem, molliorem ac mundiorem veſtem, quam apud iſtos qui verbis paupertatem vouent, reipſa Crœſo ditiores ſunt? Quaſi vero ipſe Deus falli poſſit, aut homines communi careant ſenſu. Vbi vero Deus talem paupertatem præcepit vnquam? Aut cui Deo poſt Mammona placere poſsit? Votum ergo de paupertate monachicum non eſt votum, ſed luxus, otij & impoſturæ tegumentum. Quod ſi obijcias obedientiam rem eſſe ſanctam & piam, non negauerim, modo iuſta ſit, & in re iuſta, à Deo nobis iniuncta & non à nobiſipſis electa. Verum hic te relegamus ad diuinam hiſtoriam 1. Regum 15. & Matthæi decimoquinto, cui ſi contuleris obedientiam monaſticam, deprehendes ipſam maxima ex parte aliud non eſſe quam perfidiam & inobedientiæ prætextum. Nec ignoro quid hic reſponderi poſſit, Etſi reuera votum non ſit quod diuis nuncupaui aut monaſtico ritu voui, interim tamen uoui, quin & iureiurando me obſtrinxi,

Vouere quod ſit in poteſtate noſtra.

Vouere quod non ſit contra Deum.

Summa.

Vota diuis nuncupata.

Vota monaſtica.

Votum caſtitatis.

Votum paupertatis.

Votum obedientiæ.

Argumenta pro votis.

vt nunc capitis periculo vitæque æternæ dispendio luiturus sim, nisi semel promissum syncere præstem, maxime cum scriptum sit, Quod semel egressum est de labijs tuis obseruabis & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo Deuteronom. 23. Cui & illud correspondet quod Numeri 30. extat: & Psalmo 75. dicitur, Vouete & reddite: rursum quod Paulus dicit, Iudicium siue damnationem habent qui primam fidem fregerunt, 1. Timoth. quinto. Quibus omnibus nos ad hunc modum respondemus. Principio cum voueres proculdubio sciebas votum tuum in tua esse potestate vel non esse. Deo præterea gratum esse aut non esse. Iam vero quod hostiam alicui promisisti diuo, aut castitatem vouisti Deo, tum quidem in tua id potestate fuisse positum & Deo non ingratum esse, cogitasse potes, at nunc asserere non potes: nisi religioni fideique clare & experientijs varijs occlamare libeat. Inde porrò sequitur vouisse quidem te, sed quid voueres ignorasse. Iam ergo posteaquam recepisti oculos, & vides qua in parte erraueris, quid obsecro candidius fuerit, quam vt errorem fatearis, confessum depreceris, auerserisque deprecatum, conuersus ad voluntatem & infallibile verbum Domini. Sic enim resarcieris inscitiā tuam: contrà vero peccatum peccato cumulaueris, si simplici errori adijcias malitiosam pertinaciam. Vidisti enim votum tuum diuis nuncupatum prorsus repugnare scripturis sanctis, sensisti præterea infirmitatem carnis tuæ, quodque castitatis dono cares, si iam nihilominus pergas diuis offerre, aut Veneri seruire, propterea abhorres à sacro coniugio, quod voueris cœlibatum, quem tamen propter congenitam immunditiam non seruas: quid obsecro malitiosa pertinacia est, si hæc non est? Herodes huius negotij proprijssimū fuerit exemplū, qui si pollicitationem suam stultam & incogitatam aut mero inscripsisset aut remisisset posteaquā viderat quo votū suum vergeret, minus peccasset & venia dignus erat: nunc vero cum imprudens votum, opere, iam non nescius quid ageret (sciebat enim Ioan. virum esse sanctum & iustū) crudeliter perficit, stultitiæ iungit scelus. Herodem hunc imitantur, qui aduersus Euangelium Christi coniurant, sicut & quadraginta istos Iudæos coniurare videmus, qui tamen eam sibi labem abluissent, si pristinam retractassent sententiam. Huiusmodi enim vota prorsus impia sunt. Nam qui meliora docti in coniuratione perseuerant, & pertinaciam suam temerario iuramento tuentur, iam non simpliciter peccant, sed agnitæ veritati repugnant, hocque impudentius, quo vehementius iuramentum obtendunt, quod sanè citra insignem hypocrisim & gloriationem in malo fieri non potest. Deinde verum esse fateor id omnino opere complendum esse, quod ore semel voueris. Hoc enim suadet veritatis honestas & decus, mendacij item & inconstantiæ infamia: sed si interim votum eiusmodi sit, vt opere perfectum in nefas non abeat, aut maiorem inurat infamiam. Quod si aut infamat aut scelus est, præstat quidem verbis peccasse tantum, quam male sanis verbis pessima iungere facta. Neque enim frustra in lege dicitur, Si quidpiam voueris DOMINO DEO TVO. Atqui Deus impijs & illegitimis rebus non delectatur, ergo lege Dei non astringeris voto, si cum errore aut scelere coniunctum sit. Tale proculdubio erat & votum Iephtae, qui parricidium Deo vouerat, atque constanter ad verba legis respiciens dicebat: Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Atqui minus peccasset si de stulta promissione pœnitens filiam nō iugulasset. Nam & Iosephus testatur votū Iephtae neque legitimum neque Deo gratum fuisse. Verba eius si quis requirat hæc sunt, Iephtae Deum pro victoria deprecatus & sacrificiū promittens, vt si viuus reuerteretur, quicquid ei primo occurreret immolaret. Congressus longe vicit: reuersus autē calamitatē incurrit nullo modo priscæ felicitatis æqualem. Nam ei filia vnigenita & virgo occurrit, quam sibi obuiam venisse ingemiscens culpabat, quā sacrificandam Deo deuouerat. Et ipsam quidē aliquo tempore transeunte, pater immolauit, nec legitimum faciens holocaustum, nec Deo charum, non vtiq; deliberans apud animū suum qualis apud cæteros huius facti caussa videretur. Cui & Hieron. in lib. Aduersus Iouinianum astipulatur. Melius ergo feceris, ô frater, si ab impio facto abstinueris, quam si stulta verba & vota periculosa cōstanter perfeceris. Iam quod Prophetæ locum attinet in Psal. 75. non loquitur de istorum votis stultis, sed de muneribus Deo offerendis. Sic enim habent Prophetæ verba, Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius sunt afferte munera. En posterior sentētia explicat quid priore voluerit. Imò in plerisq; veteris instrumenti libris vouendi ratio non erat sine externo sacrificio, quin potius ipsum votū erat sacrificium. Tota ergo illa vouendi ratio abrogata est. Nam omnes legis victimæ, hostiæ & oblationes in Christo Iesu abrogatæ sunt. Christiani propria corpora nostra Deo offerimus, mundas preces, gratiarum actionē ac eleemosynas synceras. Hæc inquā sunt vota nostra. Porrò locus Apostoli 1. Timoth. 5. pro nobis, nihil contra nos facit. Præcipit enim Timotheo suo Apostolus, ne temere aut cito eas suscipiat quas adigit stultitia, vt simulent adeoq; & spondeāt castimoniam. Scire enim se quod multa mendaciter polliceantur, vnde cum paulò post ex necessitate immutare cogantur vitę suæ statum, enascatur κρίμα iudiciū siue dominatio (ein nachred vnd fürzug) quod primæ isti nō steterint promissioni. Proinde illas priusquā in iudicium incidant, à stulto voto arcendas esse

An omnia vota præstanda.

Herodis pollicitatio.

Iusiurandum in malo.

Promißis stare

Votū Iephtae.

Vouete & reddite.

Locus Pauli de violata fide 1. Timoth. 5.

das esse tradit. Iudicium ergo siue condemnatio eo loci non accipitur pro morte & interitu animæ, sed pro macula infamiæ. Legatur autem ex integro locus Pauli, & apparebit quibus suffragetur. Hęc de votis paucula quidem & ante annos aliquot scripta ad D. Vuernherum Steynerum virum pium & amicum nostrum singularem, huc pro re nata inserere libuit, non vt ijs tibi prorsus hac in caussa satisfacerem. Scio enim quàm prolixam hæc postulent disputationem, sed vt ampliora cogitandi suppeterem ansam. Redimus nunc ad historiam.

Cum autem audisset filius sororis Pauli insidias, venit & intrauit in castra, nuntiauitque Paulo. Accersito autem Paulus ad se vno ex centurionibus ait: Adolescentem hunc adduc ad Tribunum: habet enim quod renunciet illi. Et ille quidem assumens eum, duxit ad Tribunum, & ait: Vinctus Paulus accersitum me rogauit, vt hunc adolescentem perducerem ad te, habentem aliquid quod loquatur tibi. Apprehensa autem Tribunus manu illius, secessit cum eo seorsum, & percontatus est illum: Quid est quod habes significandum mihi? Ille autem dixit: Iudæi conspirarunt vt rogarent te, vti crastino die educeres Paulum in Concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo: tu verò ne morem gesseris illis. Insidiantur enim ei ex eis viri plures quadraginta, qui seipsos deuouerunt, ne vel edant, vel bibant, donec interficiāt eum, & nunc parati sunt expectantes, vt promittas.

Destruit impiorum consilia Dominus, non vtiq; cum negotio, sed citra negotium, leui aliquo commento: vt videamus quàm langueát vires nostræ aduersus veritatem verbi eius. Per adolescentulum ergo nepotem Pauli (habuit enim sororem maritatam Apostolus) hoc loco destruit omnes Iudæorum conatus. Ita olim vnius mulierculæ viribus fortissima Assyriorum castra attriuit. Atque hic miris modis commendatur à Luca Centurionis & Tribuni humanitas atq; facilitas. Haud enim grauatim ille Paulo obsequitur, hic verò adolescentem libentissimè audit. Huc enim pertinet, quod refert Tribunum quàm familiarissimè adolescentis apprehendisse manum (hoc enim gestu significamus nos optimè ei velle cuius manum apprehendimus) secessisse ac rogasse, Quid haberet sibi significandum? Et cum iam omnem rem vt à Paulo commissa erat, & vt ipse à coniuratoribus intellexerat, retulisset, nihil mali (quod tamen mirum) suspicatus Tribunus, quasi hæc narratio captiui artibus contexta esset, statim narrationi credidit: quod aliâs quoq; profunda huius gentis malitia sibi perspectissima esset, vel ex hesterna proteruia atq; iniuria. Huius ergo Tribuni exemplo discant nostri principes prudentiæ humanitatem ac facilitatem iungere. Inuenias enim qui neminem nisi præsigni authoritate præditum amicè excipiant aut audiant, præterea omnibus ex æquo grauatim credant, quantumuis hoc quod dicitur multis cùm coniecturis tum testimonijs approbetur. At multis hæc difficultas exitio fuit. Vituperanda quidem est nimia credulitas, sed interim nō laudanda ista quorundam supina negligentia. Notissimum enim est vulgatum prouerbium, Amyclas perijsse tacendo. Contra verò, Qui cito credit (dicit Sapiens) leuis est corde, & delinquit in animam suam. Rectè ergo Flaccus dicit, Virtus est medium vitiorum vtrinq; redactum. Iam & Pauli prudentia diligenter est obseruanda. Tametsi enim Deo fideret, & patientia illi seruiendum esse sciret, tamen admonitionem fidelem opportunitatemque non negligit. Hoc ipsum & Chrysostomus annotauit, dicens: Et dignum fuerit cum stupore admirari Paulum ad hanc adolescentis admonitionem, non turbatum fuisse, aut dixisse, Quid hoc est? nunquid decepit Christus, qui dixit, Oportebit te & Romæ testificari? Sed nihil tale cogitauit aut accidit ei, sed solum credidit. Iam etsi credidit, somniculosus tamen non fuit, sed quæ per humanam sapientiam contueri poterat, protulit. Hæc Chrysost. Videas & sanctos Dei Prophetas principum amicitiam, auxilia & consilia non aspernari. Vbi ergo nūc sunt qui clamant, Quid Euangelij prædicatoribus cum magistratu? Quid credenti opus stipendiarijs? Si Deo & Euangelio credit, prodeat in medium hostium, & percussus in alteram maxillam, prębeat & alteram. Hæc enim vanorum hominum verba sunt. Cur enim hic non prodijt Paulus in coniuratorum cuneum? Cur hoc negotium ad Tribunum retulit per Centurionem? Si ergo Paulo licuit prophano vti magistratu pro gloria Euangelij asserenda, suaque salute tuenda, cur idem non postularemus ab ijs, qui Christiano nomine gloriantur, imò qui & Christo nomina sua in baptismi symbolo dediderunt? Cæterum hanc rem tractauit diligentissimè Aurelius Augustinus multis in locis aduersus hæreticos eadem ijsdem penè verbis obijcientes, maximè tamen in libris aduersus Donatistas scriptis, & in 2. libro quo Petiliani respondet Epistolæ. Illum autem hoc libentius cito, quod

Principes humani sint.

Paulus armis Romanorum bene vtitur.

Vsus armorum in rebus ecclesiasticis.

omnia huius negotij scripturis & rationibus sanis à fide & charitate nihil discrepantibus videatur tractare. Quod si quis Augustini opera non habet, aut omnia illa euoluere non potest, hanc huius negotij summam accipiat, quam idem ille contexuit in libro de Correctione Donatistarum ad Bonifacium cap.13. in hæc verba, Quod enim dicunt qui contra suas impietates leges iustas institui nolũt, Non petijsse à regibus terræ Apostolos talia, Non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret? Quando adhuc illud propheticum complebatur, Quare fremuerũt Gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius? Nondum autem agebatur quod paulò post in eodem Psalmo dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fiunt religiosa seueritate fiunt prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter. Quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Sicut seruiuit
4.Re.15. Ezechias lucos & templa idolorum & illa excelsa, quæ contra præceptum Dei fuerant constru-
4.Re.22. cta destruendo. Sicut seruiuit Iosias talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit rex Niniuitarum vniuersam
Ionæ 3. ciuitatem ad placandum Deum compellendo. Sicut seruiuit Darius idolum frangendum in manus
Dan.14. Danielis dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodonosor omnes in re-
Dan. 6. gno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt Domino reges
Dan.3. in quantum reges sunt, quum ea faciunt ad seruiendum illi quæ non possunt facere nisi reges. Cum itaque nondum reges Domino seruirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditarentur inania aduersus eum, & aduersus Christum eius, vt Prophetarum prædicta omnia complerentur, non vtique tunc poterant impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporum vol-
Ioan.16. uebatur, vt & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officium Deo facere, sicut prædixerat Christus, & Gentes fremuerunt aduersus Christianos, vt omnis patientia martyrum vinceret.
Psal.71. Postea verò quàm cœpit impleri quod scriptum est, Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi. Quis mente sobrius regibus dicat? Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri. Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse siue religiosus siue sacrilegus, quibus dici non potest, Non ad vos pertineat in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus? Et quæ sequuntur. Huc enim pertinet quod in 9. capite huius libri de violenta Pauli conuersione citauimus.

Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcepitq; ei, ne cui effutias, inquiens, quod hæc indicaueris mihi. Et accersitis duobus quibusdam centurionibus, dixit: Parate milites ducentos, vt eant Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos à tertia hora noctis, & iumenta præbete, vt impositum Paulum, saluum perducant ad Felicem præsidem, scriptis literis in hanc formam:

Occultanda consilia. Iterum laudatur Tribuni prudentia, qui in hoc taciturnitatem ab adolescente postulat, ne Iudæi vel consilium mutarent, vel ex re manifestata æstimarent Tribuni consilium, quale futurum foret. Maxima autem semper fuit in occultandis consilijs cura vetustis. Vnde Metellus pius in Hispania interrogatus, quid postera die facturus esset? Tunicam meam si id eloqui posset (inquit) comburerem. Author Iulius Frontinus lib.1. Stratag. cap.1. Tribunus ergo vt Romanum ciuem iniquorum eriperet manibus, milites designat 470. hoc est, equites 70. pedites 400. qui ipsum saluum ad Felicem perducant. Rursus ne conductus ille maioris existeret caussa tumultus, illum sub noctem, Iudæis nihil tale suspicantibus instituit. Multum enim refert quo tempore quæque faciamus. Porrò Lucas per στρατιώτας, quos interpres noster vertit milites, eos intellexit, quos nos vocamus pedites. At per δεξιολάβους, quos lancearios vertit, ferè sagittarios intellexit. Missilibus enim vtebatur vetustas. Et δεξιολάβους dixit quod dextra mitterent missilia siue hastilia. Statim autem post illa verba, Vt saluum perducant ad Felicem, sequitur in vulgatis exemplaribus, Timuit enim ne forte raperent eum Iudæi & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret tanquam accepturus pecuniam. Sed cum nõ extent in Græcis exemplaribus & è margine videantur irrepsisse, ab interprete nostro omissa sunt.

Claudius Lysias potentissimo præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum à Iudæis, cum iam esset interficiendus ab eis, superueniens cum

exercitu,

exercitu,eripui,cognito quod Romanus esset. Volensq; scire caussam, ob quam accusarent illum,deduxi eum in Concilium eorum. Quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorum,nullum dignum morte aut vinculis habentem crimen. Et cum indicatum esset mihi de insidijs quas parauerant illi Iudæi,protinus misi eũ ad te,præcepto dato etiam accusatoribus, vt quæ habent aduersus eum dicant apud te. Vale.

Nihil est non obuium & facile in hac Epistola. Expositoria enim est,breui ac castrensi stilo conscripta. Breuibus enim exponit quis Paulus sit,& quam ob caussam in vincula deuenerit. Cæterum cum in ea palàm dixisset nullum in eo crimen inuentum esse morte aut vinculis dignum, ac Felix obijcere potuisset,Cur ergo non dimisisti innoxium? præuenit & ait,Insidiæ Iudæorum id non per miserunt, publicæq; pacis periculum. Quocirca misi eum ad te,accusatoribus etiam eius præcepto dato,vt & ipsi proficiscantur ad te,caussamq; istam coram te absoluant. *Noluit c— Cal lio iudex esse iudaicarũ quæstionum.*

Milites verò iuxta quod sibi iniunctum erat,receptum Paulũ duxerunt per noctem Antipatridem. Postero autem die dimissis equitibus,vt cum eo irent,reuersi sunt in castra. Qui cum venissent Cæsaream,ac tradidissent epistolam Præsidi,statuerunt coram eo & Paulum. Cum legisset autem Præses, & interrogasset ex qua prouincia esset, & cognouisset quòd ex Cilicia: Audiam te,inquit,cum accusatores quoq; tui aduenerint. Iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum.

Omnia diligenter describuntur à Luca, vt videamus quomodo Deus sanctos suos exerceat,& omni periculo liberet. Cum autem res,iam extra periculum esset soli equites ab Antipatrida Paulum Cæsaream deducunt,eam inquam quæ quondam dicebatur Turris Stratonis. Hic & Felix Iudææ Præses insigne æquitatis exhibat specimen, dum ait, Audiam te cum accusatores quoque tui venerint. Publicus enim omnium sensus clamitat, & alteram partem esse audiendam. Vide autem quod vbiq; Gentes Iudæis meliores sunt,quanquam id quidem esset diuinæ gratiæ,qua Paulum ad vberiorem Euangelicæ doctrinæ frugem voluit conseruare. Quocirca & Felix hunc in prætorio Herodis, quod videlicet ab Herode constructum erat,asseruari iubet. Prætorium autem illi vocarunt, quod Germani appellamus,Das radt oder richthauß. *Audienda etiã altera pars.*

CAPVT XXIIII.

POst quinq; autem dies descendit princeps sacerdotũ Ananias cum senioribus & Tertullo quodam oratore,qui adierunt Præsidem contra Paulum. Et citato Paulo,cœpit accusare Tertullus,dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa rectè gerantur in populo hoc per tuam prouidentiam,& semper & vbiq; comprobamus,prestantissime Felix,cum omni gratiarum actione. Sed ne diutius te detineam, oro te vt audias nos paucis pro tua humanitate. Nacti enim sumus virum hunc pestiferum,& concitantem seditionem omnibus Iudæis in vniuerso orbe,& authorem sectæ Nazarenorum,qui etiam templum prophanare conatus est,quem & apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare. Sed superueniens Tribunus Lysias,cum magna vi eripuit eum è manibus nostris,iubens accusatores ad te venire,ex quo poteris ipse, inquisitione facta, de omnibus istis cognoscere de quibus nos accusamus eum. Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere.


ALIAM nunc pugnam describit, in qua electionis vas Paulus virtute Christi,mendaciorum & calumniarum nebulas discutiens,longè vicerit. Sed vt gloriosior esset veritatis victoria,magna verborum euidentia aduersarios Pauli pingit,ac fori seueram aliquam oculis proponit imaginem: his omnibus obijcit Paulum,eumq; solum omniq; præsidio hu- *Victoria veritatis.*

Oratio Tertulli satis frigida. mano destitutum, adeoque & vinctum, interim tamen multa libertate vtentem. Tanta est veritatis confidentia. Oratio autem Tertulli in iudiciali genere adhibita, admodum est rhetorica, sed propter ineptam caussam satis mendax, & frigida. Exordium quo sibi præsidis fauorem eblandiri cupit, tractum est ab encomio beneficiorum Felicis, habetq; adulationis & artis plurimum. Dum enim à seruandæ pacis cura Felicem commendat, simul & Pauli caussam reddit odiosissimam, quam non alio crimine magis vrget, quàm tumultus & seditionis. Hoc autem dicit, Quod in tam prospera agimus pace, multaq; officia accipit populus Iudaicus, id vni tibi tuæq; acceptum ferimus prudentiæ, adeoque & gratias agimus immortales, simul & illud sperantes te & in hac caussa, quam nunc deferimus nostræ gentis tranquillitati consulturum. His protinus adijcit, Sed ne diutius te detineam, oro vt pro hnmanitate tua nos paucis audias. Quæ sanè transitio est, à breuitate gratiam quærens, & simul fiduciam quandam complectens bonitatis caussæ, tanquam multis non sit opus præfari aduersum hominem seditiosum, coram illo qui publicæ tranquillitati adeo faueret. Ab his mox narrationem ipsam init, summatim complectens rem gestam, cum criminatione adiecta (λοιμὸν, id est, pestem vocatur hominem vehementer pestiferum) & nuda earum rerum enumeratione, de quibus Iudæi Paulum sperabant iudicandum. Tria autem potissimum illi impingunt. Primum, Seditionem, quam & *Accusationis capita.* illo amplificant, quod hanc non ipsis tantùm, sed omnibus etiam Iudæis in vniuerso orbe excitarit. Secundum, Nouum & impium dogma. Paulum enim appellitant πρωτοστάτην τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, id est, præfectum, primarium, ducem atque antesignanum sectæ Nazaræorum. Nam ipsum Christianorum vulgus probroso vocabulo Nazaræos, at ipsum dogma Euangelicum Hæresim nuncupabant Nazarenicam. Tertium, Prophanationem templi. Id quod propter Trophimum Ephesium (vt in 21. *Testimonia.* Cap. auditum est) impegerunt. Istis addunt testimonia coniecturalia, ipsa inquam vincula, quæ illi in templo nequaquam iniecissent, nisi in tantis fuisset deprehensus flagitijs. Sed & Tribunū Lysiam testem statuunt. Postremò quotquot astabant adiecerunt ita habere omnia, sicut enumerarat Tertullus. Iam enim simul & accusatores & testes facti erant, æqui, si dijs placet, viri, hoc ipso prodentes impudentiam & iniustitiam illam suam maximam. Indicat autem hoc loco Beda vulgatam æditionem noui Testamenti, quæ sua ætate fuerit recepta, sic habuisse hunc locum, Quem & apprehendimus, à quo poteris ipse iudicans de omnibus cognoscere: vt ablatiuus quo, referatur ad Paulum velut non negaturum quod illi obtendissent. Idem mox aliam lectionem ex Græcis afferens exemplaribus, eandem substituit quam in præsentiarum recensuit Erasmus, qui tamen & ipse fatetur ista in multis Græcorum exemplaribus non haberi.

Respondit autem Paulus, cum annuisset ipse Præses, vt diceret. Æquiore animo pro meipso causam dico, cum sciam te multis iam annis iudicem fuisse genti huic, qui possis cognoscere, quòd non plures sunt mihi dies quàm duodecim, ex quo ascendi adoraturus Hierosolymam: & neque in templo compererunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neq; in Synagogis, neq; in ciuitate, neq; probare possunt ea de quibus me accusant.

Qui ergo Tertullum hactenus strenue accusantem audistis, nunc oro ab istis asperginibus re- *Modestia Pauli.* purgantem sese Paulum patienter audite: cuius modestia nobis statim à principio commendatur, quod ad tantas calumnias nihil asperius respondens, facultatem dicendi sibi à iudice factā, expectarit. At cum illi iam facta esset, vide quàm mature, quàm prudenter & constanter ad omnia, imò singulas ordine respondet, idq; ex tempore. Initio beneuolentiam captat, sed parcius & circa omnem adulationis suspicionem. Ducit enim exordium partim ab aduersariorū dictis, partim à iudicis persona. Quasi dicat: Gratulantur equidem aduersarij mei sibi eum obuenisse iudicem, qui vt publicæ tranquillitatis acerrimus sit assertor, ita seditiosorū seuerissimus vltor: at ego mihijpsi gratulor, quod is mihi obtigit iudex, qui & longa rerum experientia didicit, qui nam publicæ tranquillitatis turbatores sint maximi, illi nimirum qui quod ipsi sunt alijs impingunt: gratulor inquam mihi, quod is mi- *Seditionis crimen à se amolitur.* hi obtigit iudex, qui facile quid verum aut quid falsum sit deprehendere potest. Atq; hic protinus à tempore argumentum trahens primam diluit calumniam, dicens, Illi sanè seditionis me insimulant maximæ: cæterum cum non plures sint mihi quàm dies duodecim, ex quo ascendi Hierosolymam, ex breuissimo temporis spacio facile cognoscere potes, an ego rem tantam adornare ac facere potuerim. Deinde verò & à caussarum loco argumentans, addit: Neque tumultuaturus, sed adoraturus ascendi. Rursus à loco per partitionem suæ caussæ fulcra admoliens, Neq; in templo (ait) neq; in Synagoga, neque in ciuitate repererunt me cum quoquam disputantem, aut vllum populi concursum facientem.

facientem. Demum verò veluti mendaciorum pertesus paucis omnia dicit & ait: Sed quid pluribus opus? Mentiuntur, nec vllis idoneis argumentis probare possunt ea, de quibus me impudentissimè accusarunt, siue vt Græce significantius scriptum est, οὔτε παραστῆσαι μὲ δύνανται, id est, nec exhibere me possunt. Exhibere enim dixit pro vincere. Id quod Germanicè sic efferimus, Sy werdend es nimmermer mögen auff mich bringen. Hæc ad accusationem primam respondit. Nam quod præterea & pestem vocarat, ceu surda aure transit, nolens conuitium rependere conuitio: ad ea quæ necessaria videbantur respondet.

Confiteor autem hoc tibi, quòd iuxta viam quam vocant hæresim, sic colo patrium deum, credens omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, fore, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem mortuorum iustorum simul & iniustorum. Quin in hoc & ipse studio sine offendiculo conscientiam habere erga Deum, & erga homines semper.

Istis respondet posteriori accusationi expurgans se de nouo & impio dogmate, simul & claram synceramq; liberè confitens veritatem. Non autem nego (inquit) quod Christianũ mihi dogma obijciunt, hoc autẽ non agnosco, quod illud mihi tanquam errorem, aut certè impiũ religionis morem obijciunt. Non enim nouum aliquem Deum aut agnosco aut prædico, sed Deum patrium: nec alio modo aliáue ratione, quàm ea quam Lex & Prophetæ præscripserunt. Maximè quod in Christo Iesu futura sit mortuorum resurrectio & vita æterna: quam & expecto & eius rei gratia innocentiæ studeo cùm erga Deum tum erga proximos. Hæc summa est eorum, quæ opposuit criminationi de nouo & impio dogmate. Poterat autem videri Paulus hæreseos vocabulum mitigare voluisse, cum dixit, κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν, iuxta viam quam dicunt hæresim, nisi Erasmus monuisset Hæresis vocabulum apud veteres non fuisse tam odiosum, quàm hodie apud nos sit, hac ergo Paulum ceu nota vulgo voce exposuisse, quod magis ad Hebraicum idonea accedens dixerat viam. Quin & paulò post in Capite 26. Hæresis vocabulum in bonam partem dum se dixit Pharisaicæ fuisse sectæ, vsurpat: quem admodum & Cicero apud nos in procemio Paradox. de Catone loquens, In ea est (inquit) hæresi quæ nullum sequitur florem orationis. Est & Sectæ vocabulum Latinis medium. Hæresis autem dicitur confirmata de aliquo dogmate opinio. Ex hoc autem loco clarissimè liquet quinam hæresim doceant hodie, aut qui demum nouum & impium dogma in orbem dissеminent. Certè Paulus sanæ doctrinæ potissima recensens capita, scopum veræ religionis ostendit esse Deum, nec quemlibet (sunt enim dij plurimi & idola innumera) sed patrium, id est, veterem illum omnium rerum conditorem, quem Abraham, Isaac & Iacob, denique omnes sancti patres coluerunt. Sed & modus colendi Deum ex scripturis à Paulo sumitur & scripturis probatur. Non enim placet Deo quiuis ipsum colendi ritus, sed quem ipse nobis præscripsit. Vnde iam consequitur illos tradere nouam fidem, qui nuper natos Diuos colere docent, modumque colendi iuxta humanarum legum instituta præscribunt. Iam & paulò rectioribus verbis & Christi profitetur mysterium, cum resurrectionis & bonæ conscientiæ meminit. Nam extra Christum nulla est resurrectio aut bona conscientia. Discimus ergo in solo Christo sperandam esse resurrectionem & vitam: denique iustitiæ & innocentiæ studium, verum Dei esse cultum. Id quod iterum nostrorum temporum dogmatis repugnat ex diametro, quod ea habeant plurima alia quibus vitam & salutem tribuunt. Iudicent ergo Lectores, qui nuperam tueantur fidem atq; doctrinam.

Expurgat se de nouo & impio dogmate.

Hæresis noua & vetus doctrina.

Post annos autem plures accessi, eleemosynas exhibiturus in gentem meam, & oblationes, in quibus compererunt me purificatũ in templo, haud cum turba, neq; cum tumultu. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat te præsto esse & accusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicant, si quid deprehenderunt in me iniquitatis, cum stem in Concilio: nisi de vna hac voce, qua clamaui inter eos stans: De resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à vobis.

Ad tertiam hisce respondet calumniam, qua illi intentarant immane illud flagitium, quod prophanasset templum, atq; orationem sic attemperat, vt simul & tumultus culpam omnem in Iudæos retorqueat authores. Summa autem eorum quæ dicit hæc est, Si beneficia in populum conferre pestilentem esse, si iuxta Legem purificari, oblationes, id est, sacrificia offerre, & tranquille in templo agere, est templum prophanare, aut seditionis authorem esse, iam planè fateor vera esse, quæ illi mihi impegerunt. Si verò illi templum prophanant, qui istiusmodi deditum interturbant, iam Iudæi

Quod Paulus nullam turbam excitarit aut templum prophanarit.

tales sunt, qualem me esse vellent. Ego enim ne quid turbę nasceretur, raso capite & voto suscepto intraui templum: vt nunc in ipsa oblatione (proh facinus) me adorti sint. Porro Asiatici Iudęi (ne quis me de præsentibus loquutum intelligat) totius turbæ huius omnisq; iniuriæ mihi irrogatæ authores fuere, qui si quid iustæ in me haberent caussæ, procul dubio, vt mei sanguinis sitientissimi sunt, adessent, nunc autem cum iudicium hoc declinarunt, apertissimè de sese prodiderunt, quod caussæ diffidentes, nihil habent quo me iure accusent. Imò ne hi quidem qui coram astant habent quod obijciant. Si enim quippiam habent, non deprecor, proferant quicquid facinoris de me norunt: sed nihil (scio) norunt, nisi illud forsan volent calumniari (ecce quàm prudenter præoccupat quod ab illis obijci poterat) quod iampridem in consilium illorum adductus, clamaui, me quidem Pharisæum esse, id est, ea parte accedere placitis Pharisæorum, qua illi cum Christiana religione tuentur mortuorum resurrectionem, quam dum Sadducæi negant, dissensio inter illos orta est non modica. Id sanè seditionis agnosco ex libera mea veri confessione ortũ esse, si modo ea mihi impingenda est dissensio, quam ex confessione mea non iam primum concepere, sed iam olim longa & auita consuetudine aluere. Sanè (vtcunque res cesserit) nihil aliud quàm quod verum erat, & quod ipsi Pharisæi credunt, confessus sum. Cur ergo mihi id cum Pharisæis confitenti, verteretur vitio, quod illis impune confiteri licet quoties libet? De eleemosyna siue collectis sæpius iam dictum est. Porrò harum in hac re mentione videtur id maxime significasse, quod ij demum verum Domini templum sanctificent, qui beneficijs iuuant inopes. Illi enim sunt veri Dei templum. Notatur prętereà & ingratitudo humana, quæ & Christo pro beneficijs rependebat crucem. Annotauit & Erasmus illam sententiam, Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat præsto esse, inabsolutam, & proinde subaudiendum esse, Illi tumultum excitarunt, non ego. Cætera verò satis exposita sunt. Hactenus enim de Apologia Pauli, qua vt nihil inuenias elegantius, ita nihil constantius: vt vel ex hac vna liqueat quæ sit veritatis confidentia & libertas.

Auditis autem his, Felix distulit eos, certo sciens quæ ad eam viam attinebant, dicẽs: Cum tribunus Lysias descenderit, pernoscam causam vestrã, iussitq; centurioni vt custodiret Paulum, sineretq; eum relaxari, & ne quem ex illius familiaribus vetaret subministrare ei, aut adire eum.

Distulit illos Felix, id est, in aliud tempus caussam istam differre voluit, duabus ex caussis. Principio quod probè ipsi cogniti essent Iudæorum mores, perspecta quoq; dogmata Iudaica, vnde potuit coniectare Pauli caussam non tam malam esse quàm hostes ipsius, inuidum genus hominum, vndique corrasis coniecturis & frigidis argumentis exaggerabant. Deinde quod omne testimonij præsidium in vno collocassent Lysia Tribuno: à quo ipse interim Felix omnem rei gestæ seriem se perscrutaturum promittit: hac vtiq; ceu commoda declinatione accusatores à sese repellens. Nam Paulum ipsum custodiri quidem iubet, sed mitiore custodia adeoque & libera. ἄνεσιν enim, id est, relaxationem, ne scilicet durius aut arctius haberetur, illi dari iubet, neque familiarium quenquam, aut qui ipsi aliquid beneficij conferre vellet, arceri præcipit: hoc ipso innocentiæ Pauli certum ferens argumentum. Cæterum discimus nos iterum quàm benignus sit Dominus, qui nullibi sanctos suos deserit, sed vbique, maximè verò in periculorum procellis dexter adest. Iterum enim infecta re discedunt Iudæi. Paulus contra ceu victor exultat, interim tamen in custodia, sed libera. Præterea videmus prophanas gentes iudicesq; barbaros verbi ministris olim multò fuisse mitiores, quàm nunc quidam sint qui nomen Christianum adeoque religiosorum profitentur, re ipsa hypocritæ & crudeles bestiæ sunt.

Post aliquot autem dies, cum aduenisset Felix cum Drusilla vxore sua quæ erat Iudæa, accersiuit Paulum & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum. Disputante autem illo de iustitia, & temperantia, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: In præsentia abi, cæterum opportunitatem nactus accersam te, simul & illud sperans, fore, vt pecunia sibi daretur à Paulo, vt solueret ipsum, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.

De Felice & vxore eius.

De Felice hoc viro aliàs satis prudente complura scripsit Iosephus. Sex. Aurelius Victor in vita Claudij parum ipsi tribuit laudis. Nam liberti (inquit) eius (Claudij videlicet, aut Messalinæ potius, apud quam erat summa rerum administratio) potestatem summam adepti stupris exilio cæde proscriptionibus omnia fœdabant: ex quibus Felicem legionibus Iudææ præfecit. Quibus & illud astipulatur

pulatur quod hic à Luca refertur Drusillam fuisse Felicis vxorem. Fuit autem Drusilla hæc regis Herodis quem in Cæsarea percusſit angelus, filia, religione Iudæa, soror regis Agrippæ, de quo paulò post audiemus. Hic Aziazo regi Amasorum (vt recenset Iosephus antiquitatuum lib. 19. cap. 9.) volenti se circuncidere, Drusillam hanc dedit vxorem. Epiphanes enim Antiochi regis filius, cui viuente adhuc patre desponsata erat, nolens Iudæorum sequi morem, nuptias eius refutauit. Nuptiæ ergo inter Aziazum regem & Drusillam celebratæ, mox huiusmodi causa solutæ sunt. Dum Felix in Iudæam venisset administrator, videns hanc cunctas mulieres pulchritudine præcellentem eius speciem concupiuit, & quendam Iudæum Simonem nomine, amicum suum, Cyprium genere, hominem magum mittens ad eam, suadebat vt derelicto rege Amasorum marito suo, nuberet ei felicissimam illam fore promittens, si eius thorum non despiceret. Illa vero eius flexa promissis, priore marito deserto, Felici nupsit. Ex quibus iam claret verissimum esse quod de Felice prodidit Aurelius Victor. Quem deinde imitatus Eutropius lib. de Gestis Roman. 8. ijsdem verbis eadem de Felice testatus est. Felix ergo cum aliquousq; aliò comigrasset, iamq; rediijsset, Paulum euocat in colloquium, & præsente vxore sua Drusilla, cupit à Paulo plenius edoceri de secta quam profitebatur, non vtiq; quod veritatis teneretur desiderio, sed quod curiositate & muliebri stultitia, quæ semper rebus delectatur nouis, impulsus, negotium Christi, de quo multa ferebantur mirabilia, audire cuperet. Paulus ergo nihil moratus qualis esset aut quo animo sciscitaretur, haud suauia aut delicatula, noua & admirabilia, sed illud potius quod verū erat, & quod illis maxime necessariū videbatur, magna authoritate & grauitate edicit adeo vt toti ad prædicationem eius consternerentur. Nam de iustitia, temperantia & iudicio disserit. Lucas autem non nisi capita orationis (pro more suo) ascribit: at nos interim ex rebus præsentibus tum alijs à Paulo scriptis, facile coniecturare possumus quid aut quomodo de hisce disseruerit. De iustitia enim aliud dicere non potuit, quam quod ad Romanos scripsit, iustum ex fide viuere, & veram iustitiam aliud non esse, quam fidem in Iesum Christum. Cæterum cum Felix præterea & iudex & totius regionis præfectus esset, procul dubio & de ea latius disputauit iustitia, quæ vnicuique suum tribuit. Rursus apud intemperantes & omnis luxus infamia commaculatos nihil potuit quadrantius dici quam temperantiam decere homines in conspicuo loco constitutos, quales sunt qui rerum summæ præfecti alijs omnibus iustitia & honestate prælucere debent. Et procul dubio grauissimè hoc loco accusauit scortationem, stupra & violatam coniugum fidem, adeo vt Felix & Drusilla facile intelligerent sibi hæc omnia dici, & istæc in se proprie competere. Videmus enim & Ioannem Baptistam ad Herodem palàm dixisse, Rem te, ô Herodes, indignam & prorsus illicitam facis. Imò tota scriptura sacra nihil perinde persequitur atque intemperantiam. Iam vero cum nulli arietes humanum pectus concutiant vehementius quam spes & metus, tandē & de tremendo Dei iudicio differit, vt metu pœnæ & spe bonorum vitæ futuræ, ad pœnitentiam pertraheret. Sed frustra. Territus quidem dicitur Felix ad prædicationem Pauli, sed non ad pœnitentiam terrore conuersus. Atqui terror nihil prodest nisi adigat ad pœnitentiam. Imò quam in syncera mente audierit verbum Domini consequentia declarant. Nunc enim de Christo & iustitia plura differere volentem, ablegat. Non enim talem disputationem expectarat: nec Christum, nec iustitiam eius, nec temperantiam magni æstimabat, cui nihil aliud quam mundum norat. Deinde eundem sæpius reuocat Paulum, & plurima commentatur cum eo, sed denuo non ea mente quod veritatem amaret, sed quod munera ambiret. Cum enim & Cæsarum legibus damnatum esset iudicium ære redemptum, Felix nihil audens postulare impudentius, saltem colloquio occasionem offerendæ pecuniæ voluit suppeditare, nimirum vt contracta familiaritas perspectaq; præsidis facilitas excuteret pudorem, quem suspicabatur obstare, quo minus auderet Paulus offerre pecuniam: sed prorsus fallebatur. Damnantur autem hoc tam fœdo exemplo Felicis largitiones, corrupta iudicia, & auaritia. Verissime autem in Romanorum auaritiam apud Iustinum dixit rex Mithridates, Non temere iactare Romanos conditores suos lupæ vberibus alitos. Omnes enim Romanos luporum animos habere, inexplebiles sanguinis atq; imperij, diuitiarumq; illos auidos esse & ieiunos. Dominus ergo apud Mosen Exod. 18. Elige (inquit) tibi ex omni plebe viros fortes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & ex his magistratum constitue. Et Exodi 23. Non accipies (ait) munera, quia munera excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. De hoc ipso est & prouerbium in Chiliadibus, Munerum corruptela.

Oratio Pauli coram Felice.

Ad hunc modū multi hodie Euangelium audiunt.

Largitiones.

Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum

Beda biennium intelligit ab initio captiuitatis Pauli supputatum, non autem ad tempus præfecturæ præscriptum. Cui & illud accedit, quod paulò ante Paulus confessus est Felicem multis annis genti huic iudicem fuisse. Eusebius in Chronicis author est Claudium imperatorem in Iudæam

Forte tum primū totius prouinciæ procuratorem dedit.

misisse Felicem anno regni sui vndecimo. Idem testatur Felicem II. Neronis anno reuocatum, successorem accepisse Festum. Omnes ergo anni Felicis quibus Iudææ præfuit colliguntur plus minus sex. Porro Iosephus multo plures annos computauit. Nam in 19. lib. cap. 9. palàm meminit decem annorum. Magis ergo placet Bedæ sententia, qui historias citans, Felicem ait eo tempore Hierosolymá esse missum, quo Agrippa, Herodis Agrippæ, quem angelus Cæsareæ percussit, filius, regno fuerit inauguratus. Id autem factum meminit Eusebius quarto Claudij anno: vnde nunc plus minus duodecim anni præfecturæ Felicis colliguntur. Illud porrò corrupti & prophani animi indicium est, quod in gratiam profligatissimorum nebulonum (nebulonum enim collegium erat, qui Paulum accusarant) innocentem & sanctum virum vinctum relinquit. Ita audiuimus & in 12. capite Iacobum in gratiam Iudæorum fuisse cæsum, & Petrum in carcerem coniectum. Sancti enim perpetuo impijs magnatibus ludendi sibiq; mutuo gratificandi materia fuerunt, at ijdem illis quoq; argumentum aliquando certissimæ damnationis erunt.

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER VI.

PROOEMIVM.

EXTREMO *hoc libro absoluetur huius (vt sic dicam) fabulæ catastrophe. Posteaquam enim coram Portio Festo & rege Agrippa disertè causam suam egisset, & Cæsarem appellasset, Iulio centurioni traditus, per varia maris Mediterranei pericula, primum in naui Adrumyttina, mox in Alexandrina Romam abducitur. Cæterum in Adriatico mari naufragium perpetitur, sed saluus vnà cum reliquis (sibi à Deo donatis) quos ea nauis vexerat in insulam Meliten euadit. In hac viperam è manu pendentem excutit in focum, & Publij patrem febribus & dyssenteria grauiter laborantem restituit. Deinde post tres menses iterum naui impositus, Puteolos appulit, inde verò pedes Romam deuenit, in hac verò biennium in libera custodia exegit, prædicans regnum Dei, nemine prohibente.*

CAPVT XXV.

FEstus ergo suscepta prouincia, post triduum ascendit Hierosolymam ab vrbe Cæsarea. Significaruntq; illi princeps sacerdotum ac primores Iudæorum de Paulo, & rogabant eum, postulantes fauorem aduersus eum, vt accerseret eum Hierosolymam, insidias tendentes, vt interficerent eum in via. Festus autem respondit, vt seruaretur quidem Paulus Cæsareæ, se verò breui illò profecturum. Qui ergo inter vos, inquit, potentes sunt, vnà nobiscum descendant, & si quod est in hoc viro crimen, accusent eum.

Fiducia impiorum aduersus sanctos.

ACCINGVNTVR aduersarij ad nouum certamen, in quo tamen non minore succumbunt confusione, quam in superioribus succubuerant. Graphice autem hoc loco describit Lucas quibus rebus confisi sint, & quibus armis se aduersus Paulum instruxerint. Dum (inquit) Portius Festus à Claudio Nerone in Iudæam pro Felice missus, prouinciam suscepisset gubernandam, & iam Hierosolymam quoq; (pro more) ascendisset, sacerdotum grex iniquitati iudicis confisus, fauorem Festi ambit, nempe vt hactenus ipsis faueret, vt Paulum Hierosolymam reduceret. Siquidem coniurati pro prisci consilij ratione proficiscentem intercipere volebant. Proinde nihil causæ fidebant, sed omnem spem ponebant in fauore iudicis & parricidarum insidijs. Hæc est spes & virtus impiorum aduersus veritatem & ministros eius. Et fauore ac odio iudicum vel hodie multi boni viri pereunt, non pauci insidiarum technis. Cæterum fauor siue gratia domini

Fauor & odiũ

quæ

quæ hominum efficacior est, Paulum tutata est. Nam diuina sic volente prouidentia, Festus nulla istorum ratione habita, dicit se Paulum Cæsareæ seruaturum, ibique illum, si quid aduersus eum habeant ipsis exhibiturum. Quod autem paulò post mutatus & sui dissimilis Paulum interrogat, Vis Hierosolymam descendere? prodit se istęc omnia non ex sese vel amore æqui vel iustitiæ fauore agere, sed ex virtute Domini, quæ in prophano homine pro sancto suo efficax fuit. Neq; alia caussa videtur Achaiæ Proconsul Gallio Paulum simul cum Iudæis negligere, quàm quod Deus hoc velut indubitato testimonio comprobare voluit, se citra hominis præsidium, sua duntaxat gratia, quos velit seruare.

Demoratus autem inter eos diebus amplius quàm decem, descendit Cæsaream, & postero die sedit pro tribunali, iussitq; Paulum adduci. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Hierosolyma descenderant Iudæi, multa & grauia crimina intendentes aduersus Paulum, quæ non poterant probare, Paulo pro se respondēte, quod neq; in legem Iudæorum, neq; in templum, neq; in Cæsarem quicquam peccasset.

Tertio iam producitur Paulus, & Iudæorum calumnijs veluti telis quibusdā exponitur petendus. Primum quidem Hierosolymis à Cl. Lysia Tribuno. Deinde Cæsareæ à Felice accusante eum Tertullo. Postremo producitur hic à Festo. Lucas autem hic omnia breuissimis perstringit, quod eandem rem iamiam in 24. exposuisset. Eadem enim hic accusationis capita, quæ ibi recensita sunt: eadem quoq; Apologia Pauli: nisi id fortassis videatur nouum, quod Cæsaris fit mentio. Verum in hoc putarunt Paulum peccasse in Cæsarem, quod Hierosolymis excitasset tumultum: aut quod aliū prædicaret regem Iesum. De qua calumnia dictum est in Cap. 17. Non enim Apostoli sic prædicabant Iesum esse regem siue Messiam, vt Cæsarem reijcerent. Nam & ipse Dominus dixerat, Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. De templo præterea & Lege satis alibi disputatum. Iudæi enim nihil noui afferunt, sed inueteratam canunt cantilenam.

Festus autem volens gratificari Iudæis, respondēs Paulo, dixit: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto, vbi me oportet iudicari: Iudæis nullam iniuriam feci, sicut & tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, nō recuso mori. Si verò nihil est eorum de quibus hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum consilio colloquutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.

Clarissimo dilemmate increpat Festi improbitatem. Si (inquit) nocui, & quicquam capitis supplicio dignum commerui, mori non recuso. Neque necesse est vt aliò me abducas. Nam etiam hic ad tribunal Cæsaris asto, vbi iustitia, non fauor, damnare aut absoluere debet. Si verò nemini, nedum Iudæis his feci iniuriam, nemo me illis, cum quibus nihil mihi negotij, donare potest, nedum tu, ô Feste, qui melius nosti me Iudæis nullam irrogasse iniuriam : sed quoniam illud forsan vis nescire, iam nunc ad Cæsarem appello. Nolo enim te pluribus detinere. Locus hic iterum commendat nobis constantiam & fortitudinem. De quibus satis dictum est in cap. 23. Nec verò Festus prouocantem ad Cæsarem frustrauit, sed proposita caussa consilio suo & collatis sententijs, tandem non citra nasum ac supercilium respondit, Ad Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Hoc verò Dei dispositione factum est. Paulum enim oportuit & Romæ testificari de Christo. Qui ergo hunc locum ad contentiones fori rapiunt rabulæ, quasi huius præsidio impunè altercari liceat, non expendunt quis sit huius historiæ scopus & vsus. *Libertas dicendi.*

Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream salutaturi Festum. Et cum dies complures ibi commorarentur, Festus regi retulit causam Pauli, dicens: Vir quidam est relictus à Felice vinctus, de quo, cum venissem Hierosolymam, significarunt mihi principes sacerdotum & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum cognitionem. Quibus respondi: Non est Romanis consuetudo ob gratiam donare aliquem hominem, vt pereat priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat de crimine. Cumq; ergo huc con-

uenissent, sine vlla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, iussi adduci virum. De quo cum stetissent accusatores, nullum crimen intendebant super hisce rebus, de quibus ego suspicabar, sed quæstiones quasdem de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam, num vellet ire Hierosolymam, & ibi iudicari super istis. Paulus autem cum appellasset, vt seruaretur Augusti cognitioni, iussi seruari eum, donec mitterem eum ad Cæsarem.

Aggrippa rex. Alia se hic offert occasio qua gloria verbi Dominici propagetur latius. Et ingens est gloria quoque Pauli, qui nomē Domini etiam coram illustrissimis portauit principibus. Agrippa enim hic Herodis Agrippæ quem Cæsareæ extinxerat angelus ex Bernice filius, gloria & magnificentia fuit inclytus, vir bonus & ad bene dicendum instructissimus. *Bernice.* Bernicem verò hanc Chrysostomus Agrippæ vxorem fuisse censet. Alij matrem: alij verò filiam: alij crediderunt fuisse sororem. De qua pluribus Iosephus libro Antiq. 20. cap. 9. Cæterum pro more descenderunt salutatum Festum. Nam ipse rex Agrippa Imperatorem agnoscebat Romanū. Huius enim auspicijs regno fuerat inauguratus. Tota autem narratio, quæ hic à Festo texitur, iam in superioribus exposita est: nisi hoc forsan videatur annotandum, Postulantes aduersus illum cognitionem, dictum esse pro eo quod est, Postulantes vt contra illum pronuntiarent capitalem sententiam. Nam δίκην ius & pœnam intellexit. Deinde quod Romanam consuetudinem attinet, dictum est in Capite huius lib. 16. dum mentionem faceremus legis latæ per Valerium Publicolam. Hinc verò cum maximo contemptu legendum est quod de superstitionibus Iudaicis & Resurrectione Christi Festus recenset. Christus enim Gentibus stultitia est, Iudæis offendiculum. Dicit autem, Equidem suspicabar illos de rebus alijs Paulum accusaturos, quàm de hisce nugis. *Ridebant & Athenienses resurrectionem. Acto. 17.* Habet autem hæc Festi expositio plurimum tumoris & iactantiæ. Referunt hodie Festum hunc, qui sibijpsis plus nimio placentes, & nescio quam sibi arrogantes prudentiam, cœlestem sapientiam verbum Euangelij prorsus contemptui habent, & de hoc ceu vanissima quapiam fabula ineptissima quæq; garriunt.

Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire: Cras, inquit, audies eum. Postero autem die cum venisset Agrippa & Bernice cum multo apparatu, & introissent in auditorium cum tribunis & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo adductus est Paulus.

Non verò & syncero corde quæsiuit Dominū Agrippa, aliàs inuenisset: sed quemadmodum Herodes Tetrarcha, cuius hic Agrippa ex fratre pronepos extitit, ex curiositate quadam gaudebat Christum ad se duci, eò quòd (vt Lucas ait) multo iam tempore videndi illum desiderio detineretur: ita & Agrippa non veritatis perdiscendæ gratia, sed noui quippiam audiendi desiderio detinetur. *Audire verbū Domini.* Nam etiamsi non malus princeps, vanus tamen erat, vt ferè solet principum vulgus. Quò & illud pertinere crediderim, quod Lucas apparatum regium, & quod μετὰ πολλῆς φαντασίας, id est, cum multa ostentatione & pompa in auditorium prodierint, descripsit. *Fastus vitæ.* Haud enim magni apud illos penditur Christus, qui omnem voluptatem in pompa constituêre mundana. Vide autem mirabilem Dei prouidentiam. Principes prophani auro redemiti & pretiosa induti veste, sed & bene curata cute, in præcelsis confidentes tribunalibus, vel ad spectaculum instructi, Paulum seruum Dei expectant. Hic verò vir tantus & Deo tam charus multis exhaustus periculis, & carceris situ squalidus, catenisque ferreis vinctus atque degrauatus ingreditur, lætus tamen & alacer, & pro nomine Christi grauissima quæque perpeti paratus. O grande & rarum spectaculum: verum ita visum est Domino sanctos suos per varia rerum discrimina ducere ad astra. Patienter ergo feramus, ô fratres, si extreme afflicti, depressi & proculcati videamus prophanum quenque feliciore fortuna vti. Aderit aliquando vicissitudo rerum.

Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me, & Hierosolymis & hic: acclamantes non oportere eum viuere amplius. Ego verò comperi nihil dignum morte eum admisisse. Cæterum cum his ipse appellasset Augustum, statui mittere eum. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Quapropter produxi eum ad vos, & maxime

ad te

ad te rex Agrippa, vt examinatione facta, habeam quod scribam. Iniquum enim mihi videtur mittere vinctum, & crimina de quibus accusatur, non significare.

Idem dicitur quod superius dictũ est. Sed illud interim notandũ, quod Paulus regibus & principibus spectaculũ factus nihil à solita cedit dicendi agendiq; libertate. Deinde quod innocentiæ suæ & Iudaicæ perfidiæ vel à prophano principe testimonium est latũ. Festus enim palàm dicit, De quo quid certum scribã, non habeo, &c. Quo cum & suam prodidit iniquitatem, quod eum non absoluit, quem innocentem esse non nesciuit. Cæterum ita Dei volũtate comparatum erat, vt & veritatis syn ceritas & ministri eius innocentia copiosioribus & maioribus adhuc illustraretur testimonijs. Inde est quod rex Agrippa Paulo pro se dicendi potestatem facit, sicut sequentibus exponit Lucas.

CAPVT XXVI.

Agrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tũc Paulus extenta manu pro se dicebat: Super omnibus de quibus accusor à Iudæis, rex Agrippa, existimo me beatum, qui causam dicturus sim apud te hodie: cum tu maxime sis gnarus earũ, quæ apud Iudæos sunt & con suetudinum, & quæstionũ. Quapropter obsecro te, vt patienter me audias.



FACTA sibi à rege potestate dicendi, mira claritate, euidentia & breuitate caussam suam agit, nihil siue pronunciationis siue gestuũ corporis omittens, quod ad insignem oratorẽ spectare videbatur. Atqui nihil cum fuco aut affectatione, sed omnia cum decoro vere sim pliciter & synceriter. Cæterum oratio ipsa sub genus referenda est didacticũ. Tota enim expositio est argumentosa, quæ qualis esse debeat, aut quomodo enarrari queat indicauit pluribus in comparabilis eruditionis vir Rodolphus Agricola de Inuentione dial. lib. 2. ca. 16. Nihil enim moror nugones quosdam, qui si quid rerum dialecticarũ sacris misceatur protinus clamitant blasphemiam esse designatam. Nihil inquã moror præposterum perplexorum hominũ iudicium. Constat enim dia lecticam aliud non esse quam differendi rationem & communis orationis filium, quo differentes ne naturali ordine excidant, aut aliorum scripta legentes scopo non aberrent, ducuntur. Cũ ergo naturali dicendi ordine dixerint scripserintq; Apostoli, quid prohiberet istorum monumenta non ijsdem explicare rationibus quibus scripta esse videmus? Conferatur autẽ hæc præsens Pauli oratio ad illa quæ iam ex Agricola citauimus præcepta, quæ interim aliud non sunt quam naturalis quædam ora tionis obseruatio, & nisi pręclarum huic ex ijs affulserit lumen, vana sint quæ dixi. Expositione ergo argumentosa, hoc est ea quæ rei gestæ vbiq; caussas, coniecturas, signa & omnis generis circumstan tias immiscet, comprobat se nõ excogitasse vllũ (id quod Iudęi intendebant) dogmatis genus nouũ, impium, aut scripturis sacris aduersum: nihil se temere cœpisse, nullam seditionem excitasse, nulla in re Iudæos offendisse, aut quicquam in legem eorum peccasse, qui semper fuerit eius studiosissimus, imò cuius præsidio etiam hodie posteaquã diuina vocatione in aliud viuendi genus à Mose ad Chri stum transierit, omnia Christianæ religionis placita comprobare velit. Et hæc quidem summa & hic scopus est narrationis præsentis. Exordium porrò fauorabile est & à persona regis & ipsa re siue caus sa petitum confidentiæ & constantiæ habens plurimũ. Qui enim in re aliqua male sibi sunt conscij, prorsus obstupescunt, cum apud eos de ea re dicendum est, qui rem probe cognouerunt. At Paulus gratulatur quod is sibi contigisset iudex, qui earũ rerum erat gnarus, de quibus vertebatur quæstio. Agrippa enim ex maioribus suis (teste Iosepho) proselytus erat: vnde nõ potuit nescire quæ de Chri sto, de resurrectione, de lege, de vmbra legis, deq; alijs id genus dogmatis apud Iudæos tradebantur. Commodissime ergo subdit, Proinde obsecro te vt me patienter audias.

Oratio Pauli corã Agrippa.

Dicendi artificium.

Exordium.

Itaq; vitam quidem meam, quam egi ab adolescentia, quæ ab initio fuit in gente mea Hierosolymis, nouerunt omnes Iudæi, qui prius nouerant me ab initio, si velint testimonium ferre, quod secundum exquisitissimam sectam nostræ religionis, vixerim pharisæus.

Narrationem ipsam iam ab ipsis init incunabulis. Multũ enim refert quo in viuendi genere quis educatus sit. Et ex infantia, adolescentia atque educatione pleriq;, vt ex vngue leo, æstimari solent. Quin & M. Cicero in oratione pro M. Cælio, Fieri enim non potest (inquit) vt animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc, quic-

Adolescentia Pauli.

quid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verumetiam cogitando, possit sustinere. Ita in præsentiarum Paulus ipsa educatione, adolescentia & studio suo Agrippæ voluit approbare, haud verisimile esse taliter talibusque institutum studijs facile potuisse quicquam aduersus legem agere, aut ad seditiones concitandas procliuem esse. Huc iam pertinet quod sectam, id est, vitæ institutum, non citra laudem, vocat exquisitissimam, id est, approbatissimam. Item quod per permissionem quandam huius rei ipsos etiam Iudæos statuit testes. De secta Pharisæorum plura scripsit Iosephus in 18. cap. 2. Alij porrò מפרשים exposuerunt interpretes, quasi quis dicat legis expositores. Alij verò separatos, quasi quis dicat monachos. Certe monachis nostris haud adeo dissimiles fuerunt Pharisæi.

Et nunc fretus spe repromissionis, quę ad patres nostros facta est à Deo, sto iudicio subiectus, ad quam duodecim tribus nostræ instanter nocte & die colentes Deum, sperant se peruenturas. De qua spe accusor rex Agrippa à Iudæis: Cur incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?

Naturali quadam dispositione à vitæ instituto delabitur ad dogma de Resurrectione, propter quod à Sadducæis resurrectionem negantibus maxima concertatio aduersus pharisæos, auspice, vt videbatur, Paulo, Hierosolymis, præsente tribuno Lysia, suscepta est. In hac ipsa idem Paulus totam salutis summam constare docuit in 1. ad Corinth. 15 cap. Vnde etiam hic eandem omnibus alijs dogmatis præteritis, protulit in medium, atq; ita, vt simul & illam veram esse comprobaret, & Iudæorum maximam in se iniquitatem demonstraret. Res enim indignissima erat quod eius rei gratia Paulum in vincula coniecerant, & nunc eundem ceu capitis supplicio dignum incusabant, cuius & ipsi confessores erant, imò ipsi Deo dies atque noctes supplicabant, vt futuræ resurrectionis mererentur fieri consortes. Hinc non immerito maxima indignatione, quæ tamen ad commiserationem commouere poterat, ingerit, De qua spe accusor rex Agrippa à Iudęis. De spe inquam illorum accusor ab illis qui ipsi resurrectionem credunt, neque maiorem hac spem habent. Germanus adijceret, Ist das nit ein arme sach? Ad confirmationem resurrectionis illud pertinet quod per concessionem adijcit, Cur incredibile apud vos iudicatur si Deus mortuos suscitat? qui scilicet ex nihilo condidit omnia: qui hanc patribus promisit: qui eandem varijs argumentis comprobauit? Ex istis autem facile potuit & Festus intelligere concertationem quæ erat Paulo contra Sadducæos, non esse de Asini (quod aiunt) vmbra, & vt Festus dicebat de Iesu quodam defuncto, sed de spe Israelis. Potuit & Agrippa videre accusationes à Iudæis in Paulum adornatas meras esse calumnias. Non enim nunc referam quod totus orbis ex his æstimare potest dogma de Resurrectione proditum, non esse vanum aut nuperum, sed certum, & longa temporum successione ab omnibus sanctis patribus vere creditum.

Resurrectio mortuorum.

Numerus duodecim tribuum auget.

Et ego quidem existimabam me aduersus nomen Iesu Nazareni multa repugnando facturum: quod & feci Hierosolymis. Et multos sanctorum ego carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta: & cum occiderentur, detuli sententiam. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: & amplius insaniens in eos, persequebar etiam in exteras vsque ciuitates. Quarum rerum studio cum irem Damascum, cum authoritate & permissu principum sacerdotum: die medio, rex, in via vidi è cœlo supra splendorem solis, circumfulsisse me lumen, & eos qui mecum faciebant iter. Cum autem omnes nos decidissemus in terram, audiui vocem loquentem ad me, ac dicentem Hebraica lingua: Saul Saul: quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulos calcitrare. Ego autem dixi, Quis es Domine? At ille dixit, Ego sum Iesus quem tu persequeris. Sed exurge & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum ac testem, & eorum quæ vidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiēs te à populo & gentibus in quas nunc te mitto, vt aperias oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidem quæ est erga me.

Conuersio Pauli.

Cum obijci ei potuisset, quod aliter speraret quam pharisęi, nimirum per Iesum, quem ipse crederet

deret esse Christum, ad quem & ante annis aliquot turpiter defecisset. Primum igitur Paulus indicat Agrippæ quàm infestus super omnes Iudæos Christianis per initia fuerit,& persequutionis subnectit argumenta. In hoc autem illud est venustum,quòd ait,Et ego quidem existimabam me aduersus Iesu Christi nomen multa repugnando facturum. Nam in transcursu & aliud interim agens innuit conatus istorum aduersus doctrinam Christianam esse vanos,non minus quàm suos,qui tamen neq; labori pepercerit neq; crudelitatis quicquam intermiserit. Iam enim gradibus & per incrementum quodpiam exponit quomodo persequutus sit fideles. Multos (inquit) sanctorum inclusi carceribus: & dum occiderentur κατήνεγκα ψῆφον, id est, detuli sententiam. Incertum autem est (vt inquit Erasmus) an sentiat illum adduxisse decretum à synagoga factum, an ipsum quoque suo suffragio damnasse Christianos. Beda ait se in quadam æditione legisse in hæc verba, Occidendiq; eis detuli sententiam: quod sic exponit, Qualiter occiderentur ipse sententiam dedi. Budæus in commentarijs linguæ Græcæ χειροτονία (ait) plebiscitum & ψήφισμα, à manuum sublatione dictum. Et ψῆφος non modo calculus est τῶν λογιζομένων, sed etiam suffragia ferentium in comitijs. ψηφίζονται etiam dicuntur iudices sententiam ferentes. Plura apud illum. Ad incrementum superius pertinet,quod ait se Christianos adegisse ad blasphemiam,id est, ad palinodiam,quæ tormentis & morte pernitiosior est. Illa enim perit anima,hac duntaxat corpus. Est & illud crudelitatis postremæ argumentum,quod Christianos in exteras quoque ciuitates transiens, inquirit & persequitur. Deinde ne leui aliqua caussa commotum existimarent, vt Iesum quem hactenus persequutus fuerat, iam Christum esse crederet & prædicaret, ostendit se admirabili ad fidem vocatione perductum fuisse. De qua expositione dictum est in capite 9. Sermonem tamen Christi ad se factum hic vberius & alijs etiam quàm supra feceritverbis enarrat, sed non temere. Plurimum enim id præsenti conducebat expurgationi nosse quibus verbis & quo consilio à deo esset vocatus. Erat aût illud huiusmodi. Ad hoc apparui tibi,vt constituerem te ministrum negotij mei quod partim nunc vidisti & intellexisti, partim vero posthac intelliges. Nec est quod metuas quenquam,ego enim tuebor te,& nunc ad Iudæos ac Gentes mitto te,vt oculos eorum aperias, id est, vt verbo Euangelij errorum nebulas discutias, & scelerum fuliginem abstergas animisq; eximas,vt à seruitio diaboli liberati deo in timore & iustitia seruiant,perq; fidem in eum sanctificentur,itaque sortem accipiant æternæ ac cœlestis hæreditatis. Porrò scripturæ loci qui hunc illustrare posśint,legantur Ioan.3.& 9. Ephesios 2. & 2.Timoth. 1. capite rursus 2.Corinth.4.cap.

Paul. … quitur … anos.

Vocatio Pauli qualis.

Vult & rei nobilitate & vtilitate flectere.

Vnde rex Agrippa, non fui inobediens cœlesti visioni: sed his qui sunt Damasci primum,& Hierosolymis, & per omnem regionem Iudææ: deinde & gentibus annunciabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad deum,opera facientes digna his qui resipuissent.

Ad certum scopum iam dirigit quæ hactenus exposuit. Quasi dicat, Ex ijs autem omnibus intelligere potes rex clementissime, nulla me leui caussa à pristino vitæ instituto desciuisse ad nuperum quodpiam & impium vitæ doctrinæq; genus. Diuinæ enim vocationi obtemperans nihil aliud quàm pietatem docui hactenus. Atque vt magis gratiæ haberet responsio, & Agrippa videret Paulum à præcepto domini nihil discessisse aut variasse, summatim euangelicæ prædicationis capita perstringit. Huc (inquit) doctrina mea tota spectauit, non vt hominum mores corrumperem, sed melius instituerem,lucem namq; iustitiæ præferrem,nempe vt omnes vbiq; resipiscentes,ab idolis,superstitione & vana fidutia conuerterentur ad deum verum,viuum & æternum, in cuius timore perseuerantes facerent digna (vt vulgata habet æditio) pœnitentiæ opera. Vbi Erasmus annotauit, Si digna sumis absolute,bene habet oratio: sin minus,opera digna pœnitentia seu pœnitentiæ sunt quorum iure pœniteat. Cæterum ex hisce omnibus iterum colligimus euangelicæ doctrinæ partes esse pœnitentiam & fidem in deum. Verum dei cultum constare innocentia & fide. Fidem in Christum iustificare. Præterea hac vna & nullis alijs rebus externis sanctificari animam. Lumen rationis & commenta humana omnia tenebras esse: ergo & salutem solius esse gratiæ ac misericordiæ diuinæ.

Hac ex causa Iudæi me in templo comprehensum tentauerũt interficere.

Atque hæc (inquit) est illa caussa,qua inducti illi ex Asia venientes Iudæi in templo istum quem mihi impingunt excitarunt tumultum,quæ an iusta aut eiusmodi sit propter quam tanta turba fuerit commouenda,quisque secum expendat.Certe cum nihil aliud fecerim, quàm quod deus præcepit: neque aliud docuerim, quàm quod ipsi confitentur: præterea vero læserim neminem, caussam tumultuandi in me nullam repererunt. Quo fit vt illi ipsi seditionis huius authores sint, cuius culpam in caput Pauli deriuabant.

Capulum rei petit.

Auxilium igitur nactus dei, vsque in hodiernum diem sto, testificans tum paruo tum magno: nihil aliud dicens, quàm ea quæ prophetæ prædixerant futura esse, & Moses: an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus.

Pauli prædicatio è scripturis petita et firmata.

Paulò liberius, posteaquam ad singula accusationis capita respondisset, Christum Iesum prædicat principibus, testificans Christianum dogma, non nouum esse, sed illud ipsum quod olim diuinitus inspirati prophetæ tradiderint. Committit tamen hæc ipsa superioribus ad hunc modum, Iudęi me propter veritatem euangelij dare neci voluere: sed noluit dominus me ante tempus oppetere, atque in hoc tutatus est vt veritati diuinæ ferrem testimonium. Seruatus itaque illius gratia & præsidio, libere quod verum esse scio profiteor, omnibusq; citra personarum respectum prędico, nempe quod deus generis humani, quod iam in peccatis & erroribus mortuũ erat, misertus, filiũ misit propitiationẽ pro peccatis, & vt lumen atque doctor esset totius mundi: hinc enim mortuus est, hinc resurrexit, cœlos ascendit, & legatos huius rei testes, non ad Iudæos modo, sed ad omnes Gentes misit. Incredibile autem quibusdam videbatur (vt liquet Ioannis 7.) Christum fore passibilem, aut veritatis lumen Gentibus fore communicandum. Dicit itaque Paulus, Ex prophetarum & horum principis Mosi oraculis cõfirmamus quæcunq; euangelica doctrina de Christo, de morte & resurrectione eius, deq; Gentium vocatione tradimus. Miram enim euidentiam habet quod dicit, οὐδὲν ἐκτὸς λέγων. Nihil præter aut extra illud dicens, quæ prophetæ futura prædixerant. Nam & ad Romanos primo testatur Euangelium prædictum esse in scripturis sanctis. Vbi ergo nunc sunt, qui dicũt non omnia Euangelij mysteria quæ ad salutem sint necessaria, scripturis esse prodita sanctis? Et tria hæc quæ hoc loco assignauit capita in sese totum comprehendunt Euangelij mysterium. Proinde si sapimus, iam in religionis negotio nihil suscipimus, quàm quod literæ nobis prodiderunt sacræ, in his enim omnia ea quæ ad salutem necessaria satis diligenter sunt prodita, 2. Timoth. 3.

Isaiæ 53. 1. Corinth. 15. Isaiæ 49. Lucæ 2.

Hæc autem cum pro se diceret, Festus magna voce ait: Insanis Paule. Multæ te literæ ad insaniam conuertunt.

Paulus arreptitius iudicatus.

Alij hæc verba Festo in malam partem exponunt, quasi Paulum ceu stolidum quempiam blatteronem increpitarit, cœlestemq; contempserit sapientiam. Verum hanc sententiam refellunt verba consequentia, Multæ literæ ad insaniam te conuertunt. Ioannes Chrysostomus, Quoniam ad regem (inquit) loquebatur, non auertens se ab aspectu eius, quasi passus sit quidpiam, dicit, Insanis Paule. Cæterum in bonam partem & simpliciter id à Festo dictum accipi potest: veluti cum nos eum furere dicimus, qui veluti extra se raptus, non humana, sed diuina prorsus dicere videtur. Sic enim commotus fuerat docta oratione Festus, vt istud ex admiratione viro doctissimo oratoriq; clarissimo acclamaret. Præterea tradunt rerum medicarum periti, mania laborantes (Festus enim dixit, μαίνῃ Παῦλε) admiranda stupendaq; imaginare, eaq; protinus pro veris iactare. Cum ergo Festus rerum Iudaicarum imperitus esset, interim vero multa audiret Paulum de visione cœlesti, de Iesu quodam, deq; resurrectione mortuorum disserere, forsan suspicabatur illum laborare mania, in quam (vt fit) immodico literarum studio abreptus fuisset. De insaniæ speciebus plurima L. Cœlius lectione antiq. 9. capite vigesimo sexto & vigesimo septimo.

Et Paulus: non insanio, inquit, optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba eloquor. Scit enim de his rex, apud quem & libere loquor. Latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim hoc in angulo gestum est. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quòd credis. Agrippa autem ad Paulum ait: Modica ex parte persuades mihi vt fiam Christianus. Et Paulus ait: Optarim à Deo, non solum modica ex parte, verumetiam magna: non te modo, sed omnes etiam qui me audiunt hodie, esse tales qualis ego sum, exceptis vinculis his.

Certissima est euangelica narratio.

Non (inquit) insanio, sed negotium certum refero, non ex mente corrupta, sed animo sibi vndique constante. Licet enim Feste hoc ignores, vt qui nunc primum huc veneris, scit tamen rex Agrippa quid illud sit de quo dissero. Hoc enim & liberius apud ipsum loquor, quod duplici nomine ipsum nihil istorum nescire scio. Principio enim ea quæ de Christo morte eius & resurrectione retuli, Hierosolymis non obscura Iudææ vrbe gesta, hinc & per totam Iudæam rumore verissimo dispersa sunt: nec minus clara est & cõuersio mea, quę clara luce ad clarissimam Damascenorũ vrbem, pręsentibus itineris mei comitibus, facta est. Deinde cum ipsum dogma euangelicum scripturis nitatur pro

tur propheticis, Prophetas autem non nesciat Agrippa, intelligit sane quod nihil hactenus dixerim, quam quod constans, verum ac certum sit. Hæc ad Festum, mox ad regem Agrippam conuersus, maxima libertate interrogat per permissionem, Credis rex Agrippa Prophetis? & protinus per subiectionem siue correctionem subijcit, Sed quid rogo an credas, cum certo sciam quod credas. Hic iam addidisset, Si vero Prophetis credis, nullum erit negotium aut difficultas vlla eadem opera & Christo fidere. Nam de hoc scripserunt Prophetæ: quod ipsum & Christus Iudæis aliquando obiecerat, Ioan. 5. nisi orationem interrupisset Agrippa, qui & ipse eruditissima Pauli oratione veluti extra se raptus palàm fatetur, Parum abest, quin persuadeas me fieri Christianum. Fuit hæc vox non vere credentis, sed eatenus verbo assentientis, quatenus vox aures feriens suauitate & euidentia animum sibijpsi rapiebat. Nam quam primum ea cessauerat, rursus redibat ad ingenium. De qua re ipse saluator Christus Dominus iucunda lectu prodidit apud Matthæum in 13. proposita seminantis parabola. Cæterum tametsi Paulus videret operam & impensam apud huius mundi principes perijsse, attamen nobile feruentis charitate animi, qui nihil nisi hominum salutem sitiebat, ædidit specimen, dicens, Equidem optarim à Deo, vt non solum, &c. Proinde non fuerit satis, si aliqua aut modica ex parte credas. Vere enim recte plene & ex toto corde credēdum est, nisi lampades oleo anteferre volueris. *Matth. 25.* Præferunt enim lampades oleo, qui speciem fidei non ipsam fidem habent. At his aliquando dicet Dominus, Nescio vos. Clamemus ergo cum discipulis, Adauge nobis fidem Domine.

Et hæc eo loquuto, surrexit rex ac præses, & Bernice, & qui assidebant eis. Et cum secessissent loquebātur inter se, dicentes: Nihil morte aut vinculis dignum fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit; Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

Hisce commendatur & nobis innocentia Pauli, in quo nihil damnabile inuenerunt. Commendatur & prouidentia Dei, qua fiebat, vt & Romæ hunc testificari oporteret, qui hactenus nomen Domini alacriter, & ad miraculum vsque portauerat coram regibus, principibus, Gentibus & filijs Israel.

CAPVT XXVII.

POstquam autem decretum est, vt nos nauigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulum, & quosdam alios vinctos centurioni, nomine Iulio, cohortis Augustæ. Conscensa autem naue Adramyttina, nauigaturi iuxta loca Asiæ, soluimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autem die appulimus Sidonem. Et Iulius humaniter tractato Paulo, permisit vt ad amicos profectus, ab illis curaretur. Et inde cum soluissemus, subnauigauimus iuxta Cyprum, propterea quod essent venti contrarij. Et pelagus quod est contra Ciliciam & Pamphyliam, emensi, peruenimus Myram, quæ est Lyciȩ, & ibi nactus centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, imposuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde nauigaremus, vixꝙ; deuenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonem. Et vix præterlegentes illam, peruenimus in locum quendam, qui vocatur Pulchri portus, cui vicina erat ciuitas Lasæa.



HAC historia comprobabitur quam vere dixerit Propheta, Militia est vita hominis super terram. *Sanctorum vita militia.* Siquidem Paulus toties iam è manibus impiorum ereptus, hic tandem barbaro obijcitur elemento. Haud enim temere dicebat nauim maritimam ingressus Anacharsis, Hei me miserum atque stolidum hominem, qui vitam meam barbaro crediderim elemento. Multa autem eaque asperrima, mulo etiam tempore Paulus hac nauigatione expertus, didicit Dominum suis semper adesse præsentissimum. Principio enim istam sodalitio leuat suauissimo. Aristarchus enim & Lucas Pauli in hac nauigatione comites lassum non parum refocillant. Deinde & ipse Iulius centurio per omnia comem & facilem, diuina sic disponente clementia, se præ-

bet Apostolo. Nam olim quoque Iosepho adolescenti & Ieremiæ Prophetæ in vincula coniectis, hominesquosdam, qui ipsis benefacerent, destinauit. Porro cohortem Augustam primariam vocauit. Nam & Vegetius de re militari libro 2. tradit in legione cohortes fuisse decem, quarum prima reliquas & militum numero & dignitate antecesserit. Arbitror autem Augustam dictam esse à principe. Hoc enim felix erat faustumque Imperatorum nomen, quod Ouidius Fasto.4.ab auctu deriuat hisce verbis,

Cohors Augusta.

Sancta vocant Augusta patres, Augusta vocant
Templa sacerdotis rite dicata manu
Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcunq; sua Iuppiter auget ope.

Descriptionis euidentia.

Cæterum mirus est hoc in loco Lucas. Sic enim hanc nauigationem denique totum periculum & naufragium lectori ob oculos statuit, vt omnia se coram contueri credat. Atqui potuit hoc quidem facillime, vt qui ipse magna quoque huius tragœdiæ pars fuit. Denique multo etiam viuidiora amœnioraque ista fient, si ad geographicas conferantur tabulas. Circumfertur autem quædam doctissimi viri D. Petri Apiani non inelegans charta de Peregrinatione Pauli inscripta, in qua hæc coram contueri possunt, quibus Ptolomæi tabulæ desunt. Quin & ipse Vadianus noster tam est felix in describendis regionibus, vt non scribere sed pingere videatur. Ad huius ergo Epitomen remittimus, vt ex ea petat Lector quod in hisce Commentarijs nostris de locorum nominibus & situ desiderat. Adrumetina autem nauis siue Adramyttina, sicut & Alexandrina, nomina (ne quis illud forsan nesciat) ab vrbibus habent: vt si quis apud nos dicat Veneta nauis. Adramittium enim celebre erat Æolidis oppidum.

Multo autem tempore peracto, & cum esset iam periculosa nauigatio, ob id quoq; quod iam vltra tempus sustinuissent inediam, admonebat eos Paulus, dicens eis: Viri, video quod cum iniuria multoq; damno, nō solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum futura sit nauigatio. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebantur. Et quum aptus portus non esset ad hybernandum, complures ceperunt consilium soluendi illinc, si quo modo possent peruecti Phœnicen illic hybernare. Is est portus Cretæ, spectans ad Africum & ad Corum.

Neque enim integro anno vis atque acerbitas maris patitur nauigantes, sicut tradit lib. quarto cap. 39. Vegetius: sed quidam menses aptissimi sunt, quidam dubij, reliqui classibus intractabiles. Intelligimus autem ex hoc loco dubijs mensibus, & hyberno etiam tempore nauigasse Paulum. Vnde & periculosam ait fore nauigationem, & propter iniuriam cœli, & quod inedia laboraretur, & alimonia atq; commeatu naui satis prouisum non esset. Nam quod Ioannes Chrysostomus de ieiunio annotauit Iudaico, satis confutatum est in Annotationibus ab Erasmo. Cæterum animarum nostrarum dixit pro vitæ nostræ, ad morem linguæ Hebrææ. Ita & paulò post dicet, Iactura animæ nulla erit, pro eo quod est, Nemo nostrum peribit. Præterea indicat hic locus Dominum satis tempestiue & fideliter monere, sed nos humana potius quam diuina amplecti consilia. Proinde in maxima quæque pericula delabimur non Dei morositate aut negligentia, sed nostra inertia ac stupiditate. Centurio hoc loco admonetur à Paulo, homine non imperito rei nauticæ, vtpote qui præter id quod diuinitus esset inspiratus, multa quoq; experientia didicerat quis esset pelagi genius. Nam alibi dicit, Noctes atq; dies in profundo egi, ter naufragium feci: sed contemnebat ille Pauli consilium (tantum malum est consilia ex personarum æstimare respectu) magisq; naucleri fidebat iactanctantiæ, imo confidentiæ. Atqui confidentes & iactabundi raro in periculis constantes atq; fortes sunt. Hybernare autem seu hyemare naues dicimus, cum in quieti littoris portu manent. Aptiores autem sunt ad hybernandum portus qui penitius sese littoribus insinuant & aditibus sunt angustioribus. Fit enim hoc naturæ præsidio, vt nulla ventorum vis aut procellarum impetus naues quatere aut collidere posit. De ventis autem quorum hoc loco meminit Lucas satis copiose scripsit in Epitome Vadianus. Porrò vel ex hoc vno capite intelligimus quam necessarium sit sacras literas cum iudicio & fructu legere volenti, honestas antea disciplinas & artes vere liberales delibasse, & iusto tempore recte imbibisse.

Satis tēpestiue monet Dominus.

Hybernare.

Studium artiū liberalium.

Aspirante autem Austro rati se propositi compotes, cū soluissent Asso, præterlegebant Cretam. Verum haud multo post coortus est contra ipsam ventus

ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumq; correpta esset nauis, nec posset obniti vento, data naue flatibus, ferebamur.

Sentit historicus illos prosperis Austri flatibus allectos cum pelago se credidissent pansis velis subito factum vt contraria cœli parte Euroaquilo exortus nauim in Meridiem & Africam propulerit tanto impetu, vt obniti vento non potuerint, sed cesserint necessitati. De Typhone autem, quê Lucas Euroaquilonem, hoc est tempestuosum, Vadianus Cęciam, Plinius pręcipuam nauigantium pestem, vt qui non antemnas modo, verumetiam ipsa nauigia contorta frangat, appellitat, Aristoteles copiose scripsit in libro de Mundo, quem Gulielmus Budæus Galliarum decus nuper mira dexteritate donauit Latinitati. Idem Meteororum 3. tradit Typhonem Græcis ventum dici turbidum & gyrantem sese. Et Plinius in secundo de repentinis flatibus capite 48. de hoc felicissime & clarissime scripsit. *Typhon.*

In insulam autem quandam deuecti, quæ vocatur Clauda vix potuimus optinere scapham. Qua sublata, adiutorijs vtebantur, subcingentes nauem, timentes ne in Syrtim inciderent, demisso vase, sic ferebantur.

Scaphæ dicuntur nauiculæ piscatoriæ, atq; illæ etiam quæ nauibus onerarijs vsui sunt in littore petendo quoties vadosis locis prohibitæ maiores naues appellere nequeunt: quod genus apud nos sunt lintres è solido trunco cauatæ, & ad celerrimam traiectionem accommodæ. Sentit autem Lucas scapham vix obtentam, sublatam fuisse in nauim, ne auulsam procellæ raperent, ac protinus vas demissum quod ipsis ad firmandâ nauim vsui fuerit. Intelligimus autem per illud vasa adiutoria ac pondera quantacunq; funibus demissa, quæ ancorarum grauitatem in naui retinenda iuuerint, hoc est quæ nauis impetum retardarint, atq; Syrtes cauerint. Et Beda hoc loco tradit nautas in Brittannico Oceano coercere solere naues molaribus saxis in profundum à fune demissis. Ne ergo in Syrtes impingerêt etiam hic tale quippiam fecerunt. Syrtes autem in Africo littore duas esse scripsit Salustius in bello Iugurthino, & Plinius in quinto earundem meminit. Dictæ sunt ἀπὸ τοῦ σύρειν, id est, traho. Ventus enim arenarum cumulos incertis sedibus condit, quibus qui impingunt, certo etiam pereunt. Extant Maronis aliquot carmina quæ mire huc congruunt: sunt autem huiusmodi, *Schapha.* *Syrtes.*

Tres (naues) Eurus ab alto
In breuia & Syrtes agit (miserabile visu)
Illiditq; vadisatq; aggere cingit arenæ.

Plura de Syrtibus scribit Strabo libro Geographiæ vltimo.

Cum autem vehementi tempestate iactaremur, sequenti die iactum fecerunt, ac tertio die nostris manibus armamenta nauis proiecimus.

Iactum facere est nauim alleuiare, quod fit dum eiectis mercibus eam exoneramus, ne vado hæreat, aut cô fragosis illidatur. Armenta vero sunt instrumenta nautica. Nâ Græce est σκευή. Et Seruius Grammaticus 1. Æneidos enarrans omnium artium instrumenta arma vocari tradit. Et Syponitus, Armamenta (inquit) dicuntur quæ ad instruendum aliquid pertinent, vt in nauibus armamenta sunt non solum arma, sed remi, vela, antennę, rudentes, clauus & alia huiusmodi. Cęterum quod ait, αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐρρίψαμεν, proprijs manibus nostris proiecimus arma naualia indicat periculi magitudinem, quod vbi ad summum peruenit, nemo non anxie annititur & laborat. *Iactum facere.*

Porro neque sole, neque syderibus apparentibus ad complures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

Auget & hoc periculi magnitudinem, & in hoc tam acurate pinguntur, vt videamus in quæ rerum discrimina suos conijciat Deus. Elegans est & apud Maronem similis tempestatis descriptio, quæ mire huc quadrat, vnde operepretium putaui versus illius recitare, *Descriptio tempestatis.*

Ac venti (ait) velut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumq; à sedibus imis
Vna Eurusq; Notusq; ruunt creberq; procellis

Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus
Insequitur clamorq; virum stridorq; rudentum,
Eripiunt subito nubes cœlumq; diemq;
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra,
Intonuere poli & crebris micat ignibus æther,
Præsentemq; viris intentant omnia mortem.

Cum autem multa iam esset inedia, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem ô viri audito me non soluere jà Creta, nec accerse= re nobis iniuriam hanc & iacturam. Et nunc hortor, vt bono animo sitis. Ia ctura enim animæ nulla erit ex vobis, sed tantum nauis. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius sum ego, quem & colo, dicens: Ne timeas Pau le, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant te- cum. Propter quod bono animo estote viri. Credo enim Deo, quod sic erit, quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos ejci.

Alacritas & fortitudo Pauli.

In hisce periculis omnium conciderunt animi, vnus Paulus summi Dei minister, mœrentes so- latur. Ex quo facile liquet quid sit Deo seruire, quantaque erga Deum confidentia polleant sancti, quantáue ille vicissim erga fideles suos vtatur benignitate ac diligentia. Oratio autem Pauli qua illos consolatur supra modum alacris & prudens est. Prudentiæ enim erat, quod hanc ab increpatio ne auspicabatur, ita tamen vt paucissimis increparet, statim vero ad consolationis locos descende- rent. Prudentes enim viri est minime ad errores conniuere, & sicubi offertur occasio istos incusare. Cæterum imprudentis est in medijs calamitatibus satis aliàs afflictis, plus nimio erroris, negligen tiæ veterumque iniuriarum meminisse. Paulus ergo illorum stultitiam quæ in ista pertraxerat pe- ricula ita increpat vt ne quid nimis. Dicit enim, Potuissetis, ô viri, incommodum hoc & rerum ia- cturam euitasse, si nostro obedissetis consilio, quod in Creta cum adhuc omnia in tuto erant, dabam. Videtis ergo quid sit bonis non obsequi cōsilijs: sed quoniam factum infectū esse nequit, missis istis, superest vt vel sero sapiatis. Hic vero protinus breuibus quidem verbis, sed consolatione plenis totum salutis negotium exponit & ait, Ne desperaueritis de salute, & incolumitate vestra. Causa, Nullus ex vobis peribit: tantum nauis erit iactura. Istud porrò confirmat argumento à pronuncia- tis petito, quo minus esset mœroris & plus spei. Nam Deus meus (ait) quem ego colo, & cuius mini ster sum, angelum suum (vt cultoribus suis deditissimus est) misit, qui referret, absq; pauore essem, me hic minime periturum, sed Romam fore abducendum: quin & vos omnes vnà mecum euasuros. Ecce enim (inquit) donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Iterum ergo infert, Propter quod bono animo estote viri. Porro huic illationi aliud quoque Epicherema coniungit, à veritate & con- stantia Dei petitum. Nihil dubito quin id sic futurum sit, quemadmodum fore promisit. Deus enim & verax est & potens, qui quæ pollicetur præstare potest. Magna autem est sanæ ac firmæ fidei vir- tus. Iam vt omnia adhuc certiora essent, modum quoque per quem seruandi sint describit, dicens, In insulam quandam deferemur, in qua fracta naui diuina virtute seruabimur. Hæc de consolatio- ne Pauli. Sunt autem qui hunc locum trahant ad patrocinium intercessionis diuorum, è quorum numero est & Diuus Hieronymus. Atque mirandum quidem tantum virum hoc quicquid est do- gmatis de diuorum intercessione tam infirmis imposuisse epicherematis. Quis enim sanæ mentis dixerit, Eadem in cœlis facere sanctos quæ aliquando fecerunt in terris? Atqui nihil aliud dicit Hie ronymus, neque alijs argumentis Diuorum intercessionem probat. Si (inquit) orauerunt in terris, quanto magis post coronas victorias & triumphos? Quid quod exempla & facta sanctorū omnia re- ferenda sunt ad dogmata? Dogmata vero expressis & certis fulta debent esse scripturæ testimonijs, quale illud est, Vnum esse Deū, hunc solum largiri mortalibus omnia, vnde & soli fidendum soliq; per Christū sit supplicandū. Porrò quicquid dogmati alicui solido, vero & plano aduersum est, licet speciem veritatis habere videatur, reuera tamen falsum est. Quod si scripturę locos qui ad hoc falsum dubiumque dogma confirmandum detorti sunt, diligenter expendas, aliud dogma agnoscunt. Iam vero si diuorum intercessionem componas cum eo dogmate quod iam iam ex scripturis assigna- uimus de vnius Dei essentia, potentia & cultu, protinus inter se pugnare videas. Cæterum cum illud certum & expressum sit, necessarium est hoc flaccidum & inane esse, & proinde locos de Paulo & Stephano productos ad aliud quodpiam dogma referri debere: nimirum ad illud, Quod miseri- cors Do-

Oratio Pauli ad periclitātes in mari.

Hierony. de intercessione diuorum sentētia excutitur.

cors dominus per gratiam ſuam ſępius etiam malos conſeruat ſalutemq; illam ſuam ad ſanctos ſuos refert, vt hos in hiſce terris ad hoc glorificet, vt verbis eorum habeatur fides. Atq; iſtud quidem conſentit cum primo illo dogmate, imò parum aut nihil ab eo diſtat. Quod ſi iam addas, Iſtis ergo ſupplicandum eſſe propter beneficium dei: de tuo id addis etiam contra ſanctorum ſentētiam, qui omni vita ſua nihil tam accurate docuerunt quàm vni deo fidere. Deinde non expendis longe aliud eſſe ſi fatearis deum aliquid hiſce in terris agentibus ſanctis ſuis donare: aliud vero ſi in cœlo degentibus eadem donare credamus. Nam quæ hic donauit propter gloriam verbi ſui donauit. Dono ergo ſidem in ſe excitare voluit. Iam ſi in cœlis ſecum recumbentibus idem donaret, iam fidei iſtud incommodaret. Deficerent enim hominum animi ad ipſos Diuos. Quòd ergo multis propter Abraham Loth, Moſen, Samuelem & Paulum in hiſce terris agentibus pepercit, propterea pepercit, vt videremus illorum cultum Deo acceptum & doctrinam eorum veram eſſe: crederemus itaq; & ipſi, & ita Deo ſeruiremus ſicut illi ſeruierunt. Atqui hi ſolum Deum inuocarunt, ſoli ſeruierunt: qui ergo ſapiunt, idem faciunt. Porro qui iſtud non faciunt, nullis Diuorum intercesſionibus ſaluari poſſunt Nam & Iſaias in cap. 63. Abraham (inquit) neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos. Tu Domine pater noſter, redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum. Et dominus apud Ezech. in 14. Si fuerint (inquit) tres viri in medio eius Noe, Daniel & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. Et apud Ierem in 15. cap. Si ſteterint Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Conditionalis autem iſta, Si ſteterint, vehementer impugnat iſtorum intercesſionem. Quin & ipſe Hieronymus ſcribens in hunc Ezechielis locum multò ſyncerius in Commentarijs quam in contentione aduerſus Vigilantium, de hoc negotio loquens: Iuſtitia (inquit) iuſti erit ſuper eum, & iniquitas iniqui in ipſo commorabitur. Vnuſquiſq; peccato proprio morietur & iuſtitia ſua ſaluabitur. Fruſtraque dicunt Iudæi Abraham pater noſter, cum opera Abraham non habeant. Quod ſi in aliquo fiducia eſt, in SOLO DOMINO confidamus. Maledictus enim omnis homo qui ſpem habet in homine, QVAMVIS SANCTI ſint, quamuis prophetæ. Legimus: Nolite confidere in hominibus. Et iterum, Bonum eſt confidere in domino quam confidere in principibus. Non in principibus tantum ſeculi, ſed & in principibus eccleſiarum, qui ſuas tantum animas ſi iuſti fuerint liberabunt. Hactenus Hieronymus.

Hic vertitur rei cardo.

Nullum diuum nauticum inuocauit Paulus.

Sed poſteaquam quartadecima nox ſuperuenit, nauigantibus nobis in Adria circa medium noctis, ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem. Qui & demiſſa bolide, repererunt paſſus viginti, ac puſillum inde digresſi, rurſumque demiſſa bolide, repererunt paſſus quindecim. Timentesque, ne in aſpera loca inciderent, de puppi iactis ancoris quatuor, optabant diem oriri.

Bolis dicitur à βάλλειν quod eſt mittere. Id eſt, pondus (vt inquit Eraſmus) funiculo affixum, quo deiecto nautæ explorant altitudinem maris. Lucas vnico verbo complexus eſt, quod interpres duobus reddidit. Dixit enim βολίσαντες. Porrò cum prius vigiati paſſus menſi eſſent, mox quindecim deprehenderent, indicium erat approximantis littoris. Ea de re ne ſideret nauis, iactæ ſunt ancoræ, donec dies exoriretur. De ancora plura Chiliadibus Eraſmus.

Bolis.

Nautis vero quærentibus fugere è naui, cum demiſiſſent ſcapham in mare, ſub prætextu velut è prora ancoras extenſuri, dixit Paulus centurioni & militibus: Niſi hi in naui manſerint, vos ſalui fieri non poteſtis. Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſsi ſunt eam excidere.

Quanquam pollicitationi diuinæ crederet Apoſtolus, nihil tamen rerum externarum, quæ ad ſalutem ſpectare videbantur, negligit: imò palàm dicit, niſi hi in naui manſerint, vos ſalui fieri non poteſtis. Sciebat enim nautas maris eſſe gnaros gubernandæq; nauis peritos. Proinde commoda in rebus quibuſuis media à fideli non negliguntur aut aſpernantur. Contemptores & prophani clamitant, Si ſaluum me vult Dominus non eſt quod de modo quicquā cogitem. Secus egit Paulus etiam tum cum (vt in ſuperioribus audiuimus) adoleſcentem cum mandatis ad Tribunum mitteret. Apud Matthæum in ſexto non vult Dominus ſuos eſſe de victu ſolicitos, interim tamen laborem vbique præcipit. Quod autem milites centurionis imperio funes ſcaphæ inſciderunt, magno argumento eſt centurionem Pauli conſilijs diligenter obſequutum ab ore eius pependiſſe totum. Obſerua & temerariorum hominum inconſtantiam. Nam qui paulo ante inuito Paulo nauigare, illi ipſi nunc turpiter naui ſubterfugere volebant. Sed retinentur prudenti conſilio Pauli. Fuit enim hic multa

Fides humana præſidia non prorſus tollit.

exercitatione harum rerum calentißimus: vir in omnibus rebus excellentißimus.

Et cum dies inciperet apparere, hortabatur Paulus omnes sumere cibum, dicens: Dies hic decimusquartus est, quod expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes, propter quod hortor vos, vt sumatis cibum: hoc enim ad salutem vestram pertinet, quia nullius vestrum capillus de capite cadet. Et quum hæc dixisset, sumpto pane, gratias egit Deo in conspectu omnium: & cum fregisset, cœpit edere. Porrò animis iam recreatis omnium, sumpserunt & ipsi cibum. Eramus vero vniuersæ animę in naui ducentæ septuagintasex. Et satiati cibo, alleuabant nauem, eijcientes triticum in mare.

Iterum consolatur mœrentes consternatosque erigit, primum oratione familiari, deinde & alacri exemplo. Fieri autem nequit lege naturæ vt inediam quatuordecim dierum homo sustineat. Verbis igitur subest hyperocha: aut certe ipsa verba sic accipienda sunt, vt sentiat Paulus tempestate, labore & ærumna vexatis non vacasse vt vllo tempore satiarentur pro more: sed grauem famem perpeßis iam primum datam occasionem edendi. Iam vt cibum alacriores sumerent certam pollicetur salutem. Huc enim pertinet illa sententia, Nullius vestrum capillus de capite cadet. Quo loquutionis genere ipse etiam Dominus vsus est apud Matthæum in decimo, cum significaret discipulos tutißime habituros. His & exemplum iungit. Nam primus quod suasit alijs ipse suscipit, sed non citra religionem. Gratijs enim actis (ita magistri exemplum referens) in conspectu omnium, edit. Quod & alij eius exemplo commoti, fecerunt. Iam ad miraculi magnitudinem facit, quod numerus hominum recensetur. De iactura diximus paulò ante.

Etiam naturæ sua iura persoluenda sunt.

Cum autem dies esset, terram non agnoscebant: sinum vero quendam animaduerterunt, habentem littus, in quod cogitabant, si possent impingere nauem. Et cum arcoras sustulissent: committebant se mari, simul laxatis iuncturis gubernaculorum, & sublato artemone ad auræ flatum, tendebant ad littus.

Vide amice Lector quomodo Deus suos etiam in medijs promißionibus exerceat. Posteaquam enim iam terram exoptatißimam aspicerent, tamen quo nam terrarum delati essent ignorabant. Parabant ergo nauem vt ipsam protinus in littus subducerent. Mira autem ἐνάργεια istud describit, vbi interim illud annotauit Erasmus, esse qui pro artemone antemonem malint scribi. Cæterum artemonem positum esse pro genere veli. Nomen enim illi à suspendendo siue assuendo inditum: quod imis velis soleat affigi pars aliqua, quo plus venti concipiant. Illud autem notius est quàm annotandum sit gubernacula poni pro remis. His enim solet & promoueri & gubernari nauis.

Et cum incidissent in locum bimarem, impegerunt nauem. Ac prora quidem infixa manebat immobilis: puppis verò soluebatur à vi vndarum. Militum autem consilium erat, vt vinctos occiderent, ne quis cum enatasset effugeret. At Centurio volens seruare Paulum, compescuit eos à consilio, iussitque, vt qui possent natare, abijcerent se primos, & in terram euaderent, cæteriq; partim in tabulis, partim in quibusdam nauis fragmentis. Et sic factum est, vt omnes incolumes euaderent in terram.

Εἰς τόπον διθάλασσον, id est, in locum bimarem. Latini autem vocant bimarem locum angustum, qui hinc & illinc mari alluitur. Iam enim ipsum describit naufragium, sed paucißimis. Notatur præterea militum ingratitudo & insignis cæcitas, qui rebus tantis hactenus per Paulum gestis non amplius fuerant commoti quam vt iam in summo periculo de parricidio consultarent. Verum illud est mundi ingenium, quod non iam primum sese exerit, sed prophetarum quoque temporibus quàm impudentißimè ostentauit. Atqui eiusmodi consilia ex instinctu satanæ sunt, qui sanctorum vitæ insidiatur, infensißimè: sed promiserat Deus Paulo salutem. Seruat igitur per centurionem, qui hactenus per Paulum erat seruatus. Cæterum quod tanta diligentia ad finem capitis appenditur: Et factum est vt omnes incolumes euaderent in terram, diuinam nobis veritatem commendat, qua tandem factum est vt post multas afflictiones iuxta verbum Domini seruati sint omnes. Nemo ergo posthac despera-

Veritas Dei.

desperauerit in tentationibus. Mundus hic mare quodpiam malorum est. Vita autem nostra naui similis est quæ varijs agitatur procellis. Sed subducet hanc quoq; aliquando in portum Dominus, modo solida fide in vero semper perseuerauerimus.

CAPVT XXVIII.

ET cum euasissent, tunc cognouerunt quòd Melite insula vocaretur. Barbari verò præstabant non vulgarem humanitatem nobis. Accensa enim pyra, recipiebant nos omnes propter hymbrem qui imminebat, & propter frigus.



QVI Græci aut Latini non essent, à Romanis Barbari dicti sunt. Melitenses verò licet nomine Barbari essent, re tamen ipsa fuere humanissimi: adeo vt Lucas humanitatem eorum non possit satis dignè laudibus euehere. Certè Paulus in decimotertio ad Hebræos capite hospitalitatem maximè commendat fidelibus. Hanc & Cicero Officiorum secundo libro impensissimè laudat. Et Chrysostomus in hunc locum scribens, Ruborem (inquit) nobis afferant Barbari. Nesciebant enim qui nam essent illi, sed ob calamitatem iam miserantur quod homines essent. *Barbari.* *Hospitalitas.*

Cum congregasset autem Paulus sarmentorum multitudinem, & imposuisset in ignem, vipera è calore prorepens inuasit manum eius. Vt verò viderunt Barbari pendentē bestiam de manu eius, inter sese dicebant: Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari vltio non sinit viuere. Et ille quidem excussa vipera in ignem, mali nihil passus est. At illi existimabant futurum, vt incenderetur, aut concideret repentè mortuus. Diu autem illis expectantibus, & intuentibus nihil mali illi accidere, mutata mente dibant eum esse Deum.

Offert se ingens miraculi occasio, nimirum vt insigne aliquod facinus patratum, Paulo apud Barbaros authoritatem pararet, quo & commodius apud eos agere, & veritatem valeat prædicare. Multa autem hisce in speciem quidem minutis egregia insunt documenta. Principio enim videmus Paulum laborare, & suis ipsius manibus contrahere sarmenta, quæ Latini vocarunt vitium purgamenta. Nam sarpere (authore Sexto Pompeio) antiqui pro purgare ponebant: vnde & generali voce pro quibusuis superfluis & abscissis purgaminibus ac proiectitijs virgultis vsurpari cœptum, cuius generis apud nos sunt, Spän vnd räspen. Illud autem vehementer damnat otium & ignauiam, maximè quod tantum virum non pudet sarmenta colligere. Deinde vt nusquam temerè miracula fecit, ita ægre hic quippiam cœpisset, nisi ipsa necessitas & Dei prouidentia ad miraculum patrandum compulisset: imò nihil ipse designat, sed Deum in se agentem vnà cum spectatoribus collaudat. Dei ergo omnis gloria est, qui interim seruis suis ad hunc modum authoritatem voluit parare. Nam in Euangelio Marci dixerat, Serpentes tollent, & si quid lætale biberint non nocebit eis. Proinde excutit viperam in focum Paulus, quam Dominus in hoc illi immiserat, vt omnium animos in ipsum converteret. Porrò ἔχιδνα, quam interpres vertit viperam, dicta est παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου, id est, ab eo quod fœtum intus contineat ad interitum vsque. Quod sanè cum ijs congruit, quæ de vipera scribuntur à Plinio libro Naturalis historiæ decimo, capite 62. Quæ ergo torpuerat frigore hactenus, calore ignis & excitata & in furorem concitata mordicus manum Pauli arripuit. Nam Plinius libro 11. capite 37. Viperæ dentes (inquit) gingiuis conduntur. Hæc eadem prægnans veneno impresso dentium repulsu virus fundit in morsus. Præsentissimum autem est huius bestiæ venenum. Hinc Lucas, Barbari (inquit) existimabant futurum vt incenderetur intumescensque repente concideret mortuus, veneni vi ad cor irrumpente. Illud verò in primis obseruandum est, quòd Barbari omnes clamitant, Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari δίκη, hoc est, vltio non sinit viuere. Inde enim nos intelligimus, quòd homicidium vel apud ferissimas nationes & gentes Barbarissimas inter profligatissima & extrema reputatum est flagitia. Id quod illi hodie parum expendunt, qui stipendijs principum conducti tot Christiani fundunt sanguinis. Sed stat verbū Domini, Sanguis fratris tui clamat ad me de terra. Reperiet ergo Deus nocētem. Nam virum *Labor & alacritas Pauli.* *Nusquam temere miracula faciunt sancti.* *Homicidium.*

improbum (vt fertur prouerbio) vel vnus mordeat. Et δίκη quidem, quam interpres vitionem vertit etiam dea est iudiciorum, quæ lites dirimit. De hac Hesiodus, ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ δίκη, διὸς ἐκγεγαυῖα. Virgo Vltio est prognata Ioue. Fortassis ergo senserunt Barbari, quòd vltrix malorum dea tandem in hoc tam nephario homine commissum nephas punire voluerit. Hanc alij Nemesim Adrastiam insolentiæ & arrogantiæ vindicem appellitant, quæque spes immoderatas & veret & puniat: ἀδράστεια dicta ἀπὸ τοῦ α στερητικοῦ μορίου καὶ δράσεως, quod nemo nocens meritam pœnam vsquam effugerit etiamsi quando serius assequitur. Ausonius de statúa huius elegans ex Græco epigramma in hæc verba traduxit,

Me lapidem quondam Persæ aduexere trophæum
Vt fierem bello, nunc ego sum Nemesis:
At sic vt Græcis victoribus asto trophæum,
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

Iam quod ex miraculo Melitenses Paulum deum esse existimant, ex leuitate gentili & falsa de dijs persuasione enatum est. De qua re dictum est in Capite 14.

In locis autem illis erant prædia primati insulæ, nomine Publio, qui nos exceptos, triduo benigne tractauit hospitio. Contigit autem patrem Publij febribus, ac dysenteria vexatum decumbere. Ad quem Paulus intrauit, & cum orasset, imposuissetque ei manus, sanauit eum. Hoc igitur facto, cæteri quoque qui habebant infirmitates in insula, accedebant & sanabantur, qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & soluentibus imposuerũt quæ necessaria erant.

Hospitalitas præmiũ habet. Aliud autem miraculum describit, quod verius beneficium vocaueris. Aliud enim hospitalitatis exemplum in Publio proponitur. Quemadmodum ergo Sunamitis olim ab Helizeo ingenti beneficio propter hospitalitatem affecta est: ita hoc loco Publius pristinæ sanitati restituitur, nimirum quòd miseros tam humaniter excepisset. Voluit ergo istis denuo declarare Dominus, quòd hospitalitas laudem & præmium apud Deum & homines habeat. Cæterum hoc Dei beneficio Pauli opera Publio præstito reliqui insulani homines permoti ægrotos suos adferebant, & per virtutem nominis Christi sanabantur: quæ sanè non aspernenda coniectura est, Melitenses fidem Christianam suscepisse. Quò & illud spectare videtur, quod paulò post sequitur, Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & soluentibus imposuerunt quæ erant necessaria. Hi enim sunt fructus fidei, de quibus diximus in Capite 16. *1.Cor.9. 1.Tim.5. Titum 3.* Et de impositione manuum sæpius iam dictum est, Germani dicimus, Die hand bieten. Manum porrigere, pro auxiliari. Ergo manuum impositio symbolum est futuri auxilij diuini. *Impositio manuum.* De prædijs copiosè scripsit Valla ex Vlpiano libro sexto Elegantiarum capite 41. Dysenteria verò, vt tradit Archigenes, vlceratio arteriarum ac viscerum perseuerans: ex caussis extrinsecus, videlicet frigoris, caloris, potionis cibique minimè concocti ac acuti. Habet similitudinem cum Tinesmo, qui voluntas est inefficax excreandi, sanguinis tantum aliquid emittens. Hunc morbum Celsus dicit Tormina à Latinis appellari. Hæc ex Volater. Philol. lib. 24.

Post menses autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hyemauerat, cui erat insigne Castor & Pollux. Et cum venissemus Syracusas, mansimus triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium, & post vnum diem afflante austro, postridie venimus Puteolos, vbi repertis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem, & sic venimus Romam. Et inde cum audissent fratres de nobis, prodierunt in occursum nobis vsque ad Appij forũ ac tres tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratijs actis Deo, sumpsit fiduciam.

Dioscori insigne nauis. Hic te ad Epitomen remittimus. Beda, Castorem & Pullucem ob id (ait) gentiles in deos inuocant, quia in prodigijs nautarũ, si solitariæ stellæ in naui vel antemnis apparuerint, periculosi, si verò geminæ prosperi cursus sunt nuntiæ. At postrema illa mutuatus est ex trigesimo septimo capite, secundi libri Plinij. Quæ autem præterea de Dioscuris fabulantur poetæ, longum esset hic recensere. Lucas certè mentione istorum superstitionem taxauit gentilitiam: id quod & Chrysostomus annotauit. Turpissimè enim errant, qui istos ad idolorum cultum defendendum producunt. Nolim autem te

tem te hic impingere vbi Lucas refert Paulum recta Puteolis venisse Romam, deinde verò enumerat Appij forum & tres Tabernas. Non enim hi loci in vrbe sunt, sed Lucas Hysterologia vsus est. Principio enim in genere dixit Romam venimus: deinde iterum redit ac describit quo loco salutatum à fratribus egressis excepti, & quomodo ingressi sint vrbem. Habuit enim Roma plurimos in fide Christi optimè institutos, qui Pauli erant studiosissimi, vnde & obuiam ei proficiscentes (rumor enim Romam ad fratres pertulerat Paulum Puteolos venisse) non parum Pauli animum refocillarunt. Gaudebat enim multos Romæ esse, qui syncero pectore fauerent Euangelio, hinc & maiorem animi concepit fiduciam. *Confirmatio sanctis fide mutua.*

Cum autem venissemus Romam, Centurio tradidit vinctos principi exercitus. Permissum est autem Paulo, vt maneret solus cum custodiente se milite.

Paucis nunc ea quoque delineat quæ Romæ fecit Paulus. Multis (inquit) laboribus exantlatis tandem attigit Romam, ita vt promiserat Dominus. Quemadmodum verò vbique diuino stipatus auxilio propitios sibi habuit Romanos, ita hic quoque permissum illi, vt in libera ageret custodia. Neque dubium quin Centurionis illius qui illum à Syria adduxerat, multamque prudentiam, constantiam & sanctimoniam in hoc viderat, opera commendatus, melius per omnia habuerit. Dat autem suis gratiam Dominus (vt perhibet Scriptura) in conspectu principum. *Paulus Romam venit.*

Post tertium autem diem conuocauit Paulus Iudæorum primores. Cumque venissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, cum nihil fecerim aduersus plebem aut instituta maiorum, vinctus ab Hierosolymis, traditus sum in manus Romanorum: qui cum examinassent, voluerunt me dimittere, eò quod nulla esset causa mortis in me. Sed contradicentibus Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, nō quasi habeam de quo gentem meam accusem. Propter hanc igitur causam aduocaui vos, vt viderem & alloquerer. Propter spem enim Israelis catena hac circundatus sum.

Describit quid egerit cum Iudæis, quomodo his prædicauerit Christum, & quomodo hi vicissim erga Paulum sese gesserint. Igitur Apostolus velut præuenturus sinistram Iudęorum de se suspicionem, vocatis illis, exponit cur vinctus Romam venerit, & quod nihil mali in legem aut maiorū instituta aut in ipsum populū Iudaicū mali piaculiue cōmiserit. Quod verò appellarit, in caussa fuisse nimiam Iudęorum in Syria agentium morositatem. Nihil autem asperius nunc in illos dicit: sed summam totius negotij magis colligens mira euidentia ad calcem orationis suæ adpendit, Propter spem Israelis catena hac circundatus sum. Spes verò Israelis erat Christus Dominus, qui & vita & resurrectio est fidelium. Nihil autem hic dicitur, quod non sit dictum prius. *Quid Romæ cum Iudæis egerit Paulus.* *πάθος est in verbis & habitu.*

At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nuntiauit, aut loquutus est aliquid de te mali. Volumus autem ex te audire quæ sentias. Nam de secta ista notum est nobis, quod vbique ei contradicitur.

Hæc iterum testantur quàm illibata fuerit Pauli innocentia, rursus quàm iniqua summi Pontificis Ananiæ & complicum inuidia. Quod ergo Paulus ab istis hactenus erat perpessus nullius maleficij, sed veritatis tantum gratia perpessus erat. Cui Dominus amplissimam hic ansam suppeditat iustitiam in Christo prædicandi Iudæis. Hi enim sententiam Pauli de secta Nazarenorum sponte sibi exponi postulant. Vbi tamen sectę vocabulo nō in malam partem, interim verò non citra Iudaicum supercilium vsi sunt. Vide præterea quàm ingrata sit orbi veritas. De secta ista id (inquiūt) nobis cognitum, quod vbique ei contradicitur. Caussam exponit Christus Ioan. 15. *1. Pet. 4.* *Sup. cap. 24.*

Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium complures, quibus exponebat, testificans regnum Dei, suadensque eis de Iesu ex lege Mosi & Prophetis, à mane vsque ad vesperam: & quidam credebant his quæ dicebantur, quidam verò non credebant.

Christum prædicat hic quoq; Paulus vt vbiq;

Lucas pro veteri suo more non nisi capita disputationis Pauli assignat. De quibus cum iam toties dictum sit, molestissima foret eadem toties repetere. Et quemadmodum vbique audiuimus alios quidem pro electionis gratia humaniquè ingenij varietate credidisse, alios minus, ita idem hic quoq; indicatur. Illud porrò diligentiæ & ardoris est, quod à mane ad vesperam vsq; Christum prædicat.

Cumq; inter se non essent concordes, discedebant, vbi dixisset Paulus vnum verbum: Bene Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quòd Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se disceptationem.

Paulò obscurior est hæc oratio à principio. Est qui sic explicet, Cum inter se non essent concordes, cœperunt abire, Paulo prolixæ orationi vnum adhuc verbum adijciente. Cæterum videtur per Epanaphoram sic posse exponi, Cum non essent inter se concordes, & obmurmurarent veritati, protinus id verbi illis ingessit, quod apud Isaiam in sexto capite de Iudaica cæcitate legitur, quo simul ita exasperati sunt vt è vestigio sese ex auditorio proriperent. Hic autem illud interim intelligendum est quod data opera redierit Lucas, & copiosius illud ipsum explicarit, quod iam parcius delibarat. Neque enim temere ad finem huius operis tam copiose meminit Iudaicæ excæcationis. Siquidem istud prudenti consilio fecit, quasi dixerit, Quod autem adeo veritati Euangelicæ repugnauit Deo dilectus quondam populus scripturarumq; peritus, neminem offendere debet, quasi Euangelica doctrina propterea sit de errore suspectior. Vera enim & iusta hęc adeoq; ipsa veritatis lux est, sed Iudæorum oculi ad hanc caligant. Quod non ipsi primum in Iudæorum dicimus inuidiam, sed idem prædixit ante nos Isaias Propheta. Hæc de consilio Lucæ. Interim verò Paulus non minus Iudæos hoc testimonio, vt aliàs sæpe reuincit, comprobans Euangelicam doctrinam esse iustam & veram, Deumquè ipsum populo suo obtulisse salutem, sed illum hanc propria malitia aspernari: ipsum ergo sua culpa periturum, & regnum Dei ad Gentes fore transferendum. Quæ sententia iam quidem præsens negotium pulchrè claudit. Hactenus enim floruit Gentium Ecclesia, Iudæorum Synagoga miserè proculcata. Quæ autem hoc loco de Prædestinatione Dei, de excæcatione impiorum, & electione sanctorum dici poterant, diligentius ab ipso Paulo exposita sunt in Romanis capite 9. 10. & 11. Neque hic à Paulo alia aduersus Iudæos dicuntur, quàm quæ in fine 13. huius operis Capite audiuimus.

Iudaica excæcatio.

Mansit autē Paulus biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum Dei, ac docens quę sunt de Domino Iesu cum omni fiducia, nemine prohibente.

Cæterum Pauli gesta breuibus hisce perstringit. Mansit (Inquit) toto biennio in conducto suo, id est, in ædibus quas conduxerat, humaniter excipiens omnes cùm Iudæos tum Gentes, qui ipsum fortè adijssent perdiscendæ veritatis gratia. Illis autem summa diligentia exposuit negotium fidei Christianæ, idq; libere, nemine prohibente. Quod bifariam accipi posse tradit Erasmus, à nemine inquam vetitum esse, aut tali animo præditum fuisse, vt à nemine posset impediri. Verum prior sensus simplicior est. Ex Epistola ad Philippēses liquet, quòd Romæ plurimos sibi etiam ex Cæsaris familia habuerit amicos, quodq; apud plerosq; in magno fuerit habitus pretio.

Interitus Pauli 2. Tim. 4.

Hucusque verò persequutus est Lucas Actuum Apostolorum Pauli potissimum historiam. Cætera scriptores (referente Erasmo) nō indiligentes, ex varijs coniecturis videntur addidisse: videlicet Paulum primum apud Neronem dicta caussa fuisse absolutum, ac liberè vbi vellet Euangelium prædicasse annos decem. Tandem vbi Neronis sæuitia iam processisset in rabiem, reuocatum esse ad eius tribunal & capite truncatum. Cæterum quod ipse Lucas historiam non longius prosequutus est, non modo ea videtur esse caussa, quæ à plerisque creditur, quod morte interceptus, plura non potuerit: sed quod eatenus illam persequi voluit, quatenus religioni Christianæ conduceret ac necessarium videret: id ergo cum hactenus satis fideliter præstitisset, non erat quod Lectorem copiosiori one-

Cur Lucas non continuarit historiam.

ſiori oneraret hiſtoria. Iam etſi Hiſpanias & Gallias deniq; ipſam Italiam peragraſſet Apoſtolus, ipſe que Lucas & hanc profectionem hiſce adiecìſſet, quid obſecro poſt locorum, vrbium & miraculorum diuerſitatem ab ijs quæ dicta ſunt noua aut diuerſa dixiſſet? maximè cum videamus in ſuperiori hiſtoria eandem rem decies eſſe repetitam. Chriſtus enim heri & hodie idem in ſecula. Quorſum ergo opus erat multa Lectorum moleſtia eadem ſubinde oberrare chorda? Sanè prudentiæ aſcripſerim quod hactenus duntaxat hiſtoriam ſcripſerit. Hebr.13.

Cæterum quæ nos hactenus ſex hiſce Commentariorum libris diſſeruimus, iudicio Eccleſiæ fideli ſubmittimus, quando apud hanc Paulo, imò ipſi Deo placuit eſſe iudicium: interim oro vt quiſque fidei charitatis regula ſingula expendat, boniq́ue hæc noſtra conſulat, quæ ad promouenda piorum ſtudia ædita ſunt. Ego ſanè in religionis ſumma me nullibi aberraſſe confido, in tradendi autem modo iudicandiq; de locis perplexioribus felicitate, fateor plures eſſe qui hoc ipſum felicius & breuius abſoluere queant: ſed in rem tuam prolixior fui. Nec inuideo ſi alius meliora eruditioraq; tradat. Nec moror Lectorum applauſum. Chriſti gloriam quæro, ad Chriſtum te hoc labore noſtro manu duco, proinde ſi eius ſuauitatem expertus vni adhæſeris, gaudeo. 1.Cor.14.

FINIS.

SERIES ET DIGESTIO TEMPORVM ET RERVM descriptarum à Beato Luca in Actis Apostolorum, authore Heinrycho Bullingero.

CONTINENTVR *ergo in hoc opusculo, primum quidem adumbratio Ecclesiæ & doctrinæ Apostolicæ, deinde non Herculis, sed electissimi organi Dei D. Pauli, magni illius florentissimorum Asiæ & Europæ regnorum doctoris celeberrimi labores & ærumnæ. Postremo omnium Regum Herodianorum, omnium Præsidum Iudæorum, & omnium Cæsarum Romanorum, qui Apostolorum sæculo, Pauli maximè, vixerunt; series & historia breuis.*



IESVS.

Hic est Filius meus dilectus: in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

FIDELISS. CHRISTI ET ECCLESIAE
MINISTRO D. RODOLPHO GVALTHERO,
Heinrychus Bullingerus gratiam & pacem
optat à Domino.


DVMBRAVI *ante annos aliquot continuam Temporum annorumq́; seriem vnà cum breuißima expositione historica potißimarum rerum ab origine mundi ad natiuitatem vsque Christi in lege & Prophetis, in libris inquam Testamenti veteris, traditarum. Ea lucubratione cum te vehementer delectatũ intellexerim, fili charißime idemq́; compater & symmista fidelißime, adieci animum ad ea quoque tempora scripta & facta in compendium ordinem & seriem componenda, quæ beatißimus & doctißimus Euangelista Lucas luculentißima historia tradidit de rebus Ecclesiæ Christi, Apostolorum, & Pauli præsertim in Actis Apostolorum. Laboraui in negotio impexo & laborioso satis, ad vtilitatem fratrum, pro meo talento accepto à Domino. Si alius simpliciora & planiora protulerit, non inuidebo. Nihil ego sine authore, sine ratione, aut sine verisimili alioqui coniectura attuli. Iudicium relinquo Lectori candido, cui non oracula, quod meam quidem commentationem attinet, sed expendendas sententias propono, vt quod optimum & simplicißimum quisque esse putauerit, amplectatur, cætera relinquat. Tibi autem maximè, fili dilecte, nuncupo & dedico hoc opusculum, quem in Christo valde diligo, ac modis omnibus hortor, vt quod modo facis, facias perpetuo, vt pergas inquam in sacris literis cum Propheticis tum Apostolicis euoluendis perlustrandis & excutiendis esse aßiduus, quo luculentiore cum perspicuitate vi atque fructu ecclesiam illam sanctißimam tuæ fidei commendatam, Deo auxiliante, erudire & in veritate Christiana conseruare posis. Tu oranti vt elegantem & perutilem multis Orationem de officio ministrorum ecclesiæ habitam ederes, morem geßisti. Ego tibi vicißim roganti vt hunc meum librum vulgarem, obtemperaui. Videbantur vtraque argumenta pulchre sibi congruere, & mutuo sese veluti iuuare. Vt enim liber meus in Paulo absolutißimum exemplum ministri Ecclesiastici exhibet, ita tua Oratio disputat de eo qualis esse debeat οἰκέτης siue seruus ecclesiasticus. Vale Tiguri mense Ianuario.*

TABVLA

TABVLA SERIEI ET DIGESTIONIS TEMPORVM ET RERVM descriptarum à Beato Luca in Actis Apostolorum.

Anni Cæsarum Romanorum.	Anni Præsidū Iudæorum.	Anni Herodianorum.	Anni Christi nati.	Anni S.Pauli Apostoli.
TIBERIVS.	PILATVS.	HERODES.	CHRISTVS.	PAVLVS.
18	5	27	33	
Hoc anno patitur CHRISTVS, *resurgit ex mortuis, ascendit in cælos, inde mittit Spiritum Sanctum in Apostolos. Apostoli colligunt ecclesiam Christo Domino, & in persequutione perdurant. Lapidatur Stephanus.*				
19	6	28	34	1
Conuertitur ad Christum Paulus apud Damascum: deinde abit in Arabiam prædicatum Euangelium. Samaria quoque recipit Christum.				
20	7	29	35	2
Prædicatur vrbibus maritimis Euangelium per Philippum, qui etiam conuertit principem Æthiopicum.				
21	8	30	36	3
Syriæ & Phœniciæ prædicatur euangelium ab illis qui dispersi profugerant ex vrbe Hierosolymorum.				
22	9	31	37	4
Redit ex Arabia S. Paulus, venit Hierosolymam, inde abit in Ciliciam.				
23	MARCELLVS.	32	38	5
S. Petrus venit Lyddam, deinde vocatur Cæsaream ad Cornelium, quem & baptisat. Hinc Hierosolymis causam sui facti reddit expostulantibus.				
CAIVS.	PETRONIVS.	33	39	6
Antiochia in Syria conuertitur ad Christum. Apostoli mittunt eò Barnabam.				
2	2	34	40	7
Petrus Antiochiæ à Paulo increpatur. Barnabas enim ex Tarso Paulum adduxerat Antiochiam: Venit illuc Agabus, prædicit famem. Paulus & Barnabas ferunt subsidium Hierosolymam.				
3	3	35	41	8
Iubente S. Sancto mittuntur Paulus & Barnabas ad Gentes prædicatum ab Antiochia.				
4	4	36	42	9
CLAVDIVS.	AGRIPPA.	Omnia huius	43	10
2	2	Regis dantur	44	11
3	3	Agrippę quoq;	45	12
Hoc anno decollatur ab Agrippa rege Iacobus maior in vincula conijcitur Petrus ab eodem rege. Liberatur ab angelo. Interit rex.				
4	FADVS.	Fames.	46	13
Redeunt expleta prædicatione Antiochiam Paulus ac Barnabas ac in ecclesia manent diebus multis.				

His annis conuertuntur Cyprus, Pamphilia, Pisidia, Lycaonia.

Anni Cęſarum Romanorum.	Anni Præſidū Iudæorum.	Anni Regu= lorum.	Anni Chriſti nati.	Anni S.Pauli Apoſtoli.
5	2	FELIX circa	47	14
6	3	hoc tempus ve	48	15
		nit in Syriam.		

Circa principium huius anni profecti ſunt Paulus & Barnabas per Phœniciam & Samariam in Synodum Hieroſolymas. Deinde redeunt Antiochiam. Paulus abit in Ciliciam & Lycaoniam.

7	TIB. ALEX.		49	16
8	2		50	17

His annis conuerſa eſt Phrygia, Galatia, Myſia. A Troiade nauigauit in Macedoniam, ac conuertit Philippos, Apolloniam, Amphipolim, Theſſalonicam, Athenas.

Venit Corinthum.

9	3		51	18
10	CVMANVS.	AGRIPPA iun.	52	19

Nauigat Paulus Hieroſolymam, inde redit Antiochiam, inde inuiſit Galatiam & Phrygiam olim conſtitutas eccleſias.

Venit Epheſum.

11	FELIX.	2	53	20
12	2	3	54	21
13	3	4	55	22
14	4	5	56	23

Transfretat in Græciam. Inde circa paſcha 22. anni nauigat in Syriam, venit circa Pentecoſten Hieroſolymam. Ibi capitur à Iudæis. Liberatur mox à Cl. Lyſia tribuno, ac mittitur Felici Cæſaream. Sub Felicis cuſtodia exegit biennium

NERO.	PORT. FESTVS.	6	57	24

Venit in Iudæam Feſtus circa Maium. Agit cauſam ſuam Paulus coram Feſto, deinde coram Feſto & Agrippa rege. Mittitur Romam in Italiam.

Paulus 2 Neronis anno Romā venit. Biennio egit in libera custodia.

Occidenti prædicat Paulus.

Initium perſequutionis Chriſtianorum.

2	2	7	58	25
3	3	8	59	26
4	ALBINVS.	9	60	27
5	2	10	61	28
6	3	11	62	29
7	4	12	63	30
8	5	13	64	31
9	FLORVS.	14	65	32
10	2	15	66	33
11	3	16	67	34
12	4	17	68	35
13	5	18	69	36
14	VESPASIANVS	19	70	37
	Dux.			

S. Paulus vltimo Neronis anno Romæ gladio obtruncatur, cum prædicaſſet Euangelium Chriſti in Oriente & Occidente annos circiter triginta ſeptem.

SERIES

SERIES ET DIGESTIO TEMPORVM ET RERVM DESCRIPTARVM À BEATO LVCA IN ACTIS APOSTOLICIS; AVTHORE HEINRYCHO BVLLINGERO.

CAPVT I.

De temporibus prædicationis & paßionis Domini nostri Iesu Christi.



BEATVS Lucas doctissimus diligentissimusque historiæ euangelicæ scriptor, tradit Euangelij prædicationem XV. Tiberij Cæsaris anno per ministerium sanctissimi Ioannis Baptistæ, in Iudæa, feliciter esse cœptum, ac eodem anno, qui ætatis Christi ab eodem Luca XXX. numeratur, baptisatum Christum: qui cum Hierosolymam, ex more & religiose quidem, ascendens, per tria continua paschata (Ioanne teste) & ipse prædicauerit euangelium, deinde demum occisus sit: consequens est Christum Dominum XVIII. Tiberij Cæsaris anno, ferijs paschæ, in crucem esse suffixum, anno ætatis suæ XXXIII. *Initium prædicationis euangelicæ.*

Nam XV. Tiberij Cæsaris anno, qui ætatis Christi XXX. est, cœpit quidem concionari Ioannes, sed ipse interim Dominus anno eodem varijs modis tum etiam prædicatione euangelica inclaruit: ac tum demum commemorat Ioannes in cap. 2. euangelicæ suæ historiæ primum pascha, quo Dominus primum vendentes & ementes eiecit ex templo. Erat is annus imperij Tiberij XVI. ætatis Christi XXXI. In 6. cap. commemorat Ioannes pascha secundum, quod datur Tiberij anno XVII. ætatis Christi XXXII. Scio ab alijs secundum pascha peti ex 5. cap. Ioannis. Verum malo cum veteribus sacrarum literarum interpretibus tria duntaxat paschata quàm IIII. Domino tribuere: maxime cum pro quarto paschate nulla vsque adeò certa & firma proferantur argumenta quin dilui possint. D. Chrysostomus nõ temerè per festum diem, cuius meminit in 5. cap. Ioannes, Pentecosten intellexit. Nec infringitur eius sententia per illud quod 4. cap. ad discipulos dixisse legitur Dominus, Nónne vos dicitis, Adhuc quatuor menses sunt & messis veniet? Ecce dico vobis attollite oculos vestros, & videte regiones, quoniam iam sunt albæ ad messem, &c. Nam primis verbis suis Dominus non tempus definit & mensem designat, vti istis quibusdam visum est, Nouembrem, sed quid ferè tempore quouis ab hominibus fieri soleat dicit, & hoc ipsum trahit ad institutum suum. Quasi dicat, Nónne vos diligenter & cum desiderio quodam supputatis dies messis, quare ergo ipse quoque non obseruarem quàm diligentissime occasionem metendi? Præterea posteriora & insequentia mox verba. Paraphrastes ita enarrat, vt pro nobis nihil contra nos faciant. Dicit enim, Quemadmodum autem ipsa seges iam flauescens falcem & messorum operam iam quasi flagitat: ita si sustuleritis oculos vestros & obseruaueritis humanarum mentium segetem etiam apud Samaritanos & Ethnicos properantium ad euangelicam doctrinam, intelligetis regiones vndique velut albescere ad messem euangelicam. Postremum & tertium pascha illud est, cuius Ioannes meminit in cap. 11. & in quo Dominus semetipsum obtulit pro peccatis totius mundi. Erat is annus Tiberij XVIII. ætatis Domini XXXIII. *Supputatio temporum prædicationis Domini.* *Dominus non prædicauit per quatuor paschata.*

Video tamen in tempore mortis Christi constituendo aut designando non per omnia conuenire nostris scriptoribus. Epiphanius Salaminæ Cypri episcopus in libro suo contra omnes hæreses disputans, contra illos præsertim qui negant euangelion S. Ioannis, In medio Consulatu eo, inquit, qui post Rubellionis Consulatum successit, Vinnicij & Longini Cassij appellatus, patitur saluator in die ante XIII. Calend. April. XXXIII. anno aduentus incarnationis suæ. Porrò scriptor vetustissimus Tertull. in libro suo contra Iudæos, Passio Christi perfecta est, inquit, sub Tiberio Cæsare Coss. Rubellio Gemino & Ruffio Gemino, mense Martio, temporibus paschæ die VIII. Calendarum Aprilium, die prima Azymorum. Quod si quis consulat historias Romanas, quibus hac in re non parum tribuendum esse censeo, easque contulerit cum euangelio secundum Lucam, deprehendet Christum passum esse sub Consulatu Furij Camilli Aruntij *De tempore mortis Christi.*

Scriboniani & C. Domitij Ænobarbi, Id quo fiat clarius non pigebit huc ex Corn. Tacito probatiss. Romanæ historiæ & annalium scriptore seriem Consulum percensere.

Consulum Romanorum series sub imperio Tiberij Cæsaris.

Moritur Octauius Augustus, Suetonio authore, Coss. Sextis Pompeio & Apuleio XIIII. Calend. Septemb. Succedunt in Consulatu.

I.	Drusus Cæsar. C. Norbanus Flaccus.	IX.	C. Asinius. C. Antistius.
II.	Sisenna Statilius Taurus. L. Scribonius Libo.	X.	Corn. Cethegus. Vissellius Varro.
III.	C. Cœlius. L. Pomponius.	XI.	Corn. Cossus. Asinius Agrippa.
IIII.	Tiberius Cæs. III. Germanicus Cæs. II.	XII.	Lentulus Getulicus. C. Caluisius.
V.	M. Syllanus. L. Norbanus Balbus.	XIII.	M. Licinius Crassus. L. Calphurnius Piso.
VI.	M. Valerius Messala. C. Aurelius.	XIIII.	Iulius Sillanus. Silius Nerua.
VII.	Tiberius Cæs. IIII. Drusus Cæs. II.	XV.	C. Rubellius Geminus. C. Fusius Geminus.
VIII.	C. Sulpitius. D. Hatterius.		

Atque hic iam interrumpitur ordo & series Consulum apud Cornelium Tacitum: ac videntur circa initium lib. 5. non pauca desiderari in impressis exemplaribus. Cæterum Aurel. Cassiodorus & Gregorius Haloander non infeliciter restituunt, mea quidem sententia, quę per iniuriam temporis, quod scilicet Consulum ordinem attinet, interierunt & desiderantur. Subiunguntur enim Geminis Coss.

XVI.	M. Vinnicius. C. Cassius Longinus.	XVII.	Tiberius Cæs. V. Sianus collega.

Meminit sanè Tacitus Vinnicij & Longini, quibus locauit neptes suas Tiberius: idemque mox Tiberio assignat annos imperij XXIII. Sic enim scribit, XVII. Calend. Aprilis interclusa anima creditus est mortalitatem expleuisse, LXXVIII. ætatis anno, cum regnum tenuisset annis fermè XXIII. Cum his Taciti verbis cōgruunt per omnia Suetonij hæc, Obijt Tiberius in villa Lucullana LXXVIII. ætatis anno, imperij XXIII. Calend. April. XVII. Cn. Acerronio Proculo & Portio Nigro Coss. Nisi vero inseras duos illos quos supra memorauimus Consulatus, non pertinges ad XXIII. sed duntaxat ad XXI. Tiberij annos. Et Suetonius planè meminit V. Consulatus Tiberij dicens, Collegam sibi assumpsit in V. Consulatu Seianum, &c. Quæ omnia clare satis euincunt in Tacito desiderari duos illos Consulatus, ac iccirco necessario inserendos esse quo XXIII. anni compleantur. Nam in Tacito sequuntur hi Coss.

XVIII.	C. Domitius Ænobarbus. Camillus Scrib.	XXI.	C. Cestius. M. Seruilius.
XIX.	Sergius Galba. L. Sylla.	XXII.	Q. Plancius. Sex. Papinius.
XX.	Paulus Fabius. L. Vitellius.	XXIII.	Cn. Acerronius. C. Portius.

Ita demum plene complentur anni Consulatuum qui fuerunt sub Imperio Tiberij Cæsaris.

Dies paßionis Domini nostri Iesu Christi.

Quod diem attinet Passionis, quo Dominus noster crucifixus est, subscribit Cassiodorus Tertulliano, subscribunt & alij non vulgares. Iuxta horum supputationem excessisset Dominus noster è viuis XXV. die Martij, resurrexisset XXVII. die eiusdem mensis. Quoniam vero Luca authore post XL. dies ascendit in cœlum, ac die Pentecostes misit Spiritum Sanctum, nimirum ascendit V. Maij, & Spiritum Sanctum donauit eiusdem mensis XV. discipulis. Aliam vero supputationem ineas oportet, si sequi libeat sententiam Epiphanij. Alijs præterea visum est aliud,

CAPVT

CAPVT II.

De Primitiua Ecclesia Hierosolymis, in Samaria, & apud maritimas vrbes opera Apostolorum constituta.



EODEM anno post missum Spiritum sanctum, hoc est XVIII. Tiberij Cæsaris, cum protinus ab ascensionis die paulò ante Pentecosten Apostoli S. Matthiam coaptassent in numerum duodecim, ex quo sua culpa & impietate exciderat Iudas Ischariotes, cœperunt Apostoli palàm Hierosolymis prædicare Euangelium Christi, simul etiam baptisare atque ita congregare Ecclesiam siue Cœtum sanctum Domino. Et processit quidem auspicatissime negotium sacrosanctum. Mox enim & in initio rerum coierunt in Ecclesiam Christianam aliquot Iudæorum millia. Exercebatur & perseuerabat primitiua illa Ecclesia (quæ nondum erat onerata legibus innumeris & vitiata humanis traditionibus) in Doctrina Apostolorum, in precatione iugi, in participatione mensæ Dominicæ, & in communicatione fraternaque charitate, quam factis præstabat, non ore tantum prædicabat, innocentiæ vitæ, pietati syncerae & vere bonis operibus studens per omnia & in omnibus. Præterea separabat se Ecclesia à consortio cum inpœnitentium seu impiorum hominum, tum etiam à superstitione & cultu illegitimo. Dominus interea virtutem præstabat Apostolis, vt stupenda patrarent miracula, testimonia videlicet viua & efficatia veritatis Christianæ & religionis planè diuinæ.

Apostoli colligunt Christo Ecclesiam.

Exercitia Ecclesiæ in religione.

Quemadmodum vero Dominus, dum viueret, prædixerat crucem seu persequtionem protinus exercituram vexaturamq; sanctam Christi Ecclesiam: ita reipsa euenit. Vocantur enim in senatum Hierosolymitanum Apostoli, iubentur tanquam nocentes & seditiosi hæretici atq; schismatici rationem, si possint reddere, cur Christum prædicent crucifixum, cur congregent cœtũ, & in cuius nomine faciant quæ faciebant. Sicut autem idem Dominus dixerat, Cum tradiderint vos, ne sitis soliciti quid aut quomodo loquamini. Nam ipse dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes qui aduersabuntur vobis. Ita dicentibus in senatu pro se Apostolis, admirati sunt senatores, neq; aliud potuerunt quàm tyrannicis legibus liberam Euangelij prædicationem circumscribere & coercere. Sed non parebant impijs edictis Apostoli, nihil metuentes carceres & vincula. Ecclesia enim sedulo orabat libertatem dicendi & agendi concederet Dominus Apostolis. Quod sanè fecit. Cumque concluderentur in carcerem Apostoli, liberauit eos Dominus per angelum suum, vt aduersarijs plane ostenderet conatus ipsorum fore irritos. Imò cum virgis cæderentur Apostoli tantũ non ab instituto absterrebantur, vt magis & sibi gratularentur & Deo agerent gratias, quod digni essent habiti qui pro nomine Christi contumelia afficerentur.

Crux & persequutio Ecclesiæ.

Precationes Ecclesiæ.

Interea feruebãt in Ecclesia charitatis officia. Vt enim ministri verbi constanter pergebant & diligentissime ea exequebantur quæ ipsis imposuerat Dominus, ita auditores ipsorum alacriter & animo promptissimo præstabant opere, quod didicerant præstandum doctrina Apostolica. Conferebant ergo liberaliter quibus suppetebant opes, donaria ad conseruationẽ ministrorum verbi, & ad subleuationem inopiæ pauperum. Et quoniam hac in re homines ferè suam gloriam quærunt, neq; syncero animo agunt, ideo factũ est iustissimo Dei iudicio, vt propter hypocrisim & animum hac in re parum integrum, horribili exemplo, subitanea morte, Petro iudicium & decretum Dei pronunciante, interierint Ananias & Saphyra. Ac coercuit hoc exemplũ plurimos, metumq; illis iniecit, qui fortassis simili impuritate illusissent Domino, & sanctæ eius Ecclesiæ.

Beneficentia Ecclesiæ Christi.

Exemplum Ananiæ & Saphyræ.

Porro crescente iam Ecclesia, & crescentibus etiam opibus, ideoq; & negotijs Ecclesiæ, exortum est, vt ferè fit in frequenti turba, murmur, propter dispensationem opũ Ecclesiasticarum. Nam aliquid humani patiebantur qui murmurabant contra Apostolos. Ne itaq; latius serperet malum, & erumperet in aliquando detrimentũ & manifestam Ecclesiæ conscissionẽ, delecti sunt communibus suffragijs Ecclesiæ diaconi siue œconomi bonorum Ecclesiasticorum septem, inter quos præcipuus erat plenus fide & Spiritu sancto Stephanus.

Dispensatio opum Ecclesiasticarum.

Stephanus vero cum non tantum corpora sanctorum perituro cibo & rebus alioqui necessarijs corpori, alere & instruere satagaret, sed cibum illum æternum verbum veritatis pluribus proponere, & ab aduersariorum calumnijs vindicare pergeret, incidit illi lis & contentio super negotio Christi & Euangelij eius, cum alumnis synagogæ seu scholæ, quæ appellabatur Libertinorum, Cilicum & Asianorum. Agebant hi contra Stephanum dolo malo, conquirentes sibi vndique falsos testes, quos cum nacti essent pertrahebant ipsum in forum & consilium Hierosolymitanum, accusantes de infandis quibusdã criminibus. A quibus se quidem expurgauit oratione

Stephani martyris Christi historia.

pijſsima & inſtructiſsima: ſed non multo cum fructu. Coram ijs enim cauſam ſuam agebat,qui non vtramque partem audire,& iuſtum iuſto iudicio exequi cogitabant, ſed accuſatum protinus ad ſupplicium ducere ſtatuerant.Eijcitur ergo ex vrbe Stephanus, & lapidatur crudeliter. Hęc omnia quæ copioſiſsime exponuntur à S.Luca in Actis Apoſtolorum à cap.1.vſque ad cap. 8. videntur perfecta eſſe illo ipſo anno,quo Chriſtus aſſumptus eſt in cœlum, hoc eſt XVIII. Tiberij Cæſaris anno.

Grauis eccleſiæ afflictio & diſperſio.

Ex Stephani cæde oborta & conſequuta eſt grauiſsima perſequutio contra vniuerſam Hieroſolymorum eccleſiam. Diſiecit illa eccleſiam in regiones varias, ſed multo cum fructu regni Chriſti.Fideles enim diſcedentes Hieroſolyma, diſperſiq; per Samariam, per vrbes maritimas, & per Syriam,propagarunt prædicatione Euangelij regnum Chriſti quam latiſsime. Philippus enim Samaritis primum prædicauit Chriſtum.Venerunt in Samariam ſuppetias laturi S. Philippo Petrus & Ioannes: atque hi ex Syria pepulere inſignem impoſtorem & hominem impuriſſimum Simonem Magum,deinde redierunt Hieroſolymam. Philippus vero digreſſus & ipſe Samaria,Gazam deſcendens,reuocatur ab angelo ad principem Candaces reginæ Æthiopum conuertendum. Quod cum feliciter perfeciſſet, Aſotum deuenit,perq; maritimas vrbes Chriſtum prædicauit,donec attingeret Cæſaream prius appellatam Turris Stratonis. Dubium autem eſt quoto anno venerit Cæſaream Philippus Euangeliſta.Certe ſi eodem tempore, quo Petrus Cæſaream deuenit, vocatus ad Cornelium, Ceſareæ fuit Philippus, nihil mirum cur Cornelius Deo iubente Philippum non vocarit:cum iam ante Philippo in Samaria docente, nihilominus ſubmiſsi ab Eccleſia deſcenderint docturi etiam Petrus & Ioannes.Si vero eo tempore quo Petrus ad Cornelium venit,Philippus Cæſareæ nondum erat, minus mirandum eſt quare ad Philippum doctorem non fuerit relegatus Cornelius. Certè Cæſareæ inuentus eſt Philippus tum, cum vltima profectione S. Paulus aſcenderet Hieroſolymam, ſicuti Lucas teſtatur in cap.21. Actor.Apoſtolicorum. Idem fuſius exponit in cap. 8. quæ paucis modo perſtrinximus de Conuerſa Samaria & de maritimis vrbibus Euangelio illuſtratis. Porrò de Syria & vicinis circum Syriam regionibus ad fidem conuerſis opera diſperſorum per perſequutionis procellam fideli um,ita teſtatur Lucas in Actis cap.11. Et illi quidem qui diſperſi fuerant ex afflictione,quæ orta fuerat ob Stephanum,perambulauerunt vſque ad Phœnicem & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes ſermonem Dei,niſi ſolis Iudæis.Cœperunt ergo iſta omnia fieri mox à morte Stephani, ſed perfecta videntur intra tres vel quatuor proxime Stephani mortem inſequentes annos.

Philippus. Simon Magus. Princeps Aethiopicus. Syria conuerſa ad Chriſtum

CAPVT III.

De Conuerſione S.Pauli eiusq́; peregrinatione ad Arabes, quomodo redierit Hieroſolymam,inde profectus ſit in Ciliciam,vnde à Barnaba reuocatus, peruenerit Antiochiam: quid interea fecerit Petrus, & quomodo Gentes receperint fidem.

Pauli conuerſio.



IN perſequutione ea cuius modo meminimus, præ alijs ſe geſsit impigre & ſtrenue Saulus qui idem appellatur Paulus.Fuit is eo tempore Luca in 7. cap. Actorum docente admodum iuuenis. Patria ei Tarſus clariſsima Ciliciæ vrbs. Vſus eſt præceptore & magiſtro famigeratiſsimo viro Gamaliele, apud quem Hieroſolymis haud dubie in ſynagoga Cilicum,educatus eſt.Hic inquam Saulus magno, ſed peruerſo Iudaicæ religionis zelo,ſuccenſus,Chriſtianæ religionis cultores implacabiliter & plus quam ferociter perſequebatur.Nam Damaſcum vſque,ad exteras etiam gentes, inſatiabili ſanguinis hauriendi cupiditate,excurrit.Cum vero ea in profectione eſſet ac Damaſcenę vrbi appropinquaſſet,cœlitus, diuina potentia,ſolò illiſus,per Dominum noſtrum IeſumChriſtum,ſenſit quàm ſit difficile contra ſtimulum recalcitrare. Deductus eſt inde per manus comitum ac miniſtrorum in ipſam vrbem: vbi mox à clariſsimo viro Anania baptiſatus, & de voluntate Domini Chriſti, ad quid ipſum vocaſſet,diligentiſsime edoctus eſt. Triduo vero exacto & cum iam nonnihil viribus ſuis eſſet reſtitutus,progreſſus in publicum,in publica ſynagoga Damiſci,diſputare cœpit de Euangelio,imò demonſtrauit euidentiſsime Ieſum,quem hactenus fuerat perſequtus,eſſe Chriſtum, verum inquam Meſsiam pontificem & regem ſummum. Id quidem factum omnes noſtræ religionis ſcriptores confitentur proximo anno ab ipſa Domini noſtri paſsione,qui erat natiuitatis eius XXXIIII.Tiberij Cæſaris XIX. Authores ſi quis vel aliquos & receptos quidem requirat, habet Euſebium Cæſarienſ.S.Hieronym. & Paulum Oroſium. Sed & ipſa ſeries atq; connexio annorum in tabula propoſitorum id ipſum confirmat.

Quando conuerſus Paulus.

Ex vrbe

Ex vrbe Damascena non rediјt protinus Hierosolymam ad eos qui ante ipsum fuerant Apostolos, sed abijt in Arabiam, & ex hac rediјt Damascum. At Aretas Arabum rex custodia circum portas collocata, Paulũ capere, & propter res in regno suo nouatas in ipsum animaduertere cogitauit. Quod cum fratres intellexissent, per sportam è mœnijs demissum Paulum in tutum statuerunt: ipse vero Hierosolymam reuersus dicitur. Hæc enim huc transtulimus partim ex 9. cap. Actuum Apostolorum, partim ex ipsis Pauli verbis Gal. 1. & 2. Cor. 12. Hierosolymis tentabat sese discipulis coniungere: sed nemo illi fidebat propter exercitam non ita pridem sæuitiam in fideles. Barnabas ergo, qui rectius noscebat Paulum, manu prehensum deduxit ad Apostolos, exponens his quomodo vidisset in itinere Dominum & quod synceriter Damasci docuisset Euangelium. Porrò Apostolorum alij non erant Hierosolymis eo tempore nisi Iacobus frater Domini & Petrus: apud quem mansit per dies XV. Hæc ipse de se Paulus scribit ad Gal. 1. cap. Meminit horum item Lucas in Actis cap. 9.

Paulus in [illegible] bi[illegible]. *Paulus [illegible] Hierosol[illegible].*

Disputauit Paulus Hierosolymis sedulo & diligenter contra Hellinistas, qui cum argumentis sua non possent tueri, cæde compensare voluere inscitiam. Orante ergo Paulo in templo, audit sibi acclamantẽ Dominum, Festinato exi vrbem: non recipient illi tuum testimonium: quocirca procul ad Gentes te mittã. Ideoq; fratres deductum Cæsaream vsq; dimiserunt ipsum in patriã Tarsum Ciliciæ. Et hac quidem occasione & hoc modo peruenit Paulus in partes Ciliciæ & Syriæ: vti ipse rursus exponit ad Gal. cap. 1. idipsum & Luca testante in Actis cap. 9.

Ex vrb[illegible] Hiero- solymorũ [illegible] tur Paulus [illegible] Gentes. Isaiæ 2.

Interea vero dum in istis regionibus prædicaret Christum Paulus, Petrus peragrauit vicinas Iudææ vrbes, & maritimas maxime. Nã & Lyddam peruenit: vbi Æneum paralyticum restituit. Ioppem quoq; vocatus à discipulis, Tabitham ex mortuis excitauit. Ex Ioppe vocabatur, Cæsaream ad Cornelium centurionem. Visum ergo Ioppe vidit, quod multis describit Lucas in Actis cap. 10. Eo viso erudiebatur gratiam Dei etiam ad Gentes pertinere, & ideirco hanc per Euangelium prædicandam esse Gentibus. Abit ergo ad Cornelium, prædicat ei Christum. Simul autem Dominus testimonium cœlitus confert Gentibus, de misso Spiritu sancto, quod & ipsorum sit regnum Dei. Vnde mox baptisantur à S. Petro.

Peregrina[illegible] & præd[illegible] Petri.

Petrus vero non ita post multos dies ascendit rursus Hierosolymam ad fratres. Hi protinus magno cum stomacho expostulantes cum ipso, indignantur quod dona Dei communicasset incircuncisis. At Petrus his iusta apologia satisfacit per omnia, demonstrans se auhore Deo, & ex causis iustissimis adisse Gentes, & prædicasse ipsis Dei gratiam. Fusius exponuntur hæc à S. Luca in Actis cap. 9. 10. & 11.

Vocatio [illegible]um.

Porrò viri quidam insignes Cyprij & Cyrenenses rabie persequutionis dispersi, vna cum alijs sanctis Syria peragrata peruenerunt Antiochiam, atq; in hac libere prædicarunt Christum Gentibus. Et Gentes quidem alacri mente & fide syncera receperunt Christum. Hoc cum peruenisset ad aures Ecclesiæ Hierosolymitanæ, misit ea Barnabam confortaturum fideles in cœpta & recepta religione. Id quod Barnabas Antiochiam veniens diligentissime exequebatur, omnes promiscue adhortans firmiter adhærere Domino. Videbat interim ad conseruandam Ecclesiam Antiochenam maxime opus esse doctoribus fidis, pijs & doctis. Profectus ergo in Ciliciam Paulum apud Tarsenses quæsiuit, inuentumq; secũ perduxit Antiochiam. Eo tempore qui hactenus appellati fuerant discipuli, quasi quis dicat auditores & discentes, Antiochiæ primum nuncupati sunt CHRISTIANI, nimirum à Christo Domino cui credunt & adhærent, & propter vnctionem Spiritus sancti quo imbuuntur fideles. Et hæserunt quidem duo hi viri & sanctissimi & doctissimi Antiochiæ per annum integrum ædificantes & confirmantes in vera fide Ecclesiam.

Antiochi[illegible] uersa ad fid[illegible] Christi. *Paulus à [illegible] ba deduc[illegible] Antiochia[illegible]*

Eodem tempore descendit ex vrbe Hierosolymorũ Antiochiã clarus ille propheta Agabus, qui per Spiritum sanctũ prædicebat grauissimam famem per totum orbem terræ sæuituram. Id quod simul cũ omnibus hucusq; de Antiochena Ecclesia proditis, tradidit S. Lucas in cap. Actuum Apostolorum 11. Ibidem scribit & subsidium missum esse ab Antiochia, Ecclesiæ Hierosolymitanæ, idq; per ministerium Pauli ac Barnabæ. Quanquam enim fames eo tempore quo prædicebatur futura nondũ affligeret homines, tamen adeò non ambigebãt de veritate prophetiæ fideles, vt iam ante famem submisso subsidio esurituros veluti præmunirent. Nam profectos Hierosolymam Apostolos ante profectionem in Cyprum & Pamphiliam, inde colligi potest, quod in reditu ad Antiochenã Ecclesiam, secum duxerunt Ioannem Marcũ ciuem Hierosolymitanum. Is enim cum peruenissent Apostoli in Pamphiliã defecit ab eis, & reuersus est Hierosolym. Alioquin constat ex historijs famem illam IIII. demum Claudij anno, ita vti prædictum erat, sæuijsse.

Fames [illegible] cta per [illegible]

Eodem hoc anno, quo Paulus à Barnaba Tarso Antiochiam deductus est, videtur Petrus à Paulo obiurgatus, ita, vt ipse hisce verbis in 2. cap. epistolæ ad Galat. testatur. Cum autẽ venisset

Petrus à Paulo obiurgatus Antiochiæ. Petrus Antiochiam, palàm illi restitit, eò quòd reprehensibilis esset. Nam antequam venissent quidam à Iacobo, vnà cum Gentibus sumebat cibum, cùm autem venissent, subduxit & separauit se ab illis, metuens eos qui erant ex circuncisione: ac simulabant vnà cum illo cæteri quoq; Iudæi, adeò, vt Barnabas simul abduceretur in illorum simulationem. Et reliqua.

Euangelium secundũ Matth. editum. Eusebius Cæsariens. tradit in Chronicis suis III. Caij Cęs. anno S. Matthęũ Apostolum & Euangelistam & scripsisse & edidisse historiam illam suam Euangelicam. Quod si verum est: primo loco erit collocandus inter scriptores Noui Testamenti Matthæus. Erat is annus à natiuitate Domini XLI. à passione VIII.

CAPVT IIII.

De profectione Pauli secunda, qua comite Barnaba Cyprum, Pamphyliã, Pisidiam & Lycaoniam conuertit ad Christum.

Paulus ab Antiochia mittitur Apostolus ad Gentes. AETERVM cum Antiochena Ecclesia abunde satis instructa esset prophetis & doctoribus excellentissimis, præcipit Spiritus sanctus Ecclesiæ Antiochenæ vt Paulum & Barnabam Apostolos nobilissimos ableget procul ad Gentes, prædicatum his Euangelium. Id quod facit religiosissimè. Apostoli quoq; alacriter obtemperantes vocationi diuinæ Seleuciam petunt. *Cyprus conuertitur.* A Seleucia vero soluunt in Cyprum, Christumq; Dominum vniuersæ prædicant insulæ. Nam à Salamina Paphum vsq; perueniunt: vbi clariss. virũ Sergium Paulum totius Cypri Proconsulem, à Romanis missum conuertunt, & impostorem versutissimum Barichuh insula pellentes cæcitate percutiunt. S. Hieronymus existimat Paulum appellatum prius Saulum, Pauli vero cognomen ceu trophæum vsurpasse à Sergio Paulo Proconsule quem Christo lucrifecit.

Pamphiliæ & Pisidiæ prædicatur Christus. A Papho deportantur Apostoli nauigio Pergen, quæ primaria est Pamphiliæ vrbs. Peragrarunt autem illam regionem Euangelij prædicatione complentes omnia, demum vero Antiochiam Pisidiæ perueniunt. In hac diligentissime prædicant Christum. Nec vspiam legitur S. Lucas maiore diligentia vllum Pauli sermonem descripsisse quàm illum ipsum quem habuit ad Antiochenos. *Doctrina Pauli omnis vnius generis.* Compendium id esse videtur doctrinæ Pauli. Semel enim plenè consignata Apostoli doctrina, qua vno in loco vsus est, habemus quid vbiq; locorum docuerit. Præsertim cum constet Paulum idem doctrinæ genus tradidisse vbiq; & publice & priuatim. Habemus certè Pauli epistolas 14. scriptas: sed omnes illæ vnius & eiusdem sunt generis & argumenti. Verum optimum verbi Dei semen decidit in aruum planè sterilem. Quanquam enim bona pars ciuium reciperet Christum, maior tamen insurgens contra Apostolos Antiochia expulit, idq; instinctu & opera religiosarum quarundam aut superstiosarum potius mulierum.

Lycaonibus prædicatur Christus. *Iconium.* Antiochia eiecti transeunt in Lycaoniam nobilissimam regionem, ac initio praeclarissimam ingrediuntur vrbem Iconium, ex imagine sic dictum, quod Prometheus & Minerua iussu Iouis hic finxisse dicebantur, idq; iuxta fabulas, post diluuium Deucalionis, ventoq; inde inspirante animatum. Vrbs ergo hæc præ alijs immersa hærebat luto idolomaniæ. In ea tamen docuerunt Apostoli multò cum fructu populum, adeo vt Gręcorum, id est Ethnicorum & Iudæorũ ingens turba adhæreret Domino. Et multo quidem tempore demorati sunt ibidem: tandem vero per tumultum & ex Iconio pulsi sunt. *Lystra. Derba.* Confugierunt ergo ad ciuitates alias Lycaoniæ, Lystram & Derben, finitimamq; vndiq; regionem fulgore euangelij illustrarunt. Lystris restituit inuocatione nominis Christi Paulus claudum ab vtero matris suæ: offerentesq; eam ob rem honores diuinos repressit constantissimè, demonstrans omnem gloriam & cultum omnem soli Deo deberi. Quod si diligenter hodie obseruaretur à quibusdam plus satis rixosis, non tanta pertinacia cõtenderent de cultu & inuocatione Diuorum. Mox inuersa fortuna Lystrani eum quem modo ceu Deum colere voluerant, nunc tanquam pestem patrię perniciosissimam lapidãt. *Lapidatur Paulus.* Restituitur tamen diuina potentia vitæ Apostolus, & confugit vnà cum Barnaba Derben. Inde regrediuntur, & peragrant rursus Lystram, Iconium & Antiochiam, creant & imponunt singulis Ecclesijs episcopos, qui regnum Dei non tantum conseruent contra dæmonis artes & vim, sed latius etiam propagent. Nam qui volunt ecclesiam & conseruatam & propagatam latius, in deligendis, sancte educandis, & ligitime ordinandis Ecclesię ministris idoneis & sanctis præcipuã curam habeant oportet.

Perga, Attalia Pisidia perlustrata descendunt in Phamphiliam, cuius vrbes clarissimam Pergen & Attaliam, & hanc quidem maritimã celeberrimamq;, Christo Domino per prædicationem Euangelij conse-

consecrant,consecratasque confirmant.Postremo rursum nauigio transfretant in Syriam,redeuntque Antiochiam,multis Ecclesiæ,à qua spiritu sancto dictante ablegati fuerant,exponentes, non quæ ipse fecissent,sed quæ Deus fecisset per ministerium ipsorum. Ita enim hic & vbique summa diligentia curant,ne quid sibi, omnem autem gloriam soli Deo tribuant. Id quod magna cum gratulatione & gratiarum actione ab Ecclesia auditum est. Videtur autem hæc peregrinatio duorum Apostolorum perfecta esse,vt minimum, intra quadrienniū aut quinquennium. Porrò testatur Lucas absoluta profectione hac multum temporis Apostolos Antiochiæ demoratos cum fidelibus,certe non minus quàm biennium. *Antiochiam redit Apostolus.*

Hæc autem quæ hucusq; gestorum Pauli,sic vt apparet,& hactenus consignatum est,in annos distinximus,& partiti sumus,his de causis sic digessimus.Principio,quod ipse rerum contextus in Actis Apostolorum à capite 9.ad.15.vsq; cap.huiusmodi seriem quasi flagitat. Deinde quod ipse Paulus annos peregrinationis suæ functioni Euangelicę ante Synodū illam celebrem Hierosolymitanam insumptæ supputans,numerat annos X I I I I. In quibus tres illos, quos Arabiæ paragrandæ impendit,comprehendere oportet. Id quod series rerū temporumq; consignata in Tabula palàm euincit.Alioqui enim si separatim supputes annos illos III. (sicuti & ego aliquando cum alijs perperam supputaui)colliges in vniuersum annos XVIII.At ea ratione non superessent à Synodo Hierosolymytana anni integri IIII. ad vincula vsq; Pauli in quæ fuit iniectus Hierosolymis. Neq; cuiquam verisimile videatur intra hoc tempus angustissimum ea potuisse ab Apostolo perfici,quæ tamen Lucas intra Synodum Hierosolymitanam & vincula Pauli perfecta esse testatur:semel & iterum assignato annorum numero, qui nullatenus permittit separari trium annorum supputationem. *Demonstratio supputationis.*

Proinde totam historiam Pauli à conuersione eius ad XV.vsq; annum prædicationis suæ ità in annos distribuimus.Tres annos tribuimus profectioni eius à Damasco in Arabiam reuersioniq; in vrbem Damascenam.Post III.annos redijt Hierosolymam,& mansit apud S. Petrum dies XV.Inde digressus peruenit in Ciliciam & partes Syriæ,in quibus exegit annos tres.Reuocatus à Barnaba Antiochiam manet in ea Ecclesia per annum, vt ait Lucas,integrum.Deinde ablegati ad gentes peregrinationem absoluerunt intra annos V. Restant ergo anni duo quibus Antiochiæ prædicarunt Christum.Eo modo colliguntur anni prædicationis Pauli XIIII. *Distributio annorum XIIII.*

CAPVT V.

De Herode magno & successoribus eius in regno Herodiano,de interitu item S.Iacobi & vinculis S.Petri.

NON pergam in rebus & temporibus S.Pauli percensendis,nisi obiter & de S.Iacobi, fratris Ioannis Euangelistæ,interitu,deq; vinculis S.Petri dicam.Cæterum ea res exacte intelligi non poterit, nisi prius Herodum regum historia & succesio delineetur.Et operepretium quidem videtur ista,quod in scriptis Noui testamenti frequentissima ipsorum habeatur mentio,in transcursu attingere.

Herodes ille magnus Antipatris Idumæi extitit filius.Antipater pater eius toti Idumæę pręfectus fuerat ab Alexandro rege & pontifice Iudæorum. Qua ex re multas sibi conquisiuit opes potentiamq; non aspernandam,adeò vt per hęc in amicitiam perueniret Romanorum:quorum opera Herodes filius primum tetrarcha,deinde rex Iudææ designatus est,M. Antonio præsertim adiuuante.Aduersabatur tum temporis Herodi Antigonus: sed hoc deuicto Iudæam & Galilæam prorsus in suam redegit potestatem. Multos ex diuersis vxoribus liberos suscepit, quorum tres ipse necauit, Alexandrum,Aristobulum & Antipatrem: reliquit rursum tres,Herodem cognomento Antipam,Archelaum & Philippum.De alijs eius liberis nulla mihi cura. *Herodes magnus.*

Mortuo patre oborta est inter filios lis & concertatio de regno:quam ob rem Cæsar tetrarchias seu toparchias instituit.Cessit autem Archelao Iudæa,Idumæa & Samaria.Herodi Antipæ data est Galilæa.Philippus accepit Bathaneam,Trachonitidem & Auranitidem,&c. Ex his Archelaus Iudæis & Samaritis talem se regem vel toparcham præstitit, vt à Cæsare post annū præfecturæ aut toparchiæ nonum deportari iuberetur in exilium.Torpachia vero ordinante Cyrenio,viro consulari & legato Romano, assignata est Copinio primo Iudææ rectori & præfecto à Romanis imposito.De quo aliàs dicemus. *Diuisum regnum Herodis in Tetrarchias.* *Archelaus.*

Herodes interim Antipa fruebatur sua Galilæa,regnauitque in ea à diuiso per Augustū regno annis circiter XXXVI.E regno autem hac occasione eiectus est.Herodis Antipæ frater à patre *Herodes Antipa.*

occisus Alexander(alij Aristobulum pro Alexandro reponunt)reliquerat filium Agrippam. Is cum Romæ in Cæsarum familia aleretur,grauatus Tiberij Cæsaris odio,quod Caio videretur im modice fauere,in vincula coniectus est. Igitur mortuo Tiberio,& Caio Cæs.in imperium euecto,eruitur ex carcere Agrippa.Imponit item Agrippæ diadema regium Caius, & donat ipsi tetrarchias Philippi & Lysaniæ nuper defunctorum. Quod cum intellexisset Herodes Antipa,festinat & ipse Romam à Caio regnum & nouum & auctius postulaturus. Id adeo non impetrat, vt & ipse sicuti frater Archelaus in exilium eiectus, Agrippam in tetrarchia Galilææ haberet successorem.Eidem Agrippæ,defuncto Caio Cæs.Iudæam & Samariam donat Claudius Cæs. ita vt vniuersum ferè aui sui Herodis magni regnum obtineret liberalitate principum Romanorum. Verum non fuit regnum eius diuturnum propter tyrannidem & crudelitatem. Hic enim Agrippa ille ipse Herodes est,cuius Lucas in Actis 12.cap.meminit: Agrippa videlicet appellatus nomine,cognomine Herodes. Herodis enim vocabulum regulis ex Herodis prosapia descendentibus,attribui cœpit,sicuti Cæsaris & Augusti datum est omnibus Iulium Cæsarem & Octauium Augustum insequentibus Romanis principibus. Hic Herodes circa finem regni sui,cum non ita post multos dies Cæsaream Hierosolyma descendens, superbe concionaretur & percuteretur ab angelo Domini,Iacobum Apostolum gladio truncari præcepit, & Petrum Apostolum in vincula coniecit,vt eundem peractis paschæ ferijs feriret gladio. Verum liberatus est à Deo opera angeli ex cruentis tyranni manibus Petrus, & interijt condigna factis suis morte crudelis tyrannus.

Agrippa Herodes.

Agrippæ regis interitus.

Hinc clarum est toto cœlo ab alijs errari,quibus visum est S.Iacobum XXI.Tiberij Cæsaris anno gladio Herodis percussum occubuisse. Hierosolymis enim cæsus est Iacobus. At Galilææ præerat Herodes Antipa.Iudæam eo tempore regebat Pontius Pilatus.Eodem tempore Herodes Agrippa Romæ viuebat priuatus, imò paulò ante mortem Tiberij ab ipso conijciebatur in vincula:deinde demum emergebat in regnum sub Caio.

Porro Herodes ille Agrippa interijt Cæsareæ anno ætatis suæ LIII. & regni quidem Iudaici III.à Galilæa indepta & patruo suo Antipa relegato in exilium IIII. & ab acceptis tetrarchijs Philippi & Lysaniæ VII.Reliquit filias tres Bernicem,Mariam & Drusillam,ac filium & ipsum Agrippam vocatum.Quo tamen aliquod esset inter Agrippas illos discrimen, pater appellatur Agrippa Priscus,filius Agrippa iunior. Hic X. Claudij Cæsaris anno in parte regni patrij,permissione & liberalitate Claudij regnare cœpit:adiecit Nero Galilæam regno Agrippæ,regnauitque vsque ad bellum quod Galilææ à Vespasiano illatum est, annos circiter XX. Hic idem ille rex Agrippa est apud quem S. Paulus caussam suam agit & grauissime perorat stans in catenis Cæsareæ præsidente Romanorum Portio Festo præside:sicuti copiose narratur à Luca in Actis cap. 26. His ad hunc modum obiter consignatis, redimus iam ad intermissam sancti Pauli peregrinationem continuandam.

Agrippa iunior.

CAPVT VI.

De profectione Pauli tertia,qua per Phœniciam & Samariam ascendit Hierosolymam in Synodum. Inde redijt Antiochiam:perambulauit Syriam Ciliciam & Lycaoniam:præterea conuertit Galatiam Phrygiam & Mysiam.

Paulus proficiscitur Hierosolymam in Synodum.



NNO Conuersionis Pauli XV.ascendit Paulus vnà cum Barnaba & Tito per Phœniciam & Samariam,apud quos interim & obiter prædicarunt Euangelium, Hierosolymam.Profectionis huius hæc erat caussa. Cum apostolus Antiochiæ multis diebus demoraretur ac pro fide & diligentia sua acriter & sedulo inculcaret per gratiam Domini nostri Iesu Christi in fide iustificari credentes:non per legem,non per opera aut merita hominum vlla:reperti sunt Antiochiæ, qui à pharisaismo Iudaismoq; ad fidem Christi conuersi,& à Beato Hieronymo Nazarei appellantur vel Minæi,fatebantur & ipsi Iesum esse Messiam Dei & hominis filium,saluatorem mundi,passum,resuscitatum,sublatumque in cœlos,sedere ad dextram patris.Ea omnia cum Paulo habebant communia.Verum contendebant interim Christum aut gratiam Christi fide à nobis receptam non sufficere ad plenam iustificationem. Asserebant itaque fideles in Christum non posse iustificari fide sola per gratiam Christi, nisi simul circunciderentur & seruarent legem, obseruationeque præceptorum pararent sibi plenam iustitiam.

Dißidium Apostoli cum Nazareis.

Contra horum assertionem modis omnibus prædicabat & defendebat cum Barnaba Paulus sola

lus sola Christi gratia per fidem plene iustificari credentes,adeoq; legem aut circuncisionē non iustificare.Habebant vtræq; partes,vt fit,suos asseclas & fautores.Et Pauli quidem doctrina premebatur suspitione leuitatis ac petulantiæ,quasi doctrina sua licentiam & ansam peccandi hominibus carnalibus præbere videretur. Cōtra Pharis.sententia apud hypocritas plus habebat authoritatis & gratiæ,quod videretur iustitiam & sanctimoniam & tradere & tueri.Preterea qui legis obseruationem negabant,gloriabantur se in sua sententia habere Apostolos Domini, adeoq; & Ecclesiam Hierosolymitanam.Criminabantur Paulum nō esse Apostolum, neq; doctrinam eius per omnia cum Apostolorum doctrina congruere.

Sola Christi gratia per fidē iustificari credentes.

Occasio plerarunq; epistolarum Pauli.

Hac de caussa maxime,iubente etiam,vt in Galatis ipse Paulus testatur,Spiritu sancto, Hierosolymam ascendunt vtrarumq; partium coryphei dogmata illa sua explicaturi in Hierosolymitana Ecclesia coram Apostolis & senioribus,vt vel sic colliquesceret vtra partium haberet consentientem Hierosolymitanam Ecclesiam & Apostolos.

Ergo vbi peruentum esset in vrbem & in ipsam coronam presbyterorum, inque conspectum totius Ecclesiæ, explicant suas sententias vtrinque, & disputatione feruentissima quæque partium pro sua sententia dicit. Tandem beatus Petrus interposita sua sententia Paulinam pulcherrimis euidentissimisque argumentis approbat,exornat atq; confirmat, aduersariorum reijcit, confutat, authoresque ipsos obiurgat. Producit in primis ipsius Dei factum,& modum exponit quomodo Deus iustificarit peccatores.Cornelius Centurio peccator fuit. Hunc iustificauit Deus.Iustificandi modus hic erat,Iussit me(inquit Petrus)prædicare Cornelio Euangelium.Prædicaui. Credididit. Protinus ergo testimonium cœlitus,dimisso Spiritu sancto specie visibili,perhibuit quod Cornelius fide in Christum purgatus sit.Super impium enim non requiescit spiritus Domini. Et qui nouit corda hominum spiritum demisit,vt non sit dubium,quin plene purgatus & iustificatus sit. Et hæc tamen omnia sine circuncisione & adminiculo legis perfecta sunt,neq; iussus est Cornelius se circuncisioni & legalibus subijcere : vnde consequens est fide homines absq; lege plene iustificari.Proponit deinde modum & rationem qua non Apostoli modo sed omnes sancti patres iustificati sunt.Tantum,inquit Petrus,abest vt lege iustificemur, vt neq; nos neq; patres nostri ferendo fuerimus. Vnde ergo & quo modo iustificati sunt? Per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodum & illi. Gratia ergo iustificantur omnes credentes,non per legem: Interea aduersarios Pauli obiurgans & his magnam iniquitatem impingens ait, Quid tentatis Deum vt imponatur iugum super ceruices discipulorum? Nam nō leue scelus est tentare & prouocare Dominum:item colla libera seruili iugo implicare.Hæc de sententia Petri hactenus.

S. Petrus probat & confirmat doctrinam S.Pauli.

Modus iustificandi quo Deus iustificat.

Modus quo prophetæ & Apostoli omnes iustificati sunt.

Hoc tacente narrant Paulus & Barnabas ingentia miracula,quæ Deus passim inter Gentes circuncisas per ipsos fecisset:vt vel ex Dei operibus & beneficijs præstitis Gentilibus, fide non lege purgatis,colligerent sancti quod fides seu gratia Christi sine lege absolute sanctificat.

Miracula probant fidem iustificare.

Iacobus quoque Alphei,Apostolus Christi, cuius illa est epistola quæ inter Catholicas prima ponitur. Petri verba approbans,locum scripturæ profert ex Amos propheta de salute Gentilium.Dicit propheta Iudeos propter peccata excindendos esse,in locum autem ipsorum Gentes surrogandas.Nam Tabernaculum Dauidis est Ecclesia Christiana. Neque alium modum receptionis in Ecclesiam & in locum reiecti populi Iudaici commemorat,quàm fidem.Fide enim requirimus Deum.Censet itaque & Iacobus,doctrina euictus prophetica, iugum ceruicibus fidelium non esse obturbandum. Porrò ne conuersæ Gentes abuterentur sua libertate contra Iudæos & contra disciplinam, suadet Iacobus paucula quædam singulariter Gentibus conuersis iniungenda esse,quo & charitas constaret & ex libertate non fieret licentia. Charitas iubebat abstinere ad tempus à suffocato & sanguine: disciplina etiam Christiana dictabat abstinendum esse ab idolothytis & à scortatione : de quibus apud Gentes leuius & clementius iudicabatur; quàm decebat.

Iacobus in negotio iustificationis consentit Petro & Paulo.

Iam etiam his omnibus accedunt primum quidē Consensus totius Ecclesiæ.Deinde Legatio; quæ mittenda decernitur,& ea quidem singularis.Deliguntur viri præstantissimi primiq; in Ecclesia nominis,Iudas & Silas,quibus coniunguntur Paulus & Barnabas,vt vel hinc cōstaret hos solida potitos victoria,iam veluti triumphare,imò veritatem per ipsos propositam,ab aduersarijs autem impetitam,triumphare. Postremo scribuntur & tabulæ publicæ ad æternam rei memoriam,omnibus temporibus & sæculis in omnibus Ecclesijs retinendam.

Consensus totius Ecclesiæ & Legatio.

Comprehendunt autem Tabulæ publicæ seu Synodalis epistola tria potissimum.Principio enim perstringuntur aduersarij Pauli & confutantur imò redarguuntur mendacij.Dixerant enim se descendisse ab Apostolis prædicatum Gentibus, quod has oporteat & circuncidi & ser-

Publicū instrumentum, et Synodalis epistola scribitur.

uare legem, siquidem vere iustificari velint. At Apostoli & Hierosolymorum Ecclesia fatetur illos quidem egressos Hierosolyma, sed illud non accepisse in mandatis quod inculcabant Ecclesijs. Vbi simul ostendunt qualis sit eorum doctrina, perniciosa. Turbat enim, inquiunt Apostoli, inuoluit & labefactat imò subuertit animas fidelium. Deinde ornat Synodalis epistola delectos Legatos, præsertim vero Paulum & Barnabam, vt inde omnes intelligerent omnibus Apostolis & presbyteris Hierosolymitanis optime in omnibus conuenire cum Paulo. Sicut & ipse Paulus ad Galatas testatur, quod dextras socias coniunxerint. Postremo decreti Synodalis compendium & summam commemorant. Nolunt post prædicationem Euangelij quicquam oneris imponere Ecclesijs fidelium, nisi vt sibi caueant ab idolothytis, à scortatione, a suffocato & sanguine.

Robur septemplicis testimonij.

Proponitur in hac Synodali sacrosancta Actione aut sessione robur septemplicis testimonij pro fide in nostra Christiana orhodoxa & Catholica, (Gratia videlicet Christi per fidem iustificari credentes, non per legem aut vlla vel opera vel sacramenta) asserenda & confirmanda: nempe & in primis quidem ipsius æterni Dei factum quo iustificauit Cornelium. Deinde exemplum & iustificatio omnium sanctorum patrum, etiam Apostolorum Christi. Hinc miraculorum virtus. Inde scripturarum testimonium. Rursus omnium sanctorum & totius Consilij consensus. Præterea Legatio clarissima: non à latere Pont. Romani, sed ex Vniuersali Consilio Apostolorum, & ex visceribus verissimæ & sanctiss. Ecclesiæ Iesu Christi. Postremo Tabulæ vel literæ Synodales. Si quis plura aut alia præter hæc requirit, cum ratione insanit, imò contra rationem petulanter & impie agit. Exposuimus hæc Acta Synodi paulò copiosius non sine vtilitate, opinor, lectorum, neque contra consilium & institutum huius operis, in quo Pauli tempora & res perstringimus & disponimus. At inter res Pauli gestas hac vna nulla est illustrior, & quam editis literis copiosius, diligentius, firmius & sedulo magis tractarit atque repetens inculcauerit nedum hominibus priuatis, sed publice omnibus per orbem Ecclesijs, quàm gratia Christi per fidem iustificari credentes absque lege, &c. Ergo si hodie aut vllo alio tempore in Consilium coeat etiam vniuersus mundus, & diuersum ab hac definitione determinet, vtique iuxta Pauli regulam anathema dicitur à nobis & omnibus vere Christianis Galat. I. cap. Finita controuersia & Synodo, reuertitur Paulus comitantibus se Barnaba Iuda & Sila clarissimis & pijssimis viris Antiochiam. Exponunt autem Ecclesiæ omnia quæ facta fuerant in Synodo Hierosolymitana: proponunt etiam epistolam Synodalem, & confirmant animos fidelium in veritate fidei Euangelicæ.

Apostoli redeunt Antiochiā.

Pauli & Barnabæ dissidium

Porrò post dies aliquot communicat Paulus Barnabæ suum consilium de reuisendis Ecclesijs superiore adeoq; secunda profectione constitutis. Ac consensisset planè Barnabas, ni humanum aliquid passi Apostoli sanctissimi propter Ioannem Marcū, qui ab eis in Pamphilia defecerat, & Hierosolymam redierat, in grauissimam contentionem incidissent. Ex ea enim diuulsi, Barnabas quidem Ioan. Marcum sibi iunxit, & in Cyprum nauigauit, Paulus vero allecto Sila, animi & propositi sui cōsilium exequens, profectus est per Syriam in Ciliciam, ex ea transijt in Lycaoniam. In ea coniunxit sibi ex vrbe Lystra Timotheum singularem & celebrem Euangelij Christi præconem, ad quem duas scripsit epistolas, quem & genuinum appellat filium, vtpote cum alibi scribat neminem se habere qui res Ecclesiæ fidelius procuret, quàm hunc ipsum Timotheum. Quo autem maior & vberior esset huius discipuli apud & inter Iudæos vsus, circuncidit ipsum, quod omnes nossent patre gentili esse genitum.

Repetit Paulus CiliciamLycaoniam, &c. Timotheus.

Conuertitur Galatia, Phrygia, Mysia.

At postquam omnes illarum regionum Ecclesias confirmassent satis, transierunt in Phrygiam, inde in Galatiam, postremo etiam in Mysiam, quas regiones omnes fulgore Euangelij illustrarunt, & ex tyrannide satanæ pertraxerunt in regnum Christi. Considerunt tandem Troade.

Supputatio temporum.

Ista vero omnia videntur intra biennium esse absoluta, hoc est anno conuersionis Pauli XV. & XVI. protinus à Synodo Hierosolymitana supputatis. Nec vero dissimile est intra breue hoc tempus potuisse Phrygiam, Galatiam, & Mysiam conuerti. Vicinæ enim gentes Lycaones & aliæ nonnullæ, iam olim fuerant conuersæ ad Christum, sparserantq; haud dubie & famam & prædicationem Euangelij Christi in vicinas gentes quàm fidelissime remotissimeq;: vt iam minore opera ad Christum adduci potuerint quàm Barbaræ & rudes Christi prorsus regiones, quales fuerant Pisidia, Pamphilia, & Lycaonia pręcipuè, apud quas testatur Apostolus 2. Timoth. 3. multum se laborasse, multaq; perpessum fuisse.

Et quæ hactenus per hoc caput tractaui, ex beato Luca mutuaui, qui in 15. & 16. capite hæc ad huncmodum tradit. Idem ibidem author est Paulum ab Asia & Bythinia, quo minus his prædicaret regionibus, fuisse abstractum, nimirum quod Dominus statuisset tantū Apostolum mittere

mittere in Græciam, quæ hactenus prę omnibus regnis mundi rebus in mundo præstantissimis claruerat, ac etiamnum excellebat.

CAPVT VII.

De profectione Pauli in Macedoniam & Græciam, & de vtraque eius ad Thessalonicenses epistola.

TROADE ergo visionem diuinitus obiectam habuit Paulus, quæ ipsum vocabat in Macedoniam. Videt enim Macedonem occurrentem implorantemque auxilium, atque dicentem, Profectus in Macedoniam succurre nobis. Ea ex re certò intelligebat se vocari in Græciam ad prædicandum ipsis Christum; per quem solum hominibus obuenit vera salus, & salutare auxilium. Relicta ergo regione Troiana, & nauim ingressus nauigat per mare Ægeum, attingitque felicissimo cursu Neapolim, vnde migrat Philippos Macedoniæ vrbem. In ea conflictatur cum satana, qui se semper optimis & salutaribus Dei consilijs obijcit, & qui modo per Pythonicam quandam puellam sese exerebat, ac Paulo blanditijs imponere satagebat: verum nihil effecit. Paulus enim eiecto satana, plures ad fidem Christi conuertit: inter quos primum locum tenet Lydia illa purpuraria, quę in Macedoniam profecta ex Thyatirorum Asiæ oppido, mercaturam exercebat. Quanquam vero è Pythonica eiectus esset satanas, non quieuit tamen. Domini enim vatidicæ videntes sibi perijsse quæstum longe vberrimum, idque Pauli opera, quasi in furorem versi, Paulum inuadunt ceu hominem pestilentissimum, ac commotis turbis tantum efficiunt insanis clamoribus, vt Paulus vnà cum comite Sila, vterque, inquam, cæderetur virgis, deinde concluderetur in carcerem publicum. Quæ res cessit optime custodi carceris. Ea enim occasione ad fidem Christi pertractus, & cum vniuersa domo sua numero insertus est filiorum Dei. Id quod Lucas fusè & eleganter narrat Actorum cap. 16. Postridie expostulante Paulo cum magistratu de contumelia & iniuria accepta, non sine honore dimittitur. *Vocatur S. Paulus visione cœlesti in Græciam.* *Philippi.*

Peragrantes ergo Amphipolim & Apolloniam, perueniunt Thessalonicam totius Macedoniæ metropolim. Hospitantur apud Iasonem. Introitus in hanc vrbem, quemadmodum ipse in epistola ad Thessalonicenses testatur, fuit admodum periculis obnoxius, & ærumnosus, ideoque docte, diligenter & prudenter in synagoga disserebat de Christo Domino. Nec carebat fructu insigni fidelis Apostoli diligentia. Complures enim conuertebantur ad Christum. Quæ res impijs occasionem dedit tumultuandi. Sed fideles rebus Pauli & Silæ consulentes, eos mature emiserunt Berrhœam. Hic cum summa fide & diligentia ex scripturis prædicaret Christum, & auditores prædicata conferrent cum scripturis; inuenirentque Pauli prædicationem congruere per omnia cum scripturis sanctis, ac iccirco multi fidem Christianam reciperent, adsunt denuo hostes iurati veritatis Iudæi, ac turbas commouent. Paulus ergo opera fidelium ereptus ex seditione, à fratribus Athenas vsq; deducitur in Atticam vel Græciam. Manent intereà apud Berrhœens. Silas & Timotheus. *Thessalonica.* *Berrhœa.*

Fuerunt autem Athenæ celebres opinione sapientiæ. Erant Athenis omnis generis philosophorum sectæ vel hæreses; ac cum præcipuis disputabat Apostolus, nempe cum Stoicis & Epicureis. Dolebat pijssimo ardentissimoque pectori, vrbem vsqueadeo celebrem & sapientiæ opinione famigeratam deditam esse simulachrorum cultui; rei stultissimæ & per omnia absurdissimæ. Nam quis nostrum æquo animo ferat se appellari idolum: at insania hominum dicit idolum specie referre Deum. Proh pudor. Pertractus in vicum Marcium, doctissime concionatur, vt vspiam vnquam. Orationem eius eruditissimam & selectissimam describit Lucas in Actis Apostolicis capite 17. vbi etiam reliqua quæ diximus de gestis Thessalonicæ & Berrhœæ fusius tradita legas. *Athenæ.*

Nuspiam autem minore cum fructu quàm Athenis docuit. Nec mirum, cum ibidem fuerit ceu lustrum & latibulum quoddam philosophorum, qui semper extitere præsentissima veræ pietatis pestis. Sed & Paulus alicubi meminit ex Thessalonica & Corintho per omnem Macedoniam & Græciam propagatum esse Euangelium. Athenarum nuspiam meminit, tametsi Atticæ seu Græciæ esset caput atque metropolis. Athenis operitur Silam & Timotheum, quos sine mora per eos ad se venire præcipit, qui ipsum Athenas deduxerant Berrhœenses, iam vero domum reuertebantur. *Nuspiam Paulus minore cũ fructu docuit quàm Athenis.*

Porrò ex Athenarum vrbe, dum in ea Silam & Timotheum expectat, arbitrantur plerique

Duæ ad Theſſ. epiſtolæ.

ſcriptam vtranque Pauli ad Theſſalonicenſes epiſtolam. Quid ſi credamus ſcriptas è Corintho? Sunt enim coniecturæ quæ huius aliquid innuunt. Ipſe enim Paulus teſtatur in 2. & 3. cap. prioris ad Theſſalonicenſes epiſtolæ ſe ſemel & iterum voluiſſe venire ad Theſſalonicenſes, ſed obſtitiſſe ſatanam: cum autem ferre deſiderium amplius non potuerit, Athenis ſe reſediſſe ſolum, ac Timotheum miſiſſe Theſſalonicam, vt confirmaret Eccleſiam. Apparet ergo Silam & Timotheum ita vti præceperat Apoſtolus, ſine mora à Berrhœa ſoluiſſe, & Athenas perueniſſe ad Paulū: licet id non exprimatur in Actis Apoſtolorum. In his cap. 18. reditus Silæ & Timothei ex Macedonia mentio fit, hiſce verbis, Cum veniſſent autem è Macedonia (Paulo apud Corinth. agenti) Silas & Timotheus, coarctabatur ſpiritu Paulus, &c. At hic reditus poſterior erat. Nam eius etiam meminit in 3. cap. prioris ad Theſſal. dicens, Nuper autem cum veniſſet Timotheus ad nos à vobis, & annunciaſſet nobis fidem & dilectionem veſtram, &c. Ideoq; apparet eam epiſtolam ſcriptam ex Corintho. Nec obſtat quicquam quod Lucas meminit reditus & Silæ & Timothei, Paulus Timothei tantū. Cum enim vterq; veniſſet ad Paulum Athenas, videtur remiſiſſe Silam Berrhœam, & Timotheum Theſſalonicam, ipſe quoque profectus Corinthum. Dum vero ex Theſſalonica rediret Timotheus, ex itinere haud dubie ſecum adduxit Silam, ita vt vterque Corinthum peruenerit ad Paulum. Nihil præſcribo: volo vt quiſque quo veritati maxime conſentaneum videatur ſequendum deligat. Certe Athenis Paulum conueniſſe Timotheum indubitatum eſt. Siquidem hunc Theſſalonicam miſit ex Athenis. Certum eſt breue tempus eſſe quo Athenis hæſit Apoſtolus. Certum eſt Corinthi ad Paulum veniſſe denuo Timotheum. Iam vero & illud certum eſt, prima ad Theſſal. epiſtolam ſcriptam eſſe poſt ſecundum Timothei ad Paulum reditum. Certe in capite epiſtolæ & Silæ meminit & Timothei. Delige iam quod maxime videatur veritati eſſe conſentaneum.

Ex argumento autem poſterioris epiſtolæ ad Theſſalonicenſes apparet, & ipſam non ita longo interuallo ſcriptam poſt priorem, atque ideo & ipſam à Corintho eſſe miſſam. Alij volunt ex Athenis ſcriptam. Vtcunque vero id habeat, certum tamen eſt has epiſtolas inter Paulinas lucubrationes primum & ante omnes alias eſſe editas. Tradiderat Apoſtolus voce viua, & quantum erat ſatis myſterium fidei & Chriſti iuſtificantis, ideoque contentus erat id pauculis hiſce verbis attingere. Alij de vobis narrant quomodo conuerſi fueritis ad Deum à ſimulachris, vt ſeruiretis Deo viuenti & veraci, & expectaretis filium eius de cœlis, quem excitauit à mortuis Ieſum, qui liberat nos ab ira ventura. Proinde ad alia tractanda conuertitur, ad ea maxime quæ pertinebant ad confirmationem in fide ſemel recepta. Perficit in primis tribus cap. Tradit deinde inter alia ſalutaria illarum epiſtolarum dogmata doctrinam longe pulcherrimam, & in primis Græcis aut Ethnicis neceſſariam, de abſtinentia & temperantia, deque caſto & ſobrio totius corporis omniumque membrorum vſu, ne ipſa polluamus libidine, crapula, luxuria. Præcipit de iuſtitia vera contra omnem iniuſtitiam, contra impoſturas & otium iners, ne hoc vel computreſcamus, vel alijs oneroſi ſimus, vel artibus veteratorijs proximos circumſcribamus. Clariſsime differit de vera corporum ex mortuis reſurrectione, de ſpe fidelium & vita æterna, denique de die & iudicio extremo, de præmio pijs, & pœna ſupplicioq; æterno impijs conſtituto. Exhibet præterea toti mundo Antichriſtum, & hunc quidem ſic diſtinctum ſuis coloribus, vt hodie nemo niſi cæcus illum agnoſcere poſsit. Is enim eſt qui ex iamdudum diuiſo & dilapſo Romano imperio ortus, iam nunc in ſede illa conſidens ſeſe venditat pro rege, paſtore, iudice & pontifice ſummo, pro capite totius Eccleſiæ, pro Chriſti in terris vicario, qui claues poteſtatem ve teneat vitæ & mortis, cœli & inferorum, &c. Hunc vero reuelatum & confectum hodie in omnium penè fidelium cordibus propediem vincet deijciet & abolebit ipſe verus rex, paſtor, iudex & pontifex noſter vnicus Ieſus Chriſtus glorioſo ſuo aduentu in iudicium. Cui ſoli ſit honor & gloria. Porrò doctrina hæc neceſſaria eſt, quam norint omnes, neſciant nulli, ideoque deſcripta primum ab Apoſtolo Paulo prima inter omnia alia ſua argumenta, merebatur vt paulò copioſius de ea quoque commentaremur.

Quæ tractentur potiſsimum in duabus ad Theſſ. epiſtolis

Porrò Macedoniam & Athenas videtur perluſtraſſe, fidei fundamenta paſsim per Eccleſias ieciſſe intra menſes X. Tres menſes reliquos, qui ſuperſunt de anno Claudij VIII. qui erat Conuerſionis Pauli XVII. tribuere oportet tempori quo Corinthijs prædicauit: quemadmodum ipſe temporum & rerum contextus mox euincet.

Supputatio temporum.

CAPVT VIII.

Paulus venit Corinthum, prædicat Corinthijs Euangelium, deinde ſoluens Corintho, Ephe-

tho, Ephesum defertur, inde transfretat in Syriam, deuenitq́, Hierosolymam. Et de temporum supputatione.

DIGRESSVS Athenis Paulus Corinthum peruenit. Appellauit hanc Cicero lumen Græciæ. Opulentissima, & ideo luxui quoque prorsus addicta & immersa erat. In ea tamen vrbe testatur ipse Dominus per visionē Paulo apparens, quod populū habeat multū. Vbi in primis immensam Dei misericordiam inspicere & admirari licet. Diligentissimè docuit Corinthi Apostolus: & primum quidē prædicauit Iudæis in Synagoga Christum, quem demonstrabat verum & expectatum esse Messiam, vnicum mundi saluatorem. Conuitijs autem non rationibus & argumentis agentibus & pugnantibus contra Paulum Iudæis, vestibus suis in illos excussis, diuertit ad Gentes. Interea lucrifecit Domino Crispum archisynagogum virum clarissimum: deinde conuertit ad fidem Christianam Corinthiorum ingentem multitudinem. Quare excitati inuidi Iudæi, appræhensum Paulum pertraxerunt ad tribunal Gallionis Romani apud Corinthios Proconsulis. Sed spe sua frustrati, coacti sunt videre Paulum & liberum quidem omnibus Euangelium prædicare & prædicando quam latissime regnum Christi propagare. Sosthenes archisynagogus Pauli accusator & Iudæorum corypheus, pugnis abunde satis coram tribunali Proconsulis contundebatur, ne verbo quidem minimo authoritatem suam interponente Proconsule. Docuit autem Corinthi annum integrum & menses VI. *Corinthus.*

Deinde circa Pascha, aut paulò post Pascha, soluit è portu Cenchreensi, ac comitante ipsum Aquila & Priscilla delatus est nauigatione prospera Ephesum, vbi fideles vt apud se maneret & prædicaret postularunt, sed non impetrarūt. Nam ibidem reliquit comites, ipse vero profectus, festum Pentecostes celebrauit Hierosolymis. *Defertur Paulus Ephesum.*

Reliquum est vt iam ineamus supputationem anni & mensium sex, quibus Corinthi mansit Apostolus. Sume itaque ex Claudij Cæsaris anno octauo menses tres: deinde numera integrum annum Claudij nonum, rursus autem sumito ex decimo Claudij anno menses tres, vt videlicet ferijs Paschæ profectus sit Paulus Ephesum: reliquas septimanas ad diem vsque Pentecostes tribue nauigationi in Syriam vsq;. Iuuat & confirmat hanc nostram supputationem nonnihil id quod Actorum 18. in hæc verba legimus, Diuertit autem Paulus ad Iudæum quendam Aquilam, qui nuper venerat ab Italia: eò quòd præcepisset Claudius omnes Iudæos Roma decedere. Nec obstat supputationi quicquam quod Eusebius ex Iosepho scribit, Iudæos IX. Claudij anno vrbe esse pulsos. Fieri enim potuit vt Aquila decretum quod præsciuit, præuerterit, & ita Apostolo hospitium Corinthi circa finem octaui anni Claudij aperuerit. Præterea non infrequens est ea quæ in fine præcedentis anni fiunt: referre ad principium mox sequentis anni. Vt iam non commemorem Eutropium libro Romanarum rerum 8. testari Iudæos Roma pulsos VIII. Claudij anno. Vtcunque vero id habeat, series & contextus totius historiæ Paulinæ hanc supputationem nostram permultum approbat. *Supputatio temporum.* *Iudæi Roma pulsi.*

CAPVT IX.

De profectione Pauli quarta, qua Hierosolymá Antiochiam redijt, Galatiam & Phrygiam perlustrauit, Ephesum peruenit, quid ibidem egerit. De epistola item Pauli 1. ad Timoth. & 1. ad Corinthios.

FESTO peracto, & salutata Ecclesia, digressus rursus Hierosolyma Paulus, descendit Antiochiam, vbi postquam aliquantum temporis demoratus fuisset, reuisit & ordine rursus peragrat Galatiæ & Phrygiæ Ecclesias, superioribus annis fundatas. Ea profectione attigit etiam Laodiceam. Est autem Laodicea insignis vrbs posita in confinio Galatiæ & Phrygiæ Pacatianæ, vt eadem & Galatiæ & Phrygiæ tribui possit: id quod non raro fit circa vrbes in terminis regionum collocatas. In hac autem vrbe videtur Apostolus scripsisse priorem ad Timotheum epistolam. Nam inscriptiones eius epistolæ sic habent, Missa fuit ex Laodicea, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ. Est alia quoque Laodicea Lyco anni imposita, quam & ipsam posuerunt quidā in Phrygia, quidam vero in Caria, sicuti & Hierapolim Laodiceæ vicinam. Ab ijs non procul Colossæ iacent. Cæterum Paulus 2. ad Colossenses capite testatur se nunquam vel Colossarum vrbem vel Laodiceam vidisse: vnde conijcere licet epistolam eius ad Timotheum ex ea vrbe non esse scriptam, in quam nunquam peruenit. De vtraque tamen Laodicea, denique de epistola prima ad Timotheum & de epistola ad Colossens. hunc loca *Laodicea Galatiæ & Phrygiæ.* *1. Ad Timotheum epistola.*

eum Pauli ad Colossenses multi scriptores ecclesiastici intelligunt. Et cum recitata fuerit à vobis epistola, facite vt & in Laodicens. Ecclesia legatur: & eam quæ scripta est ex Laodicea, vos quoque legatis. Iubet Apostolus vt Colossens. suam epistolam communicent Laodicens. Ecclesiæ, & rursus Laodicens. communicent eam epistolam Collossen. quam Paulus quondam scripserat ex Laodicea. Id quod exponunt de epistola 1. ad Timotheum. Quanquam sint, vt nihil dissimulem, qui putent ex Laodicea ad Paulum scriptam esse epistolam, quam remiserit ex Roma, iusseritque recitari in Ecclesia Colossens. Alij arbitrantur Paulum nunquam peruenisse in Laodiceam Galaticam, atque ideo intelligendam in præsenti Caricam Colossis vicinam. Si vero non fallit coniectura & inscriptio epistolæ, apparet Paulum ex Macedonia in Asiam & deinde in Syriam superiore peregrinatione nauigantem vnà cùm Aquila & Priscilla reliquisse Timotheum Ephesi, & nunc ex itinere cum Laodiceam attigisset Timotheo scribere, ad quem mox ipse quoque venturus esset.

Atqui cum his plane non congruunt quæ ipse Paulus in principio epistolæ his verbis prodit, Quemadmodum rogaui te vt remaneres Ephesi cum proficiscerer in Macedoniam. Vnde sunt quibus videtur primam ad Timotheum ex Macedonia esse missam. Sed non possum horum recipere sententiam. Nam cum Lucas non meminerit nisi duarum profectionum Pauli in Macedoniam, prioris quidem cum à Troade Philippos nauigaret, & posterioris qua ab Epheso in Macedoniam traiecit: ac in prima profectione constet Timotheum Pauli fuisse comitem, vtpote quem Athenis expectauit & Thessalonicam remisit: in secunda vero profectione certum sit Timotheum vnà cum Erasto in Macedoniam præmissum, & ex Macedonia iterū in Asiam Paulum fuisse comitatum: relinquitur certe in dubio vnde & quo tempore prior ad Timotheum epistola Pauli scripta & missa sit nisi forte librariorū errore cōmissum videatur vt in principio epistolæ ad Timotheum prioris εἰς μακεδονίαν scriptum sit pro ἐκ μακεδονίας, Cum proficiscerer ex Macedonia, rogaui vt remaneres Ephesi. Sed iudicium esto apud sedentes.

Ephesum venit Paulus.

Peragratis autem Asiæ minoris partibus illustrioribus, Ephesum tandem declinauit Apostolus. Ephesi docens Euangelium multa designauit miracula. Curabâtur enim virtute Christi, quem prædicabat Paulus, omnis generis morbi, eijciebantur spiritus immundi: ac conuertebantur ad Christianam religionem Iudæorum non pauci, Gentilium autem plurimi. Nam Lucas inter alia, Docuit Paulus, inquit, per biennium, ita vt omnes qui habitabant in Asia audirent sermonem Domini, Iudæi simul & Græci. Maxime vero insignia, quæ Ephesi facta referuntur à Luca, sunt hæc. Spiritus immundus adiuratus per Exorcistas quosdam qui sacris precaminibus & nomine Iesu quem Paulus prædicabat vtebantur, conuersus in Exorcistas, in contumeliam & condemnationem artis impiæ, artifices impios fugauit & lacerauit miserabiliter. Ea re permoti, qui mathematicam, magiam, pythonicam, & incantationis curiosas inquam artes exercuerant hucvsque, comportarunt libros illos suos magicos & mathematicos, ac palàm coram omnibus igni concremarunt, supputatoq; precio librorum, inuenerunt argenti myriades quinque. Ea summa quinq; millia coronatorum, Budeo supputatore, valet.

Virtus satanica comminuta est Ephesi prædicatione Apostoli.

Paulus idololatriam profligauit & sustulit bona ex parte.

Præterea fuit templum Ephesi inter memorabilia seu miracula orbis famigeratissimum præstantissimumque. De eo scripsit Plinius in hæc verba, Magnificentiæ vera admiratio extat templum Ephesiæ Dianæ, ducentis viginti annis factum à tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræmotus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico aut instabili fundamenta tantæ molis locarentur, ante calcatis ea substrauere carbonibus, deinde velleribus lanæ. Vniuerso templo longitudo est CCCCXXV. pedum, latitudo CCXX. Columnæ CXXVII. à regibus factæ, sexaginta pedum altitudine. Ex ijs XXXVI. cælatæ, vnà à scopa. Et quæ sequuntur libro 36. capite 14. Ea vero maiestas, quam annis multis tota coluit Asia, intra biennium prædicatione Euangelica sic est conuulsa, & in cœnum proculcata, vt Demetrius argentarius quereretur planè & de artificio & de maiestate cultus deæ & templi esse actum. Ideoque idem ille vt labenti religioni, & iam agenti in extremis medicaretur, tumultum excitauit ingentem & memorabilem. Verum ne sic quidem quicquam subsidij allatum est religioni, aut superstitioni verius impijssimæ. Coactus est quidem Apostolus solum vertere: sed permansit impermota Euangelij veritas. Narrantur purius & melius hæc omnia quæ hoc capite ferè perstrinximus à D. Luca in Actis cap. 19. & 18. Ostendunt autem magnum apud Ephesios Euangelij profectum, quippe cum ex eis certò colligamus regnum satanæ destructum & conuulsum prorsus, Christi contra regnum illustrissime excitatum & confimatum fuisse. Faxit Christus rex & liberator noster, vt per eandem Pauli doctrinam hodie quoq; regnum Antichristi potentissimum disijciatur, colligatur autem sancta Christi Ecclesia, viuat, & in veritate & pietate floreat. Amen Amen.

Tumultus Ephesinus propter superstitionem reparandam institutus.

Iam

Iam vt nonnihil etiam dicamus de temporum ratione, videtur Apostolus iter illud suum absoluisse, ab Antiochia videlicet per Galatiam & Phrygiam Ephesum vsque, intra menses plus minus V. vt in Octobre Ephesum peruenisse vero simile sit. Mansit autem Ephesi per biennium. nempe in autumnum vsque anni Claudij XII. qui erat conuersionis Pauli XXI. *Supputatio temporum.*

Constituit autem Apostolus ante seditionem per Demetrium excitatam reuisere ecclesias Macedonicas & Græcas, vnde Timotheum & Erastum præmisit paratum iter subsequenti. Sic enim Lucas tradit Acto. 19. cap. Circa hoc ipsum tempus scripsit Corinthiorum ecclesiæ eam epistolam quæ prima dicitur ad Corinthios. Ipse enim Paulus in 16. cap. prioris ad Corinth. Veniam, inquit, ad vos cum Macedoniam transiero. Macedoniam enim pertransiturus sum. Apud vos autem fortasis permanebo, aut etiam hybernabo, vt vos me deducatis quocunque proficiscar. Nolo enim vos nunc in transcursu videre, sed spero tempus aliquantum mansurum me apud vos, si Dominus permiserit. Commorabor autem Ephesi vsq; ad diem quinquagesimum. Nam ostium mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarij multi. Et reliqua. Hæc videlicet omnia confirmant nostram sententiam quod missa & scripta sit prior ad Corinthios ex Epheso. Alij enim tradunt scriptam è Philippis. Atqui ita in Macedonia existens eam scripsisset, cum tamen ipse Paulus modo ita sit loquutus, vt appareat planè editam extra Macedoniam, Veniam, inquit, ad vos cum Macedoniam transiero. Quod autem sæpe iam inculcaui, id repeto his iterum, abundet in his quilibet suo sensu. *Prima epistola ad Corinth.*

CAPVT X.

De secunda Pauli profectione in Macedoniam & Græciam. Et de epistolis eius ad Titum, ad Corinthios 2. & ad Romanos.

BIENNIO expleto; in Autumno Epheso soluit Paulus, & traiecit in Macedoniam. In hac confirmat olim constitutas ecclesias. Quia enim longe maioris industriæ & diligentiæ est parta seruare quàm de nouo facultates parare, ideo toties repetit Lucas Paulum ecclesias iam pridè institutas visitasse, & in cognita veritate œconomiaq; ecclesiastica confirmasse: nimirum omnibus verbi ministris ad exemplum, quod & ipsi pari diligentia annitantur imitari. Ex Macedonia transit in Græciam, id est Atticam & Achaiam, in qua non aliud facit quàm quod in Macedonia fecerat. Annotat autem Lucas Paulum in Græcia menses consumpsisse tres, Actorum 20. cap. Quod si totidem menses tribuas peragratæ Macedoniæ, itineri autem conficiendo quasi mensem supputes, peruenies planè ad diem Paschæ, quem Apostolus cum suis celebrauit Philippis. Lucas enim, Nos, ait, nauigauimus post dies azymorum à Philippis, & venimus Troadem intra dies quinque. Erat hic annus Claudij Cæs. XIII. conuersionis autem Pauli XXII. *Labores Pauli in conseruandis ecclesijs.*

Intra breue hoc tempus dicuntur scriptæ & missæ tres epistolæ S. Pauli, ea videlicet quæ ad Titum extat, secunda item ad Corinth. & singularis famigerataq; illa ad Romanos. Epistola enim ad Titum dicitur scripta ex Nicopoli, nimirum Actiaca illa seu Epiri in extimo ferè flexu sinus Ambracij sita. Sunt enim plures Nicopoles. Atqui nullibi scribitur Paulum peruenisse in Epirum. Scribit quidem ad Titum, Da operam vt venias ad ad me Nicopolim. Nam illic decreui hybernare. Verum hinc nõ consequitur Paulum eo tempore quo epistolam scripsit fuisse Nicopoli. Certum est eam epistolam tum missam esse ab apostolo cum in Creta episcopum ageret Titus. Dubium vero an ante hæc tempora in Creta fuerit Paulus, & quando in Creta reliquerit Titum: an eo tempore quo è portu Cenchreensi solueret in Syriam; an eo tempore quo è Syria Ephesum redijt. Nam de his nihil tradidit Lucas. Certum tamẽ est epistolam ad Titum non antea esse scriptam, quàm Paulus redijt Ephesum. In fine enim epistolæ Apollo meminit, quem constat paulò antequam Ephesum rediret Apostolus syncerius, rectius, & plenius institutũ ab Aquila & Priscilla abijsse in Græciam. Coniectura itaq; est epistolam ad Titum ab Epheso esse scriptam, & eo quidem tempore quo Achaiam inuisere constituerat, petiq; Achaiam transire in Macedoniam. Ita enim ex itinere cogitabat in extimas Epiri partes deflectere, Macedoniæ & Achaiæ conterminas. Quod tamẽ consilium, postea mutasse rerum euentus docet. Tum fortassis Tito quoq; per internuncios significauit Troadem veniret, ex qua in Macedoniam transire statuisset. Nam ex 2. ad Corinthios cap. 3. constat Paulum sperasse quod Titum eo loci inueniret. Interea Græciam ingressus Titus Corinthum peruenerat deflexurus Nicopolim. At cum intelligeret Paulum ex Troade nauigare in Macedoniam, ascendit ipse ad Paulum, iam agentem *Epistola Pauli ad Titum.*

in Macedonia. Id quod perspicatius mox apparebit. Certe secunda hac profectione epistolam ad Titum scribere nō potuit. Nam toto ferè tempore quo Paulus in Macedonia ac Græcia fuit, Titi vsus est ministerio: tantum abest vt epistolam ex Græcia in Creta iam agenti scripserit.

Secunda ad Corinth. epistola. Secundam ad Corinthios arbitrantur nonnulli scriptam à Troade. Verum erroris sui possunt reuinci ex tertio capite eiusdē epistolæ, & ex ijs quæ in septimo capite sequuntur de Tito. In 3. enim cap. dicit quod Troadē veniens Titum, vti sperauerat, non inuenerit, & iccirco transfretarit in Macedoniam. In septimo capite prædicat quomodo vehementer acceperit consolationem ex aduentu Titi. Vnde consequens est Titum peruenisse ad Paulum in Macedoniā, & ex Macedonia scriptā esse posteriorem ad Corinth. Vnde meo videre rectius illi sentiunt, quibus videtur à Philippis illam & scriptam & missam esse per Titum. Philippos enim ad Paulum ex Corintho, vbi ecclesias confirmarat, ascendens Titus & Paulum quærens, venit, fidemque, charitatem & humanitatem Corinthiorum Pauló prædicauit: sicut ipse Apostolus commemorat eius epistolæ septimó capite. Et quoniam Apostolus iam statuerat, vti & priore epistola fuerat pollicitus, proficisci Corinthum, præmittit Titum cum alijs quibusdam excellentibus viris & fratribus collectum contributionem egenis erogandam Hierosolymis, ne vel nihil collatum esset in Achaiæ ecclesijs, vel tum demum collecta fieret, cum iam Paulus adueniret. In nono enim capite dicit, Noui promptitudinem animi vestri quam de vobis iacto apud Macedones. Quoniam Achaia parata est ab anno superiore, & vestrum exemplum prouocáuit quàm plures. Misi tamen hos fratres, ne gloria nostra qua glorior de vobis, inanis fiat in hac parte, vt quemadmodum dicebam, parati sitis, ne quo pacto fiat, vt si mecum venerint Macedones & offenderint vos imparatos, nos pudore suffundamur. Interea vero dum sic hæreret in Macedonia Paulus, neque ex Asia per portum Cenchreensem ingressus fuerat Corinthum, vti promiserat, sed à Troade Philippos delatus peruenerat; calumniabantur nonnulli pseudoapostoli Paulum, impingentes ipsi leuitatem & mendacium. Ideoque in eadem epistola capite primo, Et hac fiducia, inquit, volebam ad vos peruenire prius vt geminam apud vos inirem gratiam, & per vos transire in Macedoniam; & rursum à Macedonia venire ad vos, ac à vobis deduci in Iudæam. Hoc igitur cum in animo versarer, num aliqua leuitate sum vsus? Et quæ sequuntur. Itaque præmissi illi cum Tito fratres Corinthum abeunt; ac Pauló præparant mox sequenti omnia. Sequens enim is paucis post diebus, per tres menses, sicut modó dixi, versatus est in Græcia, Corinthi maxime. Nam in fine epistolæ dicit, Hic tertius erit aduentus meus ad vos, In ore duorum testium & trium constituetur omne verbum. Prædixi & prædico, vt præsens cum essem iterum, ita & absens nunc scribo. Et cætera. Id enim perinde est ac si scripsisset, Videor æmulis meis vana quædam tonare verba cum me ad vos venturum minitor; forsan quód negotia Christi impediuerunt quod semel & iterum, vti promiseram non aduenerim. Quando vero lex Dei id ratum esse, certumque iubet quód duorum aut trium testimonio confirmatum est, & ego iam tertium pollicear me venturum, profecto iam adero, & hasce meas alteras literas mox insequar. Quod autem secundo aduentu meo, id est, cum in priore epistola secundó me in Achaiam venturum promisi (cap.4.) id absens modo repetó, præsens autem mox exequar. Cum virga enim veniam ad vos. Reliqua si libet lege & excute.

Cum vero tribus mensibus in Græcia & Corinthi versatus fuisset Apostolus, & iam statuisset è portu Cenchreensi soluere, inq; Iudæam nauigare, deprehendit insidias sibi strui à Iudæis, mutato itaque consilio, per Macedoniam Philippos redijt: id quód Lucas recenset Acto.20.

Epistola Pauli ad Romanos. Iam vero Epistolam ad Romanos ex Corinthó scripsit per Phœben, cuius ipse Paulus meminit in vltimo cap. ad Rom. Et sunt quidem argumenta seu indicia clara, quibus ostendi potest epistolam ad Rom. scriptam esse è Corintho, & hoc quidem tempore, quo Apostolus statuerat ex Græcia nauigare in Syriam. Nam in 15. cap. ad Rom. manifeste scribit Euangelij Christi prædicatione omnia esse impleta à Hierusalem vsque ad Illyricum. Quód quidem in prima Pauli in Græciam profectione nondum fuerat factum. Deinde in eodem cap. Nunc, inquit, proficiscor Hierosolymam ministrans sanctis. Visum est enim Macedoniæ & Achaiæ communicationem aliquam facere in pauperes sanctos qui sunt Hierosolymis. Adhæc in salutationibus eorum facit mentionem quos certo satis constat Corinthios fuisse, Salutat vos inquit, Caius hospes meus & ecclesiæ totius. Salutat vos Erastus quæstor ærarius ciuitatis: nimirum Corinthiacæ.

CAPVT

CAPVT XI.

Paulus emenso mari Ægeo, Icario, Myrthoo, Carpathio, Lycio, & Syriaco Hierosolymam venit.

TRoade siue Alexandriæ, binominis enim erat ea ciuitas, apud Troianos siue Dardanios mansit Apostolus dies septem. Cum his vno die sabbatorum, id est, prima die in hebdomada, quæ à Ioanne Apostolo in Apocalypsi appellatur Dominica dies, fregit panem, hoc est celebrauit mensam seu Cœnam Dominicam. Vetustas enim & ecclesia Apostolica, Luca teste, officium sacrum & mysticum appellauit Fractionem panis. Ea sic erat tradita à Domino, Confluebant in cœtum ecclesiasticum fideles, his prędicabatur Euangelium, precabantur vnà omnes, & inuocabant nomen Domini. Deinde vero his rite absolutis proferebatur panis & vinum, sic instituta à Domino, vt frangentes panem in memoriam fracti corporis Christi, bibentesque è poculo in memoriam effusi sanguinis Christi, gratias agerent pro omnibus Dei beneficijs, maxime pro liberatione nostra per mortē Christi parta aut præstita, & vt in vnitatem consortiumque vnicum & cum Christo, & cum sanctis omnibus coniungerentur. Ita enim ante annum ferè ad Corinthios in 10. & 11. cap. de hoc sacro mystico scripserat Apostolus, & nunc etiam cum numeraretur annus conuersionis eiusdem XXII. Troade vel Alexandriæ non aliter celebrat Cœnam Domini quàm ab ipso Domino celebrandum acceperat, & Corinthios quoque, sicuti & omnes alias ecclesias, docuerat. Id quod propter illos paulò copiosius annoto, qui omnibus populis & gentibus Missam Romanam volunt obtrudere, veluti ab Apostolis, ita vt ipsi peragunt, celebratam. Cum tamen constet Apostolos Christi post ascensionem Domini anno XXII. Euangelio traditum ritum simplicissimum tenuisse, & alijs tenendum aut obseruandum tradidisse. Sed hæc per digressionem diximus hactenus. *Paulus Troade celebrat cœnam Domini cum ecclesia.*

Paulus in hac ecclesia multum operæ diligentiæq; impendit prædicationi euangelicæ: eo enim vespere & nocte insequente, qua postridie profecturus erat in multam noctem extraxit sermonem, imò vsq; ad diluculum colloquutus est cum fratribus. Euenit autem eo loci & tempore quod vniuersam ecclesiam erudit, quàntum sit malum si conciones sacræ à sedentibus segniter excipiantur. Eutychus enim adolescens quidam male fortunatus, in fenestra Cœnaculi in quo Paulus prædicabat, sedens, & sermonem Pauli segnius audiens, somno depressus, decidit in plateam ex tertia contignatione, & ab accursitantibus sublatus est mortuus, relatusq; in ędes: Hunc vero Paulus inuocato Christi auxilio vitę restituit & gratulantibus reddidit incolumem, vt hinc inclaresceret euangelium nō mortis sed vitæ esse præconium. Post hæc soluens Troade Paulus emensoq; mari Ægeo, Icario, & bona parte maris Myrthoi per insulas celebres Lesbon (in qua Mitylenen ingressus dicitur) Chium & Samum, venit, præterita Asia siue Epheso, Miletum. Mileti conuocata Synodo magna episcoporum & presbyterorum Asiæ; concionatus est diligentissime coram eis. Commendauit autem in primis omnibus ecclesiæ ministris ecclesias & ecclesiarum salutem, quam ostendit consistere in synceritate doctrinæ euangelicæ, ad quam pure seruandam custodiendamq; adhortatur sanctissime: prēmonēs interim irrupturos graues lupos in ecclesiam: monet ergo aduigilent, orent & lupos illos abigant, denique modis omnibus sese impendant incolumitati ecclesiæ conseruandæ. Hæc omnia eleganter contexit Lucas in Actis cap. 20. *Prædicatio verbi in ecclesia.* *Synodus Miletana.*

Ea re perfecta dimisisq. presbyteris nauim conscendit, emensoq; pelago Carpathio & Lycio. primum quidem Coum, deinde Rhodum nobilissimam insulam attingit. Inde Pataram Lyciæ vrbem clarissimā contendit. Ex ea per mare Syriacum Cypro insula illustrissima ad sinistrā relicta, delatus est Tyrum in Phœniciam. Excepit Apostolū Christi Paulum Tyrus maximo cum applausu, quam is reliquit multo maiore cum affectu. Lucas enim in cap. 21. Actorum, Et expletis, inquit, diebus septem, profecti ibamus deducentibus nobis omnibus vnà cum vxoribus & filijs. A Tyro descendit Ptolemaidem, inde vero peruenit Cæsaream in Palæstinam. *Maritima Pauli peregrinatio* *Tyrus.*

Cæsareæ ingressi sunt, quicunque erant in sodalitio & comitatu Pauli, domum Philippi euangelistæ, cuius superius in cap. 2. meminimus. Erant autem in comitatu Pauli à Macedonia in Asiam & in Syriam vsque viri pietate, authoritate, virtutibus & eruditione multiugaque experientia clarissimi Sopater Berrhœensis, Aristarchus & Secundus Thessalonicen. Caius ac Timotheus Derbæi, Tychicus Ephesius, & Lucas Antiochenus. Asianum vero Trophimum, in itinere reliquit Mileti, languentem. Et horum quidem ministerio vtebatur Apostolus in propaganda prædicatione euangelij. Videtur & in sodalitio illustrissimo planè maiestas quædam

apostolica in Paulo, quem tot & tanti viri suspexerunt, perq; terras & maria mille per pericula sunt consequuti. Hos autem excepit Philippus, Apostolos Apostolus, iam vero Cæsarien. ecclesiæ euangelista, pastor, episcopus siue ecclesiasta. Erat hic hospitalis, nec egens & mendicus prorsus, qualem ferè requirunt hodie Anabaptistæ, habebat ædes haud dubie satis instructas, intrà quas excipiebat cum sodalitio sanctissimo Apostolum: non vicatim mendicabat stipem & hospitium. Erat castus & sanctus, continens & purus, licet esset maritus filiasque haberet prophetissas. Ac ad talem quidem hospitem diuertit Apostolus, qui in epistolis ad Timotheum & Titum huiusmodi describit, adeoq; & requirit episcopos ecclesiarum qualis erat hic Philippus.

Philippus Cæsareæ Palæstinæ Episcopus.

Cæsareæ vidit & audiuit Paulus Agabum singularis doni prophetam, vaticinantem & prædicentem omnia quæ euenerunt ipsi Hierosolymis. Fratres quidem ea audientes hortati sunt ne Hierosolymam ascenderet, nimirum vt bono publico sese seruaret, non vinciendum traderet. Sed habuit suam vocationem Apostolus, iccirco nulla admisit hominum consilia. Quod autem diuinus spiritus ipsius vincula prædicebat, intelligebat id in hunc fieri finem, vt sese præmuniret aduersus imminentem tempestatem. Sublatis ergo sarcinis aut impedimentis, Hierosolymam ascendit diuertitq; ad Cyprium quendam Mnasonem veterem Christi discipulum. Quæ omnia Lucas in Actis cap. 21. copiose describit. Hoc vero iter & hanc nauigationem perfecit Apostolus toto hoc tempore quod medium intercedit diem seu festum Paschæ & Pentecostes. Nam Pentecosten celebrauit Hierosolymis.

Vincula prædicuntur Paulo.

CAPVT XII.

Paulus capitur Hierosolymis à Iudæis, liberatur à Cl. Lysia è manibus Iudæorum, mox Cæsaream mittitur ad Felicem.



Ierosolymis autem templum ingressus Apostolus purificat se, ex consilio fratrum, cum quibusdam Iudæis, suum persoluentibus votum: id quod non in aliam finem fecit, quàm vt Iudæi ipso hoc Apostoli facto placati, qui aliàs ipsi erant infensissimi, intelligerent Paulum non esse hostem populi Iudaici & legis Mosaicæ. Habebatur enim à Iudæis ferè omnibus pro hoste populi Dei & Mosis. At non bene cessit, quod consilio presbyterorum erat obsequutus. Etenim in ipso templo & quasi in ipsa actione sacrorum per ingentem tumultum capitur à Iudæis, pugnis acriter contunditur, extra templum protrahitur vt extra templum & clausis templi foribus trucidaretur. Cæterum Cl. Lysias tribunus militum præsidiariorum Romanorum, qui tum castra habebant Hierosolymis, tumultus concursu excitatus, procurrensq; cum militum cohorte è castris, S. Paulum iamiam periclitantem de vita, eripit ex manibus cruentis Iudæorum, ac subducit in castra. Cum autem ad gradus castrorum peruenisset, atque à Tribuno rogaretur num esset Ægyptius pseudopropheta ille, qui ante paucos dies magnam in Iudæa seditionem excitarat, Paulus id quidem negauit, & dicendi pro se copiam postulauit: qua concessa, conuertit se ad populum Iudæorum ponè insequentem & clamantem Indignum esse qui viuat, multis coram populo caussam reddit suæ conuersionis, & modum ostendit, vt vel inde colligerent Paulum non leuibus aut prauis ex caussis, sed ex voluntate & potentia diuina mutasse religionem. Quandoquidem vero tumultuantes Iudæi Pauli sermonem seditiosis clamoribus interrumpebant, deducitur à militibus in castra, ne viuus à furente turba discerperetur.

Purificat se Apostolus in templo Hierosolymitano.

Capitur Paulus in templo.

In castris iubetur flagris examinari. Sed cum intelligerent Paulum ciuem esse Romanum, (quippe qui oriundus esset ex Tarso, quæ ciuitate ob fortia facta à Romanis fuerat donata) relaxant ei vincula omnia. Interim vt Tribunus ipsas caussas ob quas Paulo ita truculenter occlamabant Iudæi, perdisceret, producit Paulum in Consilium summi Pontificis & senatus Hierosolymitani. In eo res tam importune acta est, vt Tribunus Paulum rursus ereptum ex manibus insanientium reduceret in castra. Hic apparet ipsi Dominus noctu, & subtristem consolatur & animat ad maiora, prædicens Paulum & Romanis prædicaturum.

Quid cum Paulo actum in castris Romanorum, & in senatu Hierosolymis.

Interea coniuratione facta deuouent se XL. viri ex Iudæis neque esuros neque bibituros ni prius trucidarint Paulum: & quo commodius id perficerent, postulant à Tribuno, Paulum producat in disputationem publicam. Nam in itinere, dum videlicet à Tribuno in constitutum locum deduceretur, statuerant ipsum intercipere sicis. Ea res cum innotuisset, Deo sic disponente, apostolo, per nepotem ex sorore Pauli, Tribunum instruxit ne inscius proditionis & latrocinij destinati conceptiq; iugulandum produceret in publicum. Tribunus vero re cognita, deligit

Coniuratio in Paulum.

deligit opera Centurionum equites LXX. pedites CCCC. & ab hora noctis tertia Paulum equo impositum, literisq;, quibus causa captiuitatis ipsius continebatur, instructum mittit Cæsaream ad Felicem præsidem Iudææ. Et milites quidem pedestres Paulum Antipatridem vsque comitantur, inde Hierosolymam redeunt, equitum pars Cæsaream vsque deducit. Felix lectis literis, & audito Paulo, iussit ipsum custodiri in prætorio Herodis, donec accusatores eius Hierosolyma descendentes suam proponerent accusationem. Venerunt autem accusatores Pauli post dies quinque ab eo videlicet quo Paulus Cæsaream fuerat perductus. *Paulus per militum manus defenditur.*

Totum autem hoc tempus ipse Apostolus diligenter supputans in defensione sua coram Felice in vniuersum numerat dies XII. vt certum sit ea quæ hoc capite exposuimus perfecta intra dies VI. Historiam ipsam plenius prosequutus est Lucas in Act. cap. 21. 22. & 23. *Supputatio temporis.*

CAPVT XIII.

De Præsidibus Iudææ missis à Romanorum Imperatoribus.



Operæ pretium videtur in præsenti recensere aut perstringere potius omnes Iudææ præsides à Copinio, qui primus præsedisse creditur ad hunc nostrum vsque Antonium Felicem. Nam sine cognitione historiæ & successionis Præsidium multa noui Testamenti loca, nedum hæc nostra tractatio, quasi cæca fuerint. *Præsides Iudææ.*

Primus ergo Iudææ rector vel præses viuente & imperante adhuc Octauio Augusto Cæsare, ordinanteq; Syriæ præside Cyrenio, fuit Copinius. Mortuo autem Augusto, & succedente in regno Tiberio Cæs. surrogatus est Copinio Marcus quidam. Marco substitutus est Annius Rufus. Post Rufum missus est præses Valer. Gratus, hunc sequutus est Pontius Pilatus, quem sub finem anni XIII. Cæs. Tyberij in Iudæam venisse ex ratione temporum colligitur. Pilatus hic Pontius, vt cæteri præsides omnes, fuit superbus, crudelis, auarus, rapax, impius. Et Iudæi quidem tyrannidem turpissimi hominis ferre non valentes, accusant ipsum apud Vitellium, qui tum gubernabat Syriam. Vitellius ergo vnum ex amicis suis qui Pilati vices subiret ad tempus constituit, Marcellus is appellabatur, Pilatum vero Romam pergere compulit, vt se in iudicio Cæsaris expurgaret de criminibus sibi obiectis. Sed priusquã venisset Romam Cæsar Tiberius è viuis excesserat. Ista omnia huc transtuli ex Iosephi Antiquitatum lib. 18. cap. 3. 4. & 7. Cæterum in toparchia Archelai filij Herodis magni, quæ post exilium Archelai Syriæ dispensationi coniungebatur, & in prouinciã vel præfecturam redigebatur, præfuerunt præsides isti omnes. Interea reguli alij Herodiani, fratres Archelai regnabãt adhuc in Toparchijs aut tetrarchijs suis. *Copinius. Marcus. Annius Rufus. Val Gratus. Pont. Pilatus. Marcellus.*

Tyberio Cæsari succedit in imperio Romano Caius Cæs. qui protinus à regni sui initio è Syria reuocat Vitellium, & pro Marcello præsidem Iudææ dat Publium Petronium. Idem Caius mortuo Philippo tetrarcha, tetrarchiam concedit Agrippæ Prisco: sicuti superius in cap. 5. commemoraui: mox & Herodis Antipæ toparchiam eidem Agrippæ donat. Mortuo deinde Caio Cæsare, & in regnum exaltato Claudio, prefectura Iudææ in vniuersum tollitur à Cæsare. Claudius enim Agrippam regem confirmauit in tetrarchijs patruorum, insuper donauit eidem Iudæam & Samariam, reuocato Romam Petronio, & substituto Syriæ rectore Marso. Hæc omnia Iosephus copiosius exponit. *Pub. Petronius. Tollitur præfectura Iudææ.*

Idem lib. 2. de bello Iudaico cap. 10. Post mortem, inquit, Agrippæ (qui regnum Iudaicum tenuit annis circiter tribus) Claudius regnum eius in prouinciam redegit: in cuius procurationem missus est Cuspius Fadus. Itaque præfectura Iudææ suum rursus locum & ordinem recepit. Fado in præfectura succedit Tiberius Alexander. Alexandro successor venit Ventidius Cumanus, qui tamen loco mox amotus est. Nam Numidius Quadratus Syriæ præses Cumanum misit Romam, coram Imperatore causam eorum redditum, quæ in prouincia sua designasset. Post Cumanum Iudææ præficiebatur Felix hic noster. Quæ omnia ex Iosephi historia mutauimus ex libro Antiquitatum 20. cap. 5. & 8. item 9. deniq; lib. de bello Iudaico 2. cap. 11. *Restituitur præfectura Iudæa. Cuspius Fadus. Tib. Alexand. Cumanus. Felix.*

Cæterum circa supputationem annorum præfecturæ Felicis videntur authores non per omnia & ad amussim congruere. Eusebius enim in Chronicis, & Iosephus in Antiquitatibus tradunt Felicem missum in Iudæam annno Claudij XI. Atqui ea ratione omnes anni Præfecturæ Felicis numerarentur IIII. duntaxat, nimirum ad primũ vsq; Neronis annum. Paulus vero causam suam coram hoc Felice agens, Æquiore, inquit, animo pro me ipso causam dico, cum sciã te multis iam annis iudicẽ fuisse genti huic. Quis vero dicat multis annis præfuisse eum, qui annis tantũ IIII. aut V. præfuit? Corn. ergo Tacitus numerat annos plures. Lib. enim 12. describens ea quæ sub cõsulatu Fausti Syllæ & Siluij Othonis euenere, inter alia scribit, At nõ frater Pallantis, *De Felicis potentia copiosius.*

cognomento Felix,pari moderatione agebat,iam pridem Iudææ impositus,& cuncta malefacta sibi impune ratus,tanta potentia subnixo. Iam pridem dicit Antonium Felicem Iudææ impositum.Incidit autem Syllæ & Siluij consulatus in 10.& 11.annum Claudij Cæsaris.Multò ergo longius prorogat potentiam & præfecturam Felicis Tacitus,quàm Eusebius & Iosephus.

Verum videor mihi modum cernere,quò dissidentes queant componi. Videtur enim Felix cum Fado, aut non multò pòst Fadum tempore, missus in Iudæam, & Fadum quidem suscepisse regendam Iudæam. Felicem vero tetrarchias Philippi & Lysaniæ: aut certe hunc legionibus esse impositum.Dum verò Fadus & Alexander munere suo defuncti essent, contendit modis omnibus Felix,vt ipse solus rerum potiretur;sed cum ea in re æmulum haberet Ventidium Cumanum,nihil impetrauit, donec Cumanus prorsus esset exauthoratus. Tunc enim Iudæa, Samaria,& Galilæa,plenè potitus est Felix,id quod constat factum circa XI.Cladij annum:quo tempore idem Claudius Aggrippæ iuniori concessit tetrarchias Philippi & Lysaniæ. Ita vero clarum & planum fit quomodo idem Felix diu præfuerit genti Iudaicæ aut illis partibus,& quo modo XI. demum anno Claudij præses datus sit Iudææ.

Subiungemus iam testimonia ex quibus hanc nostram sentententiam ceu ex fontibus deriuauimus.Corn.Tacitus libro Annalium 21.Claudius,inquit,defunctis regibus,aut ad modicum redactis, Iudæam prouinciam equitibus Romanis aut Libertis permisit: è quibus Anto. Felix per omnem sæuitiam & libidinem ius regium seruili ingenio exercuit.Hæc Tacitus.Certum est autem Agrippam Priscum defunctum Romanis reliquisse Iudæam disponendam atque regendam. Idem Tacitus lib.12. Felix interim,ait,intempestiuis remedijs delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano,cui pars prouinciæ habebatur,ita diuisis, vt huic Galilæorum natio,Felici Samaritæ parerent,discordes olim & tum contemptu regentium, minus coercitis odijs. Et reliqua. Porrò Sueton.in Claudio, Libertorum,ait,præcipuè suspexit Posidem Spadonem nec minus Felicem,quem cohortibus & alis prouinciæque Iudææ præposuit,trium reginarum maritum.Suetonio subscribens Sextus Aurel. Victor in Claudio, Liberti eius, inquit, potestatem summam adepti,stupris,exilio,cæde,proscriptionibus omnia fœdabant. Ex quibus Felicē legionibus Iudææ pręfecit.Iam vero Iosephus lib.de Bello Iudaico 2.cap.2.Post eiectum Cumanum, Felicem Pallantis fratrem,inquit, destinauit ad Iudæos, qui & eorum prouinciam cum Samaria & Galilæa curaret.Agrippę vero prouinciam tradidit quæ Felicis fuisset.Erat autem ista Trachonitis & Bathanea & Gaulonitis.Et reliqua.Ab his non multum dissentiunt quę tradit Beda in cap.24. Acto. Apostolorum. Hæc de præsidibus Iudæorum hactenus diximus. Redimus iam ad intermissam seriem temporum & rerum plene contexendam.

CAPVT XIIII.

Quæ Cæsareæ acta sint cum Paulo sub Felice præside, & sub Portio Festo, denique sub rege Agrippa.

Paulus accusatur coram Felice,& defendit se.



DVm Paulus Cæsareæ custodiretur in Prætorio Herodiano,adueniunt ex vrbe seniores Iudæorum,ac Paulum per excellentem oratorem Tertullum accusant coram Felice criminis hæreseos,perduellionis,& seditionis,impietatis denique. Paulus vero, Felice permittente,pro se dicit modestissime,repurgans se ab intentatis criminibus, & se per omnia insontem & innoxium esse demonstrans. Ac permouit adeò oratione sua Felicem,vt commode dimissis Iudæis,Paulum iuberet relaxari, & tantummodo à Centurione custodiri, admissis ad colloquium, & ad præstandam beneficentiam quibuscunque Pauli amicis & fautoribus.Imò ipse Felix accersito Paulo ad priuatum colloquium,sustinuit vnà cum vxore Drusilla Iudæa, vtpote regis Agrippæ iunioris sorore (Est enim alia quædam Drusilla Antonij & Cleopatræ reginæ Ægypti filia,apud Cornelium Tacitum,quæ aliâs huic Antonio Felici nupserat: quippe qui esset trium reginarum maritus) sermonem audire de fide in Dominum Iesum,de iustitia,de temperantia,& de iudicio futuro. Ac affecit eum is sermo in tantum,vt totus exhorresceret. Interim quemadmodum & Herodes Ioannem Baptistam libenter audiuit, sui tamen similis perpetuò mansit.Ita Felix hic homo impurus nullam scelerũ suorum egit pœnitentiam:& tamen non semel sed frequentissime euocabat Paulum in colloquium,detinuitq; in custodia quàm diu fungeretur publico pręsidis munere.Id quod Lucas extendit per biennium. Biennio enim expleto,inquit,accepit successorem Felix,Portium Festum. Biennium autem illud numerandum est à captiuitate Pauli, non à præfectura suscepta Felicis: sicut præcedente

Felix familiariter audit Paulum.

patuit

patuit capite, vbi ex Pauli verbis annotatum est Felicem plures annos ei genti præfuisse.

Quando Festus Roma missus Hierosolymã venerit.

Non nescio Eusebium & Iosephum, Hieronymum deniq; sentire Festum demum II. Neronis anno missum Roma, venisse in Iudæam. Sed magis me mouet, merito, Lucæ fides & authoritas, qui manifeste dicit Festum Felici successorem venisse biennio captiuitatis Pauli expleto. Iuuat nostram supputationem quod Suetonius in Claudio testatur Claudium in Octobre decessisse. Verba eius si quis requirat hæc sunt, Excessit tertio Idus Octobris Asinio Marcello, Acilio Auiola Coss. LXIIII. ætatis, imperij XIIII. anno. Idem testatur & Cornelius Tacitus, qui idem scribit Neronem protinus ab initio regni complurima nouasse in Oriente. Inter alia Annalium libro XIII. dicit, Cl. Nerone, L. Antistio Coss. (fuit is primus regni Neronis annus) Nero infensus ijs quibus superbia muliebris nitebatur, demouet Pallantem cura rerum, qui à Claudio impositus, velut arbitrum regni agebat, &c. Cæterum Pallas hic, fratrem Felicem hactenus in officio & dignitate retinuerat, qui Messalinæ mulieris omnium quæ vixerunt impurissimæ impudentissimæq; opera in tantum fastigium erat subleuatus: vt non leuis coniectura sit etiam Felicem cum Pallante eodem nimirum tempore è fastigio esse detractum. Præterea si inuicem tempora & res componas, pulcherrime quadrabunt omnia. Paulus omnium sententia XIII. Claudij anno Hierosolymis coniectus est in vincula: ergo reliquum tempus regni Claudiani per residuam partem anni XIII. à Pentecoste, & per integrum annum XIIII. Claudij ad vsq; mortem eius in Octobre, sub Felice in libera fuit custodia. Nero autem Claudio protinus succedens mox à regni sui principio Cl. Nerone & L. Antistio Coss. deiecit Pallantem è potestate habita; Felicem ergo deposuit, & Festum in Iudæam dimisit, qui circa festum Pentecostes Hierosolymam venire potuit; eo videlicet tempore, quo biennium captiuitatis Pauli fuit expletum. Et quæ hactenus recitauimus de rebus Pauli gestis & temporibus sumpsimus ex vigesimo octauo capite Acto. Apostolorum.

Quæ egerit Festus cum Paulo.

Porrò per insequentem mox æstatem videntur ea esse acta, quæ Lucas commemorat in Actis cap. 25. & 26. Principio enim sedente pro tribunali Festo Cæsareæ, producitur in iudicium Paulus & multorum magnorumq; criminum accusatur ab aduersarijs Iudæis. Ad ea respondens Apostolus illa à se remouet tam euidenter vt etiam iudex, licet Ethnicus, intelligeret Paulum esse innocentem. Volens tamen gratificari Iudæis Festus, rogat Paulum num velit ascendere Hierosolymam & ibi agere caussam suam? Ad quam postulationem, vtpote iniquissimam, indignatus Paulus, respondet se etiam Cæsareæ in foro & ante tribunal Cæsaris stare, neque recusare supplicium mortis, siquidem maleficij fuerit conuictus. Alioqui nolle se Hierosolymam repetere neq; præsidem habere potestatem aliò ipsum, qui Cæsarẽ appellet, ducendi: simul autem ad Cæsarem appellat. Id quod Præses benigne recepit appellationemq; concessit.

Agrippa iunior rex.

Deinde cum rex Agrippa iunior, cui Nero adiecerat regno eius Galilæam, Cæsaream descendisset salutatum exceptumque nouum Præsidem: Præses negotium Pauli cum rege communicauit: rex ipse Paulum & videre & audire poscit. Postulationi acquiescit Festus. Ergò in auditorium prodeunt magna pompa & multo cum apparatu, primum quidem Festus præses Romanus cum suis, deinde vero Agrippa & Bernice cum suis aulicis: ingrediuntur etiam chiliarchæ, tribuni, centuriones & viri totius regni proceres. Dubium vero est quæ nam fuerit illa Bernice vel Beronice (quam hodie appellant Veronicam) regis ne Agrippæ vxor: quod arbitratur D. Ioan. Chrysostomus, & omnium verisimilium apparet: an regis soror, quæ nupserat quondam Herodi regi Chalcidis, & iam eo mortuo vidua erat: an fuerit neptis Agrippæ regis ex sorore Maria & Archelao Helcij filio. Tres enim sorores habuit iunior Agrippa, quarum Drusilla Felici præsidi, Maria Archelao, Bernice verò Herodi regi Chalcidis nupsit; ex quo & Bernicen filiam suscepit. Vtcunque vero id habeat, indubitatum est bonam partem Principum totius Syriæ hic ad audiendum Paulum confluxisse, Deo mirabiliter sic disponente, vt omnes etiam Principes audirent prædicationem Euangelij de saluando mundo per mortem Filij Dei, &c.

Bernice.

Sorores Agrippæ.

Paulus concionatur ante regem præsidem & omnes Syriæ principes.

Summa Concionis Paulinæ ante Regem & præsidem.

Producitur ergo Paulus catenis vinctus (Festus enim ipsum constrinxerat arctius quàm fecerat Felix) producitur inquam in frequens illud & splendidum maiestateq; verendum auditorium, vbi mox iubetur pro se dicere. Dicit ergo & tanta quidem modestia, grauitate, maiestate & euidentia, vt Festus Paulum nimia literarum defatigatione dementatum insanire putaret, Agrippa vero rex scripturarum peritus exclamaret, Parum abest quin mihi Christianum fieri persuaseris. Ostendit autem viris illis principibus Paulus in quo ipsi sit cum Iudæis certamen & de quibus rebus. Quomodo cœlitus ad fidem Christianam conuersus, & ad prædicationem Euangelij vocatus sit. Docet euangelium tradere Filium Dei in mortem traditum, resuscitatum

& constitutum liberatorem & salutem omnium gentium, quæ eam prædicationem fide complectantur. Ostendit denique hæc non esse noua aut nupera, sed olim & à mundi constitutione prædicta à prophetis. Ideoque magna securitate, certitudine & constantia asseuerat, se nihil prædicare quod non possit approbare testimonijs ex Mose & prophetarum libris desumptis. In primis vero vrget in sua illa oratione Paulus Resurrectionem ex mortuis & vitam fidelibus paratam in Christo æternam. Et magnates quidem audito Paulo & collatis inuicem sententijs, pronunciant innoxium esse & dimitti potuisse liberum: quia vero ad Cęsarem appellarit Augustum, iccirco Romam esse mittendum.

Voluit & disposuit hoc ipsum haud dubie omnia recte gubernans & temperans diuina prouidentia: nimirum vt electionis vas Paulus non tantum coram regibus, præsidibus, magnatibus, sacerdotibus, doctis, indoctis, vulgaribus, omnis sexus & ætatis hominibus Iudæis & Gentibus, sed in ipsa Roma mundi capite, & ante Cæsarem Augustum, totumque illum Romanæ vrbis senatum amplissimum, in aula item luxuriosissima, & in vrbe populosissima & flagitijs scatente, Christi euangelium prædicaret, & plures homines peccatores conuerteret ad pœnitentiam & ad fidem Christi Iesu, qui non vult mortem hominis peccatoris, sed magis vt conuertatur ac viuat. Seruatur ergo Cæsareæ in custodia Paulus, donec commoda se offerret in Italiam nauigatio.

CAPVT XV.

De quinta Pauli profectione, qua ex Syria per mare mediterraneum per varia loca & pericula Romam nauigat in Italiam.

Iulius Centurio deducit Paulum in italiam.


DRAMYTTINA ergo naui data Paulus vna cum alijs vinctis Aristarcho presertim Macedone, traditur Iulio cuidam centurioni cohortis Augustæ Romam ex Syria in Italiã deportandus. Iulius hic rebus Pauli fauit egregie, ita disponẽte benefico Deo, ideoq; tenuit ipsum in custodia satis liberali. Permisit enim ei vt vbiq; ad amicos eiret eius curaretur ab eis, & res suas libere apud ipsos ageret.

Hanc profectionem diligentissime depinxit Lucas in Actis Apostolorum cap. 27. & 28. Nec quisquam potuit melius cum propter dona Dei maxima & exactam eruditionem, tum quod indiuiduus Pauli comes omnium eorum quæ scribit & auritus & oculatus testis est. Breuibus ergo res potissimas perstringam, & primũ quidem loca. Principio delati sunt Sidonem, inde Myrã in ipsam Lyciam peruenerunt, ventis nimirum contrarijs eo depulsi. Ex Myra nauigant in Cretam insulam, inq; loca eius Insulæ varia perueniunt. Tandem è Creta soluentes, satis imprudenter, coguntur sese ventorum flatibus permittere. Hi in Claudam insulam impellebant nauim. Inde abrepti tempestatibus diu multumq; iactati, per mare Libycum seu Punicum pelagus iuxta Syrtes, extremo cum periculo in Adriaticum eluctantur, delati in conspectum Melitæ insulæ, vbi priusquam appulissent nauim, nauis vi procellarum dissoluta, perijt, homines natando in vicinum portum salui euaserunt omnes.

Loca præcipua ad quæ peruenerunt in hac nauigatione.

Paulus fidus monitor.

Singulares & excellentes huius profectionis res sunt hæ potissimum. Tempestiua admonitio Pauli, qua Centurioni & reliquis nauigaturis mature & adhuc in Creta existentibus suadet ne se aperto immergant periculo. Præterea intempestiua & perniciosa contumacia contemptorum consilij optimi: id quod eis cessit pessime. Singulare est etiam hoc quod Paulo apparet in periculo maximo angelus Domini, confortans ipsum, exponens item periculi totiusq; nauigationis euentum, & quod Paulo Dominus omnes in ea naui nauigantes donauit. Erant autem numero CCLXVI. Nec erat ista promissio aut iactatio inanis. In naufragio enim perijt nauis, vti prędixerat Paulus, hominum nullus perijt.

Paulo donantur homines 266.

Quid actum in insula Melita.

In insula Melita excellentibus donis & beneficijs ornauit Apostolum suum Dominus. Viperam enim è manu Pauli sarmenta colligentis deferentisq; ad pyram, dependentem, citra damnũ excussit in ignẽ, quo sese ex naufragio madentes & frigore rigentes fouebant. Publium insulę primatem febribus & dysenteria periculose laborantem restituit sanitati inuocato Christi nomine. Prętereа omnes eius insulæ homines varijs oppressos & vexatos morbis curauit. Quam ob rem insulani Melitenses tantis beneficijs non ingrati multam beneficentiam & honores maximos contulerunt in Paulum & sodales.

Sicilia. Rhegyum.

A Melita, quæ & Malta dicitur, soluentes in naui Alexandrina Iulius atque Paulus, deferuntur Syracusas in Siciliam. Inde vero emenso freto Siculo Rhegyum primam in Italia vrbem attingunt.

attingunt. Hinc transuecti Brucios, Lucanos & Picentinos, prӕteritoque amœnissimo sinu Neapolitano, deferuntur in eius sinus extimum promontorium, quod in Austrum spectat, Puteolos, vrbem à puteorum frequentia sic denominatum. Inde rursus per Appij forum & Tres tabernas pedestri itinere Romam contendunt atque perueniunt, excipientibus ipsum Paulum fratribus, & in occursum ad Appij vsq; forum prodeuntibus. Romӕ à Centurione traditus est principi exercitus.

Puteoli.

Romam venit Paulus.

Iam quod tempora attinet, videtur hӕc peregrinatio cœpta ante hyemem, & absoluta esse in Vere. In Vere enim Romam peruenit Paulus, nimirum II. Neronis anno. Lucas enim in Actis cap. 27. Et cum aptus portus (inquit) non esset ad hybernandum, complures cœperunt consiliũ soluendi illinc, &c. Cœpta est ergo nauigatio vel ante hyemem, vel in hyemis principio. Deinde in cap. 28. idem Lucas, Post menses autem tres, ait, nauigauimus in naui Alexandrina, quӕ in insula hyemauerat. Ergo post hyemem demum nauigarunt & peruenerunt Romam, nimirum in Vere.

Supputatio temporum.

CAPVT XVI.

Quid Romӕ fecerit & scripserit Apostolus Paulus, ac de epistolis eius ad Galatas, Ephes. Coloss. Philip. 2. ad Timoth. Philemon. ad Hebr. &c.

PRinceps exercitus cui Iulius Paulum tradiderat vinctum, permittit Apostolo vt solus cum custode milite maneat. Ideoq; licebat ei recipere & dimittere quos volebat. Ac vocauit quidem Iudӕorum primores primum, quibus eleganti oratione exposuit totum negotium suum, ob quod vinctus fuerat adductus ex Syria, cognoscere simul cupiens, num aliquis adesset qui ipsum accusare vellet coram Cӕsare, an accusandi per literas acceperint mandatum. His vero significantibus neminem esse qui de Paulo quicquam mali vel dixerit vel scripserit, postulantibusque vt ipsis de fide Christiana dissereret, libens obtemperauit, integrumque diem à mane ad vesperam de omnibus credendis de Christo Domino ex lege & prophetis splendide disputauit. Nec caruit hic Pauli labor suo fructu. Multi enim crediderũt in Christum. Nec defuerunt qui pergerent pertinaciter esse infideles. Quibus postquam ex Isaia suum recitasset iudicium, conuertitur ad Gentes. Has autem docuit per integrum biennium illud quo custodiebatur in libera custodia. De qua re Lucas, è quo & illa mutuauimus, quӕ hactenus in hoc cap. recitauimus, ita scriptum reliquit in Actis cap. 28. Mansit autem Paulus biennio toto in suo conducto: & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum, prӕdicans regnum Dei, ac docens quӕ sunt de domino Iesu, cum omni fiducia, nemine prohibente. Nam in hunc finem, diuina prouidentia moderante, Romam peruenerat. Cӕterum extendit se biennium hoc in IIII. vsque Neronis annum. Secundo enim Neronis anno in Vere venit Romam Paulus. Mansit autem biennio toto in suo conducto: ergo mansit Romӕ in IIII. vsque Neronis annum. Erat is annus Christi LX. conuersionis autem Pauli XXVII.

Romӕ in libera custodia primum cum Iudӕis agit Paulus.

Paulus docet Romӕ gentes.

Profecit autem prӕdicatione sua Apostolus Romӕ plurimum. Nam ipse ea de re loquens ad Philip. Scire, ait, vos volo fratres, quod quӕ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelij euenerunt: ita vt vincula mea manifesta facta sint in Christo, in toto prӕtorio, ac cӕteris omnibus. Et reliqua. Huc pertinere puto illud Hieronymi in epist. ad Philemonem, dicentis, Quid sit Prӕtorium in ipsius epistolӕ fine indicat. Salutant vos omnes sancti, maxime qui de Cӕsaris domo sunt. A Cęsare missus in carcerem, notior familiӕ eius factus, persequutoris domum Christi fecit ecclesiam. Hӕc ille. Visum est eidem Hieronymo in scripto, ecclesiast. L. Anneum Senecam virum clarissimum, frequenter scripsisse ad S. Paulum & hunc ad Senecam. Extant vtriusque Epistolӕ. Antonius Sabellicus illustris historiarum scriptor, Enneadis 7. lib. 2. Senecӕ vna ad Paulum, inquit, hoc habuit, Confiteor Augustum (Neronem) sensibus tuis permotum, cui lecto virtutis in te exordio, ista vox fuit, Mirari se posse, vt qui non legitime sit imbutus, taliter sentiat. Cui ego respondi, Solere Deos innocentium ore effari. Et hӕc vir ille ad Paulum & apud Neronem de Paulo. Quoniam vero emunctiss. iudicij D. Eras. Rot. in Operibus Senecӕ argumentis non spernendis ostendit Epistolas illas neque Paulinӕ maiestatis, neque grauitatis Senecӕ habere quicquam, non magnopere illas apud lectores pios vrgeo.

Quanto cum fructu prӕdicarit Romӕ Paulus.

Senecӕ epistolӕ ad Paulum: & Pauli ad Senecam.

Neque vero contentus erat plurimos Romӕ Christo lucrifacere, solicitus prӕterea erat eos, quos olim lucrifecerat, retinere Christo, & his adhuc plures adijcere. Ergo eius rei gratia Timotheum mittit in Macedoniam seu Grӕciam, vti ex epist. ad Philip. licet colligere. Titum

Quos à Roma miserit Paulus prӕdicatum.

ablegauit in Dalmatiam, Crescentem vero in Galatiam. Porrò Tychicum misit in Asiam: quemadmodum in 2. ad Timotheum epistola ipse indicat. Nec dubium quin multò his plures miserit etiam in alias regiones prædicatum Euangelium Christi.

Quæ scripserit à Roma Paulus. *Ad Galat.*

Præterea scripsit à Roma ad gentes varias aliquot epistolas diuina refertas sapientia, fluentesq; salutaribus & iugibus aquis vitæ & salutis. Inter eas numeratur primo loco quam dedicauit Galatis, quam exarauit manu propria: cum aliàs per amanuensem scribere solitus sit: sicuti Tertio excipiente dictauit epistolam ad Romanos. Videri tamen poterat non abs re epistola ad Galatas missa ex Epheso: quod mox ab initio epistolæ dicat, Miror quod à Christo tá cito transferamini. Atqui constat vincula Pauli, quæ Romæ sustinuit à conuersione Galatarum sese in annum ferè X. extendere. Vt iam non commemorem, quod in epistola ad Galatas nullibi, sicuti in alijs epistolis à Roma missis, vinculorum meminit, & vt preces ad Dominum pro ipso fundant, poscit. Perinde vero est à Roma, an ab Ephesو, scripta sit. Certe excellentissima est epistola.

Ad Ephesios, Coloss. & Philem. Ad Philippenses. Ad Hebræos. 2. ad Timotheum.

Certum est epistolas ad Ephesios, Colossenses & Philemonem Romæ scriptas, & per Tychicum esse missas, delatasque in Asiam. Hoc enim ex ipsis Pauli verbis nullo negotio colligi potest. Nec minus certum est epistolam Philippensibus inscriptam à Roma missam esse per Epaphroditum, vtpote cuius in ipsa meminit epistola. Porrò epistolam ad Hebræos Roma quoque missam esse in Iudæam, non ineptis coniecturis ex vltimo capite sumptis, colligitur. Postremo dubium non est de Secunda ad Timotheum epistola, quin à Roma prodierit. Apparet autem missam in Macedoniá aut Græciam, vbi tum erat Timotheus. Ita vero diuinum illud sanctissimi Pauli pectus nuspiam quieuit, nullam occasionem neglexit, nullis laboribus pepercit, & omnia sua huc direxit, vt Christianam religionem quàm latissime scriptis, dictis & factis propagaret. Vtinam sint hodie multi qui pro suo modulo & dono, pura fide, dilectione, simplicitate, synceritate, pietate & diligentia, sancto item iustoque zelo atque feruore euangelij Iesu Christi negotium moueant ac feliciter multoque cum fructu promoueant. Volentibus & viribus totis annitentibus implorantibusque Iesu Christi auxilium ac spiritum, nunquam deerit pius & clemens Dominus.

CAPVT XVII.

Quid anno Neronis IIII. & deinceps Romæ, ac alibi cum Paulo actum sit, & de interitu eius, coniecturæ aliquot.



Vid porrò egerit Paulus IIII. Neronis anno, aut quomodo se defenderit contra accusatores suos Iudæos coram tribunali Cæsaris, quomodo liberatus sit, & quo liberatus abierit, quid fecerit denique ad diem vsque mortis suæ, tanta certitudine, quanta superior historia, ostendi non potest. Proferam tamen coniecturas aliquot pro his quæ proposuero confirmandis: proferam & veterum scripta. Nam in IIII. Neronis anno finiuit beatus Lucas Acta Apostolorum. Interim vero non sunt vlla in parte sui quod plenam de pietate Christiana doctrinam attinet, imminutæ aut inabsolutæ sacræ literæ.

Sacræ literæ plenè omnem pietatis doctrinam continent

Quanquam enim literis non sit traditum, quomodo se defenderit Paulus coram Nerone, quomodo liberatus sit, aut quo abierit liberatus, quid & quibus prædicarit, & quomodo tandem occubuerit: habemus tamen ex quibus illa omnia sarciamus, aut certe qualia ista fuerint æstimemus. Habemus defensioné Pauli factam coram populo Israelis præsente Cl. Lysia, & aliam quandam coram Felice præside, & aliam rursus coram Festo præfecto, & coram rege Agrippa, habemus ergo substantiam, vt vocant, eius quoq; purgationis, qua vsus est coram imperatore Nerone: præsertim cum responsiones illæ quæ extent omnes vnius sint generis & argumenti. Habemus relatum in literas quid prædicarit Paulus Syris, Asianis, Insularibus, Macedonibus & compluribus alijs gentibus: & ea quidé omnia pulchre sibi constant, & omnia sunt generis eiusdem: vnde necessariò colligimus nihil aliud Lucam, quod doctrinæ substantiam attinet, tradere potuisse, licet reliqua Pauli fuisset prosequutus, nisi hoc ipsum quod hucusq; tradidit. Noua duntaxat locorum & populorum nomina posuisset: at ea ad pietatem nihil faciunt vel augendá vel minuendam. Habemus præterea elegantissimas descriptiones interitus S. Ioan. Baptistæ, S. Stephani, sed & B. Iacobi Apostoli cósignationé breuissimam. Idem vero est exitus beatorú omniú, mortis genera diuersa sunt: at in hoc nulla sunt pietatis momenta. Habentes ergo aliquot sanctorú mortes, ex ijs iudicare possumus quales fuerint omnes omniú aliorú seruorú Dei passiones.

Plene

Plene ergo omnia ea nobis tradita sunt scripturis canonicis quæ ad perfectam pertinent doctrinam pietatis, licet destituamur aliquot historijs, locorum inquam, temporum & personarũ circumstantijs. De qua re alibi copiosius disputaui, redeo ergo nunc ad institutum nostrum.

Paulus defendit se ante tribunal Neronis.

Videtur Paulus Neronis anno IIII. vocatus ad tribunal Cæsaris, causam dixisse contra Iudæos accusatores suos: ac tum quidem cum actioni sese pararet, valedixisse amicis, ac supplicio vltimo se quasi dedidisse. Cæterum Cæsar ea actione distulit negotium, nec certum pronunciauit. Producitur ergo rursus ad tribunal Cæsaris Apostolus, ac secundum iam agit causam suam pro se. Tum vero lata à Cæsare sententia, Paulus innocens pronunciatus & liberatus est. Hæc autem sumpsimus ex posteriore Pauli ad Timotheum epistola, in qua manifeste meminit primę defensionis, dicens, In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt. Sed & inscriptiones epistolæ sic habent, scripta è Roma ad Timotheum 2. cum Paulus iterum sisteretur Cæsari Neroni. In prima quidem defensione putauit se (sicut modo dixi) trucidandum, valedixit ergo amicis & Timotheo in primis scripta ea epistola. Huc enim pertinent illa verba, Ipse iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, &c. Cæterum cum secunda defensione liberatus esset, finem epistolæ istum de immolatione sua non expunxit, nimirum vt Timotheo suo indicaret quo animo, & quanto cum periculo ad tribunal Cæsaris accesserit: insuper & ista coronidis vice adiecit, quæ sequuntur ab his verbis, Da operam vt venias ad me cito, &c. vsq; ad finem. Ea vero omnia sunt huiusmodi, vt manifeste appareat adiecta esse post secundam defensionem, cum iam cogitaret de prædicatione continuanda, nouisq; peregrinationibus instituendis. Huc enim pertinent illa omnia: Da operam vt venias ad me citò: Marcum assumptum adducito vnà tecum: est enim mihi perutilis ad ministerium. Item, Penulam quam reliqui Troade apud Carpum cum veneris apporta, & libros; maximè autem membranas. Hæc enim est vera apostolia suppellex. Certe liberationis suæ his verbis apertè meminit: Dominus mihi adfuit, & corroborauit me, vt per me præconium expleretur, & audirent omnes gentes. Et ereptus fui ex ore leonis, &c. Nemo autem nescit illud Solomonis: Leo rugiens, & rursus excurrens, est princeps impius populo pauperi. Et talis quidem erat Nero Cæsar, licet per initia imperij nondum ad furorem tyrannidis peruenisset. Et hæc quidem videntur perfecta in æstate, præsertim cum in eadem ad Timotheum dicat: Da operam vt venias ante hyemem. Sic enim per cœli intemperiem commodius quo instituerat apostolus, proficisci poterant ad prædicationem euangelij, ob quam inter gentes explendam, ipse testis est se liberatum esse ex ore tyranni.

Paulus Dei nō Neronis beneficio liberatus est.

Hieronymi sententia de 2. ad Timotheum epistola.

Non dissimulabo tamen hic veterum quorundam sententiam. Hieronymus enim sequutus Eusebium in viris illustribus ecclesiasticisúe scriptoribus arbitratur 2. ad Timotheum scriptam esse paulò antequam decollatus est Paulus. Verba eius sunt hæc: Sciendum autem in prima satisfactione, nec dum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, vt euangelium Christi in occidentis quoq; partibus prædicaret, sicut ipse scribit in 2. epistola ad Timotheum. Eo tempore quo & passus est de vinculis, dictat epistolam, In prima mea satisfactione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt. Non eis imputetur. Dominus autem mihi adfuit & confortauit me, vt per me prædicatio expleretur & audirent omnes Gentes. Et liberatus sum de ore Leonis. Manifestissime Leonem propter crudelitatem Neronem significans. Et in sequentibus, Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluauit me in regnum suum cœleste: quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium. Nam & in eadem epistola præmiserat, Ego iam immolor & tempus meæ resolutionis instat. Hæc Hieronymus. Cęterum probabile non est secundam ad Timotheum tam sero, nimirum post annos IX. aut X. postquam IIII. Neronis anno liberatus creditur, editam esse; præsertim cum vltimo capite multa commemoret, quæ manifeste pertinent ad ea tempora quibus ex Græcia nauigans Hierosolymis captus & Romam deductus est. Quale illud est, Lucas mecum est solus. Item, Tychicum misi Ephesum. Certò enim constat hunc missum esse in Asiam in prima hac Pauli non postrema captiuitate. Item, Saluta Priscam & Aquilam. Item, Erastus mansit Corinthi. Item, Trophimum reliqui in Mileto languentem. Certum est autem vel ex 20. cap. Acto. hunc Trophimum in extrema ex Macedonia in Asiam profectione in comitatũ Pauli fuisse, eoq; tempore relictum Mileti, quo Epheso præterita, Miletum conuocauit in Synodum omnes Asiæ presbyteros. Sed volo hic etiam vt alibi quoq; quisque suo sensu abundet.

Alius eiusdem nominis Trophimus fuit cuius mentio fit. Acto. 21.

Paulus liberatus & absolutus iudicio Cæs. proficiscitur in Hispaniam.

Iam quo abierit liberatus Paulus, certò dicere non possum. Sunt tamen coniecturæ non leues, quæ duplicem nobis commendant sententiam. Vel enim vinculis solutus recta abijt in Hispaniam. Vel redijt protinus in Syriam Asiam atque Græciam. Prior sententia sumitur ex his

Pauli ad Roman.cap.15.verbis, Hactenus annixus fui ibi prædicare, vbi prius non erat nominatus Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed quemadmodum scriptum est, Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierant, intelligent. Quapropter & præpeditus sum sæpe, quo minus venirem ad vos. Nunc vero cum non amplius locum habeam in regionibus his, desiderium autem habeam veniendi ad vos multis iam annis, quandocunque iter instituero in Hispaniam, veniam ad vos. Spero enim fore vt isthac iter faciens videam vos, & à vobis producar illuc, si tamen vestra consuetudine prius ex parte fuero expletus.

Epiphanius. Hieronymus. Sophronius. Ergo Epiphanius Salaminæ Cypri episcopus in opere suo contra hæreses, Carpocratianos confutans, tradit palàm Paulum prædicasse in Hispanijs. Hieronymus dicit illum docuisse in Occidentis partibus. Sophronius patriarcha Hierosolymitanus scribit Italiam, Gallias & Hispanias beati Pauli transitu euangelica prædicatione illustratas. Idem testatur cùm in domo Probi illustris cuiusdam viri in Hispania Paulus susceptus esset hospitio, & Xantippe vxor, Probi hospitis modestiam, sedulo in ipsum intenta, admiraretur diuina dispositione factum, vt cum sic hospitis vultui inhæreret, appareret in fronte Apostoli, quasi aureis literis inscriptum, Paulus Apostolus prædicator Christi. Ea vero cum prænuncia fama multa de Paulo audisset & diu desiderasset tantum videre Apostolum, gaudio pariter & stupore correpta corruit ad pedes Pauli, qui ipsam in cognitione euangelij Christi instituens sancto baptismate Christo vnà cum marito & familia consecrauit. Traditur & Philotheus eius regionis primas fidem Christi à doctore Paulo recepisse.

Paulus redit in Syriam. Posterior sententia, qua putatur proxima redijsse in Syriam, Asiam & Macedoniam, hisce innititur Pauli testimonijs. Ad Hebræ.13.cap. Orate pro nobis, inquit, & magis quidem vt hoc faciatis oro, quo celerius restituar vobis. Sciatis fratrē vestrum Timotheum solutum esse, cum quo (si celerius venerit) visam vos. Et ad Philipp.2.cap. Timotheum, ait, spero me missurum ad vos, mox vbi videro mea negotia. Confido autem in Domino quod & ipse breui venturus sim. Rursus ad Philemonem dicit, Simul etiam præpara mihi hospitium. Spero enim quod auxilio precum vestrarum donabor vobis.

Probabile mihi videtur quod Apostolus è vinculis Romæ liberatus, recta ad ecclesias Syriæ, Asiæ, & Græciæ confirmandi consolandique gratia redierit. Deinde vero ex Græcia soluerit, transieritq; in Italiam, & ex ea superatis montibus abierit in Gallias, ex Gallijs rursus penetrauerit in Hispanias, ex Hispanijs vero redierit aut reductus sit in vrbem Romam, vbi tandem sub Nerone occubuit. Peregrinationem eam perfecisse videtur intra annos X. occubuisse anno Neronis vltimo.

De morte & supplicio Pauli In loco autem & genere mortis Pauli omnibus conuenit scriptoribus vetustis, in tempore non item. Romæ enim gladio Neronis obtruncatum esse Apostolum dicunt. Alij vero ponunt XIII. alij XIIII. Neronis annum, forte quod alij finem spectant anni XIII. alij vero principium XIIII. Hieronymus sequutus Eusebium in Viris ecclesiæ illustribus, Paulus, ait, XIIII. Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini XXXVII. Erat is annus Natiuitatis Domini LXX. conuersionis Pauli XXXVII. Tanto videlicet tempore minister Iesu Christi prædicarat in Oriente & Occidente salutare Christi Euangelium, maximis haud dubie cum ærumnis atque laboribus, quorum ipsemet compendium contexens in posteriore ad Corinthios & *Labores & ærumnæ Apostoli Pauli.* aduersarijs suis respondens, Ministri Christi sunt, ait, vt ego (vt minus sapiens dico) excellentius sum ego: in laboribus copiosius, in verberibus supra modum, in carcere abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vnà minus accepi plagas. Ter virgis cæsus fui, semel fui lapidatus. Ter naufragium feci. Noctem & diem in profundo egi. In itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore, in molestia, in vigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate: præter ea quæ extrinsecus accidunt, incumbens mihi quotidiana cura omnium ecclesiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis offenditur & ego non vror? Hæc omnia leguntur in 2. ad Corinth.11.cap. Quis autem nesciat post hanc epistolam editam, Apostolum multo plura & maiora perpessum? Discant ergo omnes Christiani, ministri in primis ecclesiarum, fide, charitate, spe, zelo, diligentia, animo infracto fideli & patientissimo seruire Deo excelso & Domino nostro Iesu Christo in hoc seculo, ac ea in re imitari exemplum beatissimi Apostoli Pauli, qui omnibus nobis exemplum, modis omnibus imitandum, quatenus videlicet ipse quoque imitator Christi fuit, à Deo nobis est propositus.

De caussa mortis Pauli nihil traditum est à vetustis, nimirum quod apertissimum sit Paulum propter Christi fidem & prædicationem, sicuti & alios Christi prædicatores testes siue martyres, occubuisse. De caussa quam Nero prætexuit suæ persequutioni, incendium videlicet vrbis, dicemus in capite vltimo, in Nerone. Quia tamē Ioannes Chrysostomus libro primo, aduersus vituperatores vitæ monast. singulare quiddam de caussa mortis Pauli tradit, non grauabor verba authoris hisce nostris inserere, Paulus, inquit, pellicem Neronis, quam deperibat ac indelitijs habebat, cum ad fidem inducens, religionis sacramenta suscipere, simul etiam impurū congressum declinare persuaserat, Nero Paulum corruptorē nebulonem & flagitiosum hominem vocitans, primum quidem coniecit in vincula, deinde poscit vt puellæ eiusmodi consilia monitáue dare desineret: quod cum à Paulo impetrare non posset, necauit tandem virum sanctissimum. Hæc Chrysostomus. Id si verum est, perijt Paulus propter libidinem regis accusatam, perinde atq; sanctissimus ille Ioannes Baptista, propter incestas regis Herodis nuptias accusatas. At Paulus Orosius historiarum libro 7. cap. 7. simplicissime dicit, Auxit molem facinorum Neronis, temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romæ Christianos supplicijs & mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari persequutione excruciari imperauit, ipsumq; nomen extirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Dominus Iesus quem prædicauit Paulus, cuius solius gloriam quæsiuit, concedat ecclesiæ suæ veram fidem & sanctissimam in fidē constantiam. Amen.

De caussa mortis Pauli.

CAPVT XVIII.

De successione & imperio Romanorum Principum Octauij Augusti, Tiberij, Caij, Claudij & Neronis Cæs. quorum mentio ferè fit in literis Apostolicis.



QVoniam vero in opusculo hoc nostro Principum Romanorum Imperatorū aut Cæsarum mentio facta est creberrima, visum est in gratiam Lectorum, & quo plus lucis minusq; impedimenti habeant hactenus proposita, paucis perstringere successionem Romanorum Cæsarum & in successione aliquot etiam res ad vtilitatem Lectorum facientes, idq; non ex vulgaribus, sed classicis scriptoribus historiarum, Suetonio Tranquillo, Cornelio Tacito, Sexto Aurelio Victore, Flauio Iosepho, Eusebio Cæsarien. Paulo Orosio, & Eutropio.

Post Iulium Cæsarem trucidatum respublica siue Regnum Romanum, quod is inuaserat ac obtinuerat, deuolutum est ad Octauianum, qui adoptione C. Cæsaris maioris auunculi C. Cæsar dictus, ob victoriam vero Augustus cognominatus est. Huius anno Romani videlicet principatus XLII. natus est Saluator mundi in Bethlehem Iudææ. Id quod multis exposuit Lucas in historia euangelica cap. 2. Multa pace vsus & multis preclaris excellens victorijs, abusus legitur Dei beneficijs, & insolentia luxuriaq; peccauisse. Iccirco tam dira Romanos fames inuasit, vt Cæsar maximam hominum vim vrbe trudi præceperit. Deinde sene iam Augusto, vt Suetonius ait, Ianus patefactus, quem in natiuitate Christi clauserat, vsque ad Vespasiani patuit imperium. Nam Titus victor & cum patre Vespasiano triumphans, Ianum clausit rursus, supplicio nimirum sumpto de impijs Iudæis. Vixit Augustus annos LXXVI. Excessit Nolæ XIIII. Calend. Septemb. duobus Sextis Pompeio & Apuleio Coss. cum tenuisset rempub. cum M. Lepido & M. Antonio, & rursus cum M. Antonio tantum annos ferè XII. nouissime solus per annos IIII. & XL. in vniuersum LVI.

Augustus Cæsar.

Successit Octauio Augusto in repub. gubernanda imperator Augusti priuignus Claudius Tiberius Nero: qui ob vitium vinolentiæ dictus est per iocum Caldius Biberius Mero. Huius anno XV. cœpit salutaris prædicatio euangelij per Ioan. Baptistam. XVIII. imperij eius anno Christus Dominus mortuus, resurrexit, ascendit in cœlos, & S. Sanctum misit in discipulos, de qua re dixi in cap. huius opusculi primo. Pilatus Iudææ præses ad Tiberium & senatum Rom. retulit XIX. anno imperij eius de passione & resurrectione Christi Domini eiusq; & discipulorum miraculis, sicut in historijs tradunt Orosius & Eutropius, ac Tiberius quidem retulit ad senatum, vt CHRISTVS haberetur pro Deo. Senatus, sicut scriptor vetustissimus Tertull. Apologetici sui cōtra Gentes 5. cap. meminit, quia nō ipse probauerat (resq; ad ipsum primo delata fuerat) respuit. Ac Seianus quidē Tiberij præfectus, suscipiendæ religioni contradixit acerrime obstinatissimeq;, edictoq; decreuit vt Christiani vrbe eijcerentur. Tiberius vero in sententia sua mansit, comminatus periculum Christianorum persequutoribus accusatoribusq;.

Tiberius Cæs.

Tiberius vult Christum inter Deos coli.

Ego ab homine testimonium non accipio. Ioan. 5.

Prodigia stupenda sub Tiberio edita. Permouerunt Cæsaris animum, haud dubie ingentia illa & stupenda prodigia sub morte Christi Domini per totum orbem facta. Orbis enim maximo terræmotu concussus est, saxa in montibus conscissa hiauerunt, maximarumq; vrbium plurimæ partes plus solita concussione ceciderunt. Et eadem die qua Dominus noster in crucē sublatus est, circa horam VI. quæ nobis est meridiei XII. penderetq; viuus è stipite ad horam vsq; IX. vesperarum, quæ nobis III. est, ac tum demum expiraret, ab hora, inquam, VI. vsq; in horam IX. sol in totum obscuratus, tetraq; nox subito inducta est terris. Vsqueadeo autem neq; lunam lumini solis, neq; nubes obstitisse manifestum est, vt quartam decimā eo die lunam tota cœli regione interiecta longissime à conspectu solis abfuisse, & stellas tunc diurnis horis vel potius in illa horrenda nocte cœlo fulsisse, referatur. Quod non solum sanctorum euangeliorum fides, sed etiam Ethnici Græcorum libri attestantur, inter quos & Phlegonis numerat Eusebius in Chronicis, Eutropius in historia, & Lucianus martyr Christi ac presbyter Antiochenus in sua pro se apud Gentes Apologia.

Tiberij interitus. Porrò cum Tiberius non perseueraret in fide, mansuetudine & modestia, ex principe tolerabili facta est truculenta bestia. Bonam enim senatus partem occidit. Filios proprios veneno sustulit. Libidinem stupendam exercuit. Breuiter, exuit hominem, & diabolum prorsus induit. Seianum illum acerrimū Christianæ religionis hostem lupus lupū lacerans, interfecit, ipse præterea ambiguis veneni signis interijt. Sic mutuis ceciderunt vulneribus impij, crudeles, fœdi & abominandi homines, qui noluerunt regem Christum super se regnare. Obijt in villa Lucullana anno ætatis LXXVIII. imperij sui XXIII. Calend. Apriles XVII. Cn. Acerronio Proculo, C. Portio Nigro consulibus.

Caius Cæsar. Post Tiberium regnum arripuit Caius Cæsar, Caligula cognominatus, Germanicî filius, nepos Drusi fratris Tiberij. Propudium hic & sterquiliniū erat hominis omnium ante se sceleratissima bestia, & qui vere dignus Romanis idololatris & Iudæis blasphemis pertinacibusque Christi persequutoribus & contemptoribus punitor adhibitus videretur. Ante principatum quidem omnibus erat charus acceptusq;, in principatu nemo vnquam illo extitit atrocior. *Superbia diabolica Caij.* Primus diademate imposito dominū se appellari (quod nominis Augustus modis omnibus etiam edicto edito à se remouerat) ac pro Deo coli voluit.

Arbitror autem me Lectori gratificaturum, & nihil à proposito nostro alienum allaturum, *Caius voluit se adorari pro Deo.* si huc ex Iosepho historiam de hoc Caio & stupenda eius impietate transferam. Caius Cæs. inquit ille, in tantū contumeliose abusus est fortuna, vt etiam & Deum se putaret, & vellet vocari. Et hanc suam impietatem etiam in Iudæam extendit. Petronium denique cum exercitu Hierosolymas direxit, præcipiens vt in templo statuas eius locaret, quas nisi susciperent Iudæi, contradicentes interficeret. Et Petronius quidem in Iudæam festinans cum exercitu Ptolemaidem peruenit. Quod cum Iudæi intellexissent processerunt Petronio supplicaturi obuiam cum vxoribus & liberis in campum, in quo sita fuerat Ptolemais. Petronius supplicantiū flexus multitudine, exercitum quidē & statuas reliquit in Ptolemaide, ipse vero descendit in Galilæam, conuocatisq; Iudæis in Tiberiadem cœpit exponere mandatum & minas Cæsaris, addens insuper supplicationem Iudæorum esse contumeliosam, cum omnes gentes quæ obediant Romano imperio in suis vrbibus inter reliquos deos, imagines quoq; Cæsaris locauissent, soli Iudæi istud respuerent. Id perinde esse, ac si deficerent ab imperio, & manifesta iniuria afficerent præsidentē. *Iudæi cur noluerint recipere Caij statuas.* Illis vero contra hæc legem moresq; patrios allegantibus, & quia ne Dei quidem simulachrum, nedum hominis: nec solum in templo, sed neque in prophano aliquo totius regionis loco phas sibi esset locare: arripiens dictū, Petronius respondit, Sed & mihi lex Domini mei seruanda est. Cogam itaq; vos implere quæ mandata sunt. Ad id tota conclamauit multitudo, malle se semel in vniuersum interire, quàm temerare leges Dei. Sedato tandem clamore, Petronius rursus dixit, Pugnare ergo aduersus Cæsarem estis parati? Responderunt se paratos esse pro Cæs. & pro Romanorum salute sacrificia immolare: at si pergat statuas ipsis collocare in templum, debere eum prius immolare, iugulareue totē gentem. Petronius permotus populi admiranda constantia, rem per literas retulit ad Cęsarem. Cæsar succensus, Petronio extrema minatus est, vi pergat statuas Cæsaris inferre templo. Sed epistolæ huius vectores per tres continuos menses contingit, diuina prouidentia ita temperante res, tempestate retineri. Alij vero Cæsaris interitum nunciantes nauigarunt felicius & alios præuenerunt.

Libido Caij Cæs. Mirum autem est hominem spurcum, porcum, inquam, lutulentum, denique lupum humano madentem sanguine, cuius imaginem nemo mediocris vel in cloacā suam recepisset, ausum fuisse postulare in templa reciperent cordati. Verum tale merebantur illorum mores, qui Christum Dei Filium sanctissimum recipere nolebant. Caius enim hic libidinis fuit portentum. Nam

Nam tres sorores suas stupro commaculauit, stupratas misit in exilium. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere. Adulter fuit omnium qui vixerunt impudentissimus. Tranquillus enim, illustriores fœminas, inquit, plerunq; cum maritis ad cœnam vocatas diligenter ac lente, mercantium more, considerabat, etiam faciem manu eleuans, si quæ pudore submitterent. Quoties deinde libuisset egressus triclinio, cum maxime placitam seuocasset, paulò post reuersus, vel laudabat palàm vel vituperabat, singula numerans bona malaúe corporis, &c. Lupanar in palatio constituit, distinctisq; & instructis pro loci dignitate cum pluribus cellis, in quibus matronæ ingenuiq; starent, misit circum fora & basilicas nomenclatores ad inuitandos in libidinem iuuenes senesq;. Pudicitiæ neq; suæ neq; alienæ pepercit, sed & à virorum commertio non abstinuit sceleratus.

Sæuitiam incredibilem & exemplo carentem exercuit. Exclamasse fertur, Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet. Propinquos & amicos, etiam senatores honestissimos trucidauit, & cum eos clam interemisset, citare nihilominus perseuerauit, paucos post dies voluntaria morte perijsse mentitus. Non temere in quenquam nisi crebris & minutis ictibus animaduerti passus est, perpetuo notoque iam præcepto, ita fieri, vt se mori sentiat. Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla aut munitiones viarum, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum more quadrupedes cauea coercuit, aut medios serra dissecuit. Parentes supplicio filiorum interesse cogebat. Quorum vni valetudinem causanti lecticam misit. Equitem Romanum obiectum feris, cum se innocentem proclamasset, reduxit, abscissaq; lingua rursus induxit. Si vixisset diutius longe crudeliora patrasset. A morte enim eius inuenti sunt libelli duo, quorum alteri pugio, alteri gladius inscriptus erat titulus, in quibus nomina morti destinatorum nobilium continebantur. Inuenta est in secretis eius & arca ingens, variorum venenorum pocula continens, qua demersa maria dicuntur infecta, non sine magno pisciuni exitio, quos enecatos per proxima littora passim æstus eiecit. Hæ scilicet erant virtutes Dei illius Romani, qui ab omnibus adorari, & pedes impurissimos sibi exosculari poscebat. Ea non temere hic commemoro, vt omnes intelligant qualia fuerint tempora, in quibus Euangelium prædicarunt Apostoli, & cum qualibus monstris pugnandum fuerit pijs, quæ fuerit licentia & detestanda impiorum impia audacia. *Sæuitia Caij Cæsaris.*

Verum iam libet etiam mortem impurissimi canis subijcere, vt inde quoque iusta Dei iudicia intelligantur. Ergo IX. caled. Februarias vltimo imperij anno, cum ad ludum scenicum inspectandum prodiret scelus, inflictis aliquot vulneribus à Cassio Chærea, & Corn. Sabino prostratus est in terram. Iacentem vero & contractis membris clamantem se viuere, cæteri coniurati vulneribus triginta confecerunt. Quidam etiam per obscœna ferrum adegerunt. Cadauer eius clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum, leui cespite obrutum est. Atque hic est finis exitusque Romani illius Dei ab ipso diabolo consecrati. Perijt vnà vxor Cesonia (luxuria & lasciuia perdita mulier, quam ille amicis non raro nudam ostendit) gladio a Centurione confossa, & filia parieti illisa, Iullia Drusilla, quam monstrum illud dum viueret per omnium dearum templa circunferens, Mineruæ gremio imposuit, alendamq; & instituendam commendauit. Vixit Caius annis XXIX. imperauit triennio X. mensibus & VIII. diebus, vti annotatum est à Tranquillo. Sex. Aurel. Victor, & Eusebius Cæsariensis numerant ex integro fere annos IIII. quos in nostra supputatione sumus sequuti. *Interitus Caij Cæsaris.*

Extincto Caio imperium suscepit Tiberius Claudius Cæsar. Tametsi enim multa de abrogando imperio, ac republica in antiquum ordinem restituenda euertendaq; penitus Cæsarum vniuersa familia Senatus & Coss. consultarent decernerentq;, perrupit tamen cum factione sua Claudius. Hunc mater Antonia hominis monstrum appellare solebat. Nam ventri, vino, libidini fœde obediens, vecors & probè hebes, ignauus & pauidus. Libertorum & coniugis, primum quidem Messalinæ, deinde Agrippinæ imperijs subditus fuit: vt Tranquillus dicat illum egisse ministrum non principem. Cibi viniq; quocunq; & tempore & loco appetentissimus erat. Conuiuia agitauit & ampla & assidua, ac ferè patentissimis locis, vt plerúq; sexceni simul discumberent. Nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, & vt statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum stomachum. Hæc autem eam ob causam maxime commemoro ex historijs, quo minus mireris Imperio Claudij orbem fame & ægestate vsqueadeo pressum laborauisse. Nam Isaias, Væ, inquit, his qui mane se accingunt vt sectentur ebrietatem, prorogantes id ad crepusculum vsque. Ideo gloria huius populi fame maceratur & multitudo eius siti aret. Certè qualis erat princeps talis etiam aula, talis totus ferè populus. Claudius nihil æque quam timidius & diffidens fuit. Sæuum & sanguinarium natura *Claudius Cæsar.* *Claudij crapula & luxuria.* *Fames sub Claudio.*

Sæuitia & interitus Claudij fuisse magnis minimisq; apparuit rebus. Senatores XXXV. equites Romanos CCC. leuissimis de causis trucidauit. Tandem venenum hausit gurges, temperante id Aggrippina, excessitq; III. Idus Octobris Asinio Marcello, Acilio, Auiola Coss. LXIIII. ætatis, imperij XIIII. anno.

Nero Cæsar. Nero Claudius, Claudio Tiberio in imperio protinus est surrogatus. Nam mox ab interitu Claudij Nero XVII. natus annos pro palatij gradibus imperator consalutatus est. Fuit is per initia princeps non malus, sed non diu talis perseuerauit, protinus enim ingenium sceleribus prodidit infandis, in feram omnino demutatus beluam. Tantis homo spurcissimus exagitabatur libidinibus, vt ne à matre quidem, sorore, aut ab vlla consanguinitatis reuerentia abstinuisse referatur. Puerum Sporum exectis testibus, etiam in muliebrem naturā transfigurare conatus est. Ipse à viro, amictus nubentium virginum specie, palàm conuocato Senatu, dote dicta, cunctis festa more frequentantibus vt vxor acceptus est. *Libido Neronis.*

Roma ignibus sicuti Sodoma afflicta. Cæterum non diu inultam siuit exultare detestabilem Sodomicam & abominandam libidinem iustum Dei iudicium. Equidem cum in vrbe tam famigerata nemo inueniretur qui sese opponeret infandis & pudendis adeo sceleribus, quin in desiderijs & abominandis cupiditatibus corda inflammata ab immundo spiritu, flagrarent, lustrauit Dominus sordes illas, vt quondam incendio Sodomitico, ita nunc igni Neroniano: id est, iustus Deus permisit vt bona pars vrbis per impurissimum hunc nebulonem & inflammaretur & periret. Suetonius enim, Nero quasi offensus, inquit, deformitate veterum ædificiorū & angustijs flexurisq; vicorū, incendit vrbem. Voluit huius spectaculi imagine cernere qualiter olim Troia arserit: ideoq; incendium è turri Mecœnatiana prospectans, lætusq; flammæ (vt aiebat) pulchritudine, ἅλωσιν Illij decantauit in illo suo scenico habitu. Arsit vrbs diebus continuis sex & noctibus septem. Nulla fuit clades quæ vrbi per ignium violentiam accidit grauior atque atrocior. De qua qui cupit copiose inspicere singula, legat Cornelium Tacitum Annal. libro 15.

Vera caussa et origo persequutionis Neronianæ in Christianos. Quorum vero opes & ædes perierant incendio, Neroni, ceu authori mali tanti, vehementer irascebantur. Nero vulgi odium metuens & sese per calumniam repurgare cogitans, suspitionem tanti sceleris imponit Christianis, atq; hos protinus tanquam incendiarios persequitur. Horum alij tormentis fracti factum confitebantur quod nunquam fecerant: alij in innocentia sua moriebantur. Cœpit grauis hæc persequtio X. Neronis anno, & durauit quadriennio ad finem vsque vitæ & regni Neronis. Etenim incendium vrbis incidit in Consultatum C. Lexanij & M. Lucinij Coss. at hi Consulatum gessere X. Neronis anno. Non pigebit huc referre Cornelij Taciti hostis religionis nostræ impuriss. testimonium ex historia Augustali, de persequutione & calamitosa nostrorum afflictione. Scribit ergo libro 15. de hac ita.

Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat. Author nominis eius Christus qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaq; in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat: non modo per Iudęam originem eius mali, sed per vrbem etiam: quo cuncta vndique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij quàm odio humani generis conuicti sunt. Ea pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defecisset dies in vsum nocturni luminis vrerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo insistens. Vnde (quanquam aduersus sontes & nouissima exempla meritos) miseratio oriebatur, tanquam non vtilitate publica, sed in sæuitiam vnius absumerentur. Hæc Tacitus. Perstringit eadem in Nerone Suetonius hostis & ipse nostræ fidei, dicens, Multa sub eo & animaduersa seuere & coercita, nec minus instituta. Afflicti supplicijs Christiani, genus hominum superstitionis nouæ & maleficæ. Hæc Tranquillus. Eodem anno & mox insequente sub consulatu Silij Neruę & Attici Vestini, præstantissimos quosque Romanæ vrbis viros trucidauit bestia, tanquam C. Pisoni fauentes. Ea qui cupiunt plenius cognoscere & pulcherrima videre exempla mortem contemnentium, legant Taciti Annal. lib. 15. & 16. &c. *Vide quanta paßi sint innocentes Christiani.*

Parricidia Neronis. Eodem tempore optimam Senatus partem interfecit, equestrem ordinem penè destituit, præceptorem Senecam, item M. Anneum Lucanum, matrem denique Agrippinam, amitam quoque, fratrem Britanicum, sororem, vxores Octauiam & Poppæam Sabinam, & ex hac priuignam suam, cæterosq; sibi vel propinquitate vel affinitate coniunctos crudelissimus parricida necauit. Quo minus mirandum arbitror, quod ne Apostolis quidem Christi Petro & Paulo ac reliquis Christianis pepercit. Nam bonis omnibus hostis fuit. Nullus, ait Tranquillus, adhibitus delectus

lectus aut modus interimendi quoscunque libuisset, quacunq; de causa. Rectissime ergo & verissime in Apologetico suo contra Gentes scripsisse legitur Tertullianus in hæc verba: Consulite Commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi aliquod bonum grande à Nerone damnatū. Et mox: Tales nobis semper insequutores iniusti, impij, turpes, quos & ipsi damnare consuestis, à quibus damnatos restituere soliti estis. Hæc Tertull. Apher.

Iam præstat etiam audire quem exitum sit sortitus truculenta bestia, & quid insequutum sit tot & tanta innocentium funera & parricidia: vt hinc quoque discamus iusta Dei iustissimi iudicia nusquam nec vllo tempore dormitantis: simul etiam inclarescat quomodo interierit qui sanctissimum Christi Apostolum Paulum obtruncauit. De morte & interitu hominis scelestissimi hęc tradit Sueto. Talem principē paulò minus per XIIII. annos perpessus terrarum orbis tandem destituit, initium facientibus Gallis duce Iulio Vindice. Postquam etiam deinde Galbam & Hispanias desciuisse cognouit, collapsus animoq; male fracto diu & sine voce & prope intermortuus iacuit, vtque resipuit, veste descissa capite conuerberato actum de se pronunciauit. Nunciata etiam interim cæterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subuertit, duos scyphos grauissimi vsus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri vocabat, solo illisit, inde transijt in hortos Seruilianos. Ac cogitatione in posterum diem dilata, ad mediam ferè noctem excitatus, vt comperit stationem militum recessisse, prosiluit è lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil à quoquam renunciabatur, ipse cum paucis hospicia figulorum adijt. Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum redijt, vnde iam & custodes diffugerant. Ac statim percussorem, cuius manu periret, requisiuit. Et nemine reperto, Ergo ego, inquit, ne amicum habeo nec inimicum: procurritque quasi præcipitaturus se in Tiberim. Sed reuocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desiderauit, & offerente Phaonte liberto suburbanum suum, vt erat nudo pede, atque tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit, adopertoque capite & ante faciem obtento sudario, equum inscendit, quatuor solis comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statimque tremore terræ & fulgure aduerso pauefactus, audijt ex proximis castris clamorem militum. Vt ad diuerticulum ventum est, dimissis equis inter vepres, ipse diuulsa sentibus penula, quadrupes per angustias effossæ cauernæ receptus in proximam cellam decubuit super lectum modicella culcitra vetere pallio strato instructum. Inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit legitque se hostem à senatu iudicatum, & quæri vt puniatur more maiorum. Interrogauitque quale id esset genus pœnæ. Et cum comperisset nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus duos pugiones quos secum extulerat, arripuit, tentataq; vtriusq; acie rursus condidit, caussatus nondum adesse fatalem horam. Interdum segnitiem suam his verbis increpabat, Viuo deformiter & turpiter. Iamq; equites appropinquabant, quibus præceptū erat vt viuū eum attraherent. Quod vt sensit, trepidanter ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis: semianimisq; adhuc irrumpenti Centurioni & penula ad vulnus apposita in auxilium venisse simulanti, nō aliud respondit, quā SERO, &, HAEC EST FIDES. Atque in ea voce defecit, extantibus rigentibusq; oculis vsq; ad horrorem formidinemq; visentium. Hæc omnia huc ex Suetonio transtulimus. Obseruet autem Lector extrema illa monstri verba, Sero, Hæc est fides. Sero enim & nunquam ea quæ vitæ erant curauit: & quod modo horribiliter sibi ipsi mortem consciuit, id ex eo habuit quod fidem Christianam sanguine humano voluit delere. Quod vt ex sententia non successit, ita prius semetipsum proprio perluit sanguine, ac interijt turpissime, viuente adhuc Christo & Christianis.

Horribilis interitus Neronis.

Horrores desperati & impij hominis.

Ira Dei magnā in scelestum.

Deformiter vixi, pereo turpius.

Horrendus Neronis interitus

Porrò de ijs quæ parricidia Neronis consequuta sunt, hæc refert in historijs Paulus Orosius, Mox aceruatim miseram ciuitatem obortæ vndique clades oppressere. Nam subsequente autumno tanta vrbi pestilentia incubuit, vt triginta millia funerum in rationem libitinæ venirent. Britannica deinde clades è vestigio accidit, qua duo præcipua oppida magna ciuium sociorumque clade & cæde direpta sunt. Præterea in oriente magnis Armeniæ prouincijs amissis, Romanæ legiones sub iugum Parthicum missæ, ægreque Syria retenta est. In Asia tres vrbes, hoc est, Laodicea, Hierapolis & Colossæ terræmotu conciderunt. Nunc vero non commemorabo quod Galba Ottho Vitellius & Vespasianus sese ciuili bello crudelissime lacerarunt atque protriuerunt. Ita enim iustissimus Deus sanguinem Christianorum innoxium atrociter à Romanis effusum, iustissimo æquissimoq; suo iudicio, noxio ciuium & legionum Romanorum cruore vicissim effuso vltus est.

Quæ infelicitas consequuta mortem Pauli & persequutionem Christianorum.

Obijt Nero anno ætatis suæ XXXII. iuxta Suetonium. Eutropius annos vitæ eius numerat XXXI. Imperauit annis XIIII. Atque in eo omnis Augusti Neronumque familia consumpta est. Cæterum adeo cunctæ prouinciæ omnisque Roma in interitu eius exultauit, vt plebs tecta pileis manumißionum, tanquam sæuo exempta Domino triumpharet. Hoc fatum, hic finis fuit principis illius Romani, qui electißimum organum Dei Apostolum Paulum gladio ferie iusit, ac primus in Ecclesiam Christi persequutionem instituit.

Quare hæc de Roman. Cæs. copiosius sint consignata. ET hæc quidem hactenus de V. Romanorum imperatoribus attuli. Ex quibus didicimus primum quidem integram esse supputationem, quam in annis Imperatorum consignandis sequuti sumus: deinde quàm corrupta fuerint tempora quibus ipse Dominus noster IESVS Christus; ac Apostoli eius salutarem Euangelij prędicationem mundo immundißimo prædicarunt: quam denique fuerit laboriosum, difficile & periculosum congredi cum huiusmodi monstris. Capitibus enim sic affectis facile est colligere qualia fuerint totius corporis membra. Claret hinc quoque quanta longanimitate Deus iustißimus diu multumque dißimularit fœdißimos & execrandos impiorum mores: rursum quantum his beluis in sanctißimam sponsam suam fidelem Ecclesiam permiserit Dominus: quanta denique cum clade optimorum & sanctißimorum hominum scelestißimi nebulones libidinem suam expleuerint, imò se quoque victores Domini nostri Iesu Christi esse crediderint. Claret hinc præterea quam inuicta nihilominus perstiterit veritas Euangelica, vicerit piorum fortis patientia, floruitq; afflicta & tantum non malis infinitis oppressa Ecclesia: & quod postremo ipsa quoq; lento pede Dei vindicta procedens, tarditatem grauitate supplicij compensarit.

Discant ergo omnes sancti in grauißimis periculis, in afflictionibus Ecclesiæ horrendis, in corruptela principum & omnium in orbe ordinum & statuum, constantes esse in profitenda vera religione, in asserenda veritate, & in malis varijs & grauibus perferendis. Tametsi auxilium & liberationem suam Deus diu multumque differat: tametsi prauis, audacibus & temerarijs hominibus multa in sanctos & veritatem sanctam permittat, ne ambigamus de bona eius in omnes fideles ac orthodoxos voluntate. Non nunc primum miseri & calamitosi in mundo visi sunt qui vni Christo Domino sese consecrarunt: vetustum aut antiquum hoc est, vt filij huius sæculi Dei regniq; filijs non modo versutiores, sed & feliciores esse videantur. Verum viuit & viuet æternum rex & triumphator noster IESVS Christus, qui vt Ecclesiæ suæ nunquam obliuiscitur, ita & iusto tempore affligentes sanctam suam Ecclesiam extinguit.

DE LAVDIBVS S. PAVLI SELE-
cta quædam ex antiquis Ecclesiæ doctoribus.

Tertull. contra Martionem 5.

Gene. 49. NONNE mihi Paulum etiam Genesis olim repromisit? Inter illas enim figuras & propheticas super filios suos benedictiones, Iacob cum ad Beniamin dixisset, Beniamin, inquit, lupus rapax ad matutinum comedet adhuc, & ad vesperam dabit escam. Ex tribu enim Beniamin oriturum Paulum prouidebat, lupum rapacem ad matutinum comedentem, id est, prima ætate vastaturum pecora Domini, vt persequutorem Ecclesiarum: dehinc ad vesperam escam daturū, id est, demergente iam ætate oues Christi educaturum vt doctorem nationum. Nam & Saulis primò asperitas insectionis erga Dauid, dehinc pœnitentia & satisfactio bona pro malis recipientis, non aliud portendebat quàm Paulum in Saule secundum tribus, & Iesum in Dauid secundum virginis censum, &c.

Euseb. Cæsariensis Eccle. histo. lib. 3. cap. 24.

PAVLVS qui inter omnes Apostolos eruditior etiam in verbis videtur & in sensibus præpotens, non amplius quàm paruum Epistolarum suarum corpus reliquit: qui vtique immensa contineret intra se atque innumera sacramenta, vtpote qui etiam vsque ad tertium cœlum raptus quæ gererentur inspexerat, & in ipsum quoque Deo dignum paradysum abductus audierat ibi ineffabilia verba & doctrinam (quæcunq; illa inibi est) siue corporeus, siue incorporeus, illius interim scholæ discipulus effectus, exceperat.

Hierony. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosoly.

Vbi est electionis vas, tuba Euangelij, rugitus leonis nostri, tonitruus Gentium, flumen elo

quentiæ

quentiæ Christianæ, qui mysterium retrogenerationibus ignoratum & profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei magis miratur quam loquitur?

Idem in Apologia pro libris contra Iouinianum.

Paulum Apostolum proferam, quem quotiescunq; lego videor mihi non verba audire sed tonitrua. Legite epistolas eius, & maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est, & videbitis eum in testimonijs quæ sumit de veteri testamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit eius quod agit. Videntur quædam verba simplicia, & quasi innocentis hominis ac rusticani, & qui nec facere nec declinare nouerit insidias: sed quocunque respexeris fulmina sunt. Hæret in causa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit vt superet, fugam simulat vt occidat.

Ioan. Chrysosto. de laudibus Pauli, Homilia 8.

Sæpe fulgido cœli globo delectatus oculus ad spectaculum oppositi è regione luminis sese violenter intendit: & licet sentiat aciem suam imparē radiorum esse certamini, desiderio tamē illius pulcherrimi luminis intuendi libenter inaccessibili radiantis orbis reluctatur corusco. Tale igitur quippiam ego ipse perpetior, qui cum videam propriæ mentis oculos ex radijs Apostolici fulgoris hebetari, cupio tamē Pauli animam, miro fulgore virtutum rutilantem velut eminus intueri, & cōtra importabiles solis micatus contentiosa subire certamina. Sol enim quidā est hominibus Paulus, qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radijs illuminauit, quiq; vniuersas circumeundo Gentes cursum omnino solis imitatus est, ac mundi regiones omnes quasi libero à corpore animo peruolauit, & hoc cum ei amara vndiq; vulnera crebrius obuiarent. In duas nanq; partes omne tunc ferè hominū scindebatur genus: in eorum scilicet qui horribili rabie erga idolorum cultum ferebantur, & in illorum quos legis zelus in Euangelij odia inflammabat. Ab vtraq; vero parte grauissima in Paulū bella surgebant: cum Iudæi vndiq; illum quasi paternarum traditionum corruptorem fugarent: gentes vero quasi Deum mortuū prædicantem. Noli enim illum qui tunc fuit rerum reatum, huic qui modo est comparando magnitudinē Apostolici laboris attendere, sed ipsa adhuc prædicationis exordia mente perpende. Cōsidera prius pelagi sęuitientis furorem, & tum demum vim gubernatoris intelliges, sicut enim in quodam freto, ita Paulus in medijs fluctibus æstuabat ac mille discriminum vrgebatur procellis. Inter ipsa quippe Euangelij principia prædicationis nouitas vehementes ei tentationum turbines suscitauit. Iudæorum enim tunc populi mouebantur, quos ad hoc Mosaica videbantur præcepta compellere. Pharisæorum quoq; perstrepebant gressus cum dudum à se crucifixi deitatem prædicari dolerent. Indignabatur etiam conspiratio sacerdotū cum audirent crucē quasi sceptrum quoddam regale celebrari. In huiusmodi bello Iudæi sociebantur & Gentes, quæ aris diuum ac templis puluinariumq; cineribus assuetæ penè iam euelli sibi nescij amplectebantur errorem. Iudices in prędicationem Euangelij sæuientes, suę astabant cateruæ. Reges iugiter idipsum bellum gerebant. Auditam crucem cuncti abominabantur exercitus: quā sapientes recipere nesciebant, quasi signum vtiq; damnati. Sed Paulo bellum hoc totius mundi omni erat pace iucundius. Delectabat enim quicunq; illum propter Euangelium vulnerabat. Hinc est quod ille Gręciam atq; Barbariam cum illatis sibi vulneribus alacer circuibat, non minus plagis suis gaudens quàm regijs triumphis: haud aliter delectatus naufragijs quàm cęteri acquisitis solent gaudere thesauris: liuoribus, quos ei verbera sæpe inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis: tribulationibus vt delitijs vtebatur: squalore carceris vt paradysi amœnitate gaudebat.

Cui te, ô beate Paule, iustorum veteris Testamenti vel noui audeam comparare? Omnium quippe virtutem quasi in arca quadam sed cum multo prorsus cumulo condisti. Denique si totum contra in aliquis sigillatim iustorum appendat chorum, inueniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depressam. Paulus enim secundus Abel, verum non semel sed per dies singulos immolatus. Paulus alter Noe, sed absque arca insurgentes aduersus se vndas impietatis enauigans. Paulus alter Abraham non modo à patria & gente, sed post vocationem suam ab ipsa etiam vita abscissus. Paulus alter Isaac spōte in hostiam colligatus. Paulus alter Iacob, quasi pro vno quodā totius mundi grege semper inuigilans. Paulus alter Ioseph spirituali fame tabescente mundo veritatis alimenta distribuens. Paulus alter Moses qui omnes gentes à tyrannide diaboli reduxit ad Christum. Paulus alter Aaron totius mundi populis iunctus sacerdos. Paulus al-

ter Phinees impietatem Iudeorum atque gentilum, quasi fornicationem mentium vno fidei mucrone confodiens. Paulus alter Dauid qui velut quendam Goliam in certamine diabolum prouocat. Paulus alter Helias clarius raptus in cœlos. Paulus alter Helisæus qui Gentes ab interiore lepræ pollutione mundauit. Paulus alter Ezechias qui ad vnam fidem Christi diuersos populos attraxit. Paulus alter Iosias qui abominationes gentilium dissipauit & perdidit. Paulus alter Ioannes pro Christo capite truncatus. Paulus alter Petrus non de terra sed de cœlo vocatus ad credendum. Paulus alter Gabriel qui Christi ortum cunctis Gentibus nunciauit. Paulus alter Michael qui Christianorum dux esse sortitus est. Etiamsi angelorum, etiamsi iustorum hominum circumuolem choros, non inuenio comparationem, cui non tamen cumulo meritorum Paulus occurrat. Acclamatio populi, & post acclamationem etiam mortuus Paulus ardentissima nobis theatra pietatis accendit.

Sed quamdiù versabo linguam nunc iustis viris Paulum, nunc etiam angelis comparando? Opulentissimum hunc igitur thesaurum in nostris auide pectoribus recõdamus. Hauriamus certatim virtutes ex abundanti isto bonæ voluntatis fonte manentes, & cupiditate maxima feracissimæ huius arboris poma rapiamus, varijsq; floribus ac fructibus plenum Apostolicarum virtutum pratum metentes, sumamus è Paulo fulgentem rosam castitatis, eligamus fidei florem marcescere nescientem, decerpamus ex eo vberrimas patientiæ fructus, & virtutum omnium flores colligamus. Demus beato Paulo gloriam vt dicat de nobis in futurum, Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus. Ipsi gloria in sæcula sæculorum Amen.

Idem Homilia 1.

PROPHETA dicit, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Sed hoc etiam in Paulo possumus inuenire, qui veluti ignis & spiritus totum terrarum percurrit orbem, percurrendoq; purgauit. Sed necdum cœlum iste sortitus est: & hoc omnino mirabile, quia talis versabatur in terris & mortali adhuc carne circundatus cum incorporalium virtutum potestate certabat. Quanta ergo sumus condemnatione digni, cum vno homine bona cuncta in se congregante, ne minimam quidem eorum partem studemus imitari? Hæc assidue mente voluentes, & nosipsos inculpabiles præbeamus, & ad illius zelum studeamus accedere, vt ad eadem bona peruenire mereamur gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & imperium in sæcula sæculorum Amen.

FINIS.

